This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

-2. 1666.

OTHEEK GENT

09

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

REINERI NEUHUSI
JC.

THALIA ALCMARIANA.

Et

POEMATUM JUVENILIUM
LIBRI II.

Opus Absolutissimum.

TOMUS I.



AMSTELODAMI.

Ex Officinâ JOANNIS JANSSONII
à WAESBERGE, & VIDUÆ
ELIZÆ WEYER-STRANT.
cIↃ. IↃc. LXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustribus ac Præpotentibus

FRISIORUM ORDINUM

DELEGATIS IX-VIRIS.

Patriæ Patribus,

S. P. D.

REINERUS NEUHUSIUS.

ILLUSTRES DOMINI.

THaliam *Alcmarianam*, quæ tanquam Historia est, Principis Populi, & *Batavorum* & *Frisiæ*, soli Vestræ Dignitati & Auspiciis inscribo. Ad quod pium ac honestum propositum non una me impulit, fateor, causa & argumentum. Qui, quando memoriâ mecum repeto Beneficia præteriti temporis, quibus me, civem Vestrum, non semel honorastis, ad Illorum magnitudinem totus tacituſque obstupe-

Digitized by Google

ſtupeſco. Vos, ILLUSTRES DOMINI, poſt *Parentis mei* in Remp. Veſtram merita, meum quoque Nomen & Officia pari Honore eſtis proſequuti. Primum deſignatâ mihi in *Academiâ Veſtrâ*, unà cum ampliſſimis præmiis ac Privilegiis, *Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſione*. Deinde, in ſpem patriæ formandæ Juventutis, clariſſimo *Civitatis Leoverdianæ Rectoratu* mihi in manus oblato. Utramque hanc Spartam quod prompto & parato animo non acceperim, neſcio, quod non Fatum ab *Alcmariâ* Divinitus tunc iſti negotio intervenerit. Ad illa accedunt,

ILLUSTRES DOMINI.

In dies nova Monumenta ſingularis Veſtræ propenſionis in Me & Muſas meas. Qui cum meis laboribus in Provinciâ Veſtrâ frui non potueritis, nunc, quotannis tamen, *Florem & Nobilitatem Friſicæ Juventutis* ultrò ad nos, Studiorum cauſâ, commeare faci-

Digitized by Google

facitis. Quo nomine & merito noſtra etiam CIVITAS generosè nunc, audit. Et, ut olim, ſic & nunc, *utrâque ſuâ Pallade* egregiè inclareſcit. In æternis quoque Faſtis & Annalibus æternum & immortale, à *Friſiorum ſummo Oratore*, PIERIO WINSEMIO, hoc Famæ ſuæ MONUMENTUM habitura.

Alcmariæ Civitati Divinitùs ac peculiare hoc datum videtur, ut cum ſola vinci Regiis armis non potuerit, clariſſima ingenia ex illa liberâ & intactâ ſervitio Civitate ederet. quæ terræ, in quâ aërem hauſerant, oblita, ex cœleſtium & naturæ rerum indagatione, non ſine miraculo præſentis ævi, inclareſcerent.

Hæc fuit cauſa, ILLUSTRES DOMINI, quod hanc *Thaliam meam* ſub Veſtri Nominis Auſpicio, prodire nunc in publicum voluerim. Quæ, ut dixi, penè Hiſtoria eſt *Utriuſque Gentis, Principum Virorum.* Quorum alii, cum *Illuſtribus* AURIACIS &

Digitized by Google

NASSOVIIS, de medio sublati, nunc Feliciter agunt in Cœlis. Alii adhuc in terris superstites, & in Imperio constituti, Virtutes suas, singulari cum sapientiâ, domi forisque exercent. Agite, ILLUSTRES DOMINI, ut quemadmodum, ab ipsis Majoribus Vestris, perpetua hæc VOBIS est *Laus*, & *Gloria*, ita & nunc præsertim, Augustissimo PACIS hoc tempore, Bonarum Artium Studia, Earumque sapientissimos Nutritios ac Magistros summo semper in pretio habete, fovete, conservate.

POEMATUM JUVENILIUM Libellos duos, quos THALIÆ nostræ ad finem adjunximus, *Nobilissimis Juvenibus* FRISICÆ JUVENTUTIS, *Discipulis meis* inscripsi in tesseram perpetui erga illos affectus & amoris.

Cæterum, Fâxit Optimus Maximus in Cœlis DEUS, ut *Illustrissimum* FRISIORUM *Nomen*, quod incomparabili Majorum Fide, Fortitudine, Sapientiâ est omparatum, sem-

Digitized by Google

semper *novâ Virtute Factorumque accessione*, in omnem Æternitatem clarius pulchriusque enitescat! *Dixi.*

Alcmariæ Batavorum, ab. Ic. LXVIII. Kal. Decemb.

Illustribus Vestris

NOMINIBUS, ac NOBILITATI

[redacted]

[redacted] NEUHUSIUS,

Gymn. Alcm. XXX

[redacted] RECTOR.

Digitized by Google

Ad

Clarissimum Virum,

D. REINERUM NEUHUSIUM, JC.

Gymn. Alcm. Rectorem.

PUlchra ALCMARIA, *ter beata, felix*
Ter ALCMARIA, *quò novem Sorores*
Pindi culmina contulere, & undam
Quæ doctos creat irrigatque Vates,
Accessit proprius tuusque Apollo,
Legum conscius, inclytusque fandi,
Et linguæ simul artifex disertæ,
Et rarus simul inclytusque Vates.
Hunc vitæ eximium ducem regendæ,
Hunc Vatem colat, exprimatque, & unum
Dicendi artificem colat Juventus.

DANIEL HEINSIUS.
cIↃ. IↃC. LVIII.

Digitized by Google

REINERI NEUHUSI, IC.

THALIA ALCMARIANA.

EXCESSUS

Illustrissimi, Fortissimi & Generosissimi

PRINCIPIS

GUILIELMI FREDERICI,

Com. Nass. &c. FRISIÆ. GRONINGÆ.

OML. ET. DR. Præfecti.

Postquam infeliciter propriis armis tractatis, & fatali sclopeti ictu vulneratus, piissime diem suum obiit Leoverdiæ,

CIↃ. IↃC. LXIV. XXI. Octob.

IRisiadæ Illustres, Quorum Fama inclyta Terris,
Extra anni Solisque vias, & Sidera Cœli,
Jam dudum geminos Factis impleverat Orbes,
Nassovium lugete *Ducem*! Lugete peremptum,
Communis *Patriæ Patrem*, Atlantemque Salutis,
Ereptum tanquam sacris penetralibus Ignem.
Auriaci Magni *Generum*, *Ameliæque Nepotes*,
Injustas, heu! lacrymas lugete cadentes, Im-

Digitized by Google

Immemoresque sui. *Decus* indelebile *Gentis*
Nassoæ, Guelphaque Domus, pars maxima *Regum*
Europæ, & *Frisiæ*, post tot Decora alta Parentum,
Eheu! pallentes Erebi concessit ad umbras.
In dubiis rebus, *Princeps Guilielmus* ademptus
Est nobis. Iterumque manu & *Ductore* caremus,
Si quando auxilium *Libertas Belgica* poscat
Injurias, Martemque novum. Proh! Concidit Ille,
Concidit Ille alter Fabius, Marcellus & alter
Concidit: Antiquos Frisios qui in Sceptra reponat,
Et Patrii Cineris Vindex, Fratrisque, Atavûmque,
Jam sese medium objiciat moriturus in agmen.
Prô dolor! occubuit, fatalibus obrutus armis,
Et propria se cæde necat, dum *Martius Heros*
Arma, satis sibi sueta, probat. Sed, pulvere cœco,
Tartareâque animam furtim exhalante Mephiti.
Nescius ipse sui, nec jam satis aptus ad arma;
Quæ solitus tractare manu, quando iret in Hostem,
Et gereret veteres adversum Bella Philippos.
Occidit Ille *Ducum Phœnix*, spes tanta Nepotum,
Auriacæque Domus Lumen, Columenque *Senatus*,
Et Frisii Tutela Fori: Protector Honesti,
Justitiæque tenax, & servantissimus Æqui.
Fatorum Lex ista fuit, Superûmque voluntas:
Quam turbare loco, Votisque avertere, nulli
Fas est in terris. Regum movet Æacus urnam,
Magnorumque Ducum. Nec sors hæc pauperis infra
Cæsareas Aquilas, & Majestate potentum est.
At tantâ *Pietate Virum*; Quem non timor unquam
Arguit indecorem, rigido in Certamine Martis,
Non acie in pulchrâ, aut castris, sed vulnere tali
Perdere, quis duri vel nunc sibi Miles Ulyssis
Temperet à lacrymis? Nec tu, *Leoverdia*, Fletus
Hic teneas: Planctusque tuos, *Groninga*, recuses
Funestis properare rogis. Quando ipse *Sicamber*,
Et *Morini*, *Tungriique* dolent: Mœstique *Britanni*
Has etiam, juxta *Batavos*, odêre Cupressos;
Et tota *Auriaci* misero stupet Aula tumultu,
Nassovidumque Domus; tali quæ fulmine tacta,

Paula-

Paulatim, vereor, concuſſo vertice, nutet,
Stratus humi tanquam palmes. Miſerêre Potentum
Fortunæ; *Deus Alme*. Tuæ miſerêre *Sionis*,
Iſacidumque Gregis. Nec faxis, *Belgica*, & ingens
Gloria *Naſſovidum* ſimul à radicibus imis
Exſtirpata ruat. Sed Claro hoc Sanguine ſurgant
Atlantes Generoſi iterum. Qui, fortibus auſus,
Pro *Patriâ* atque *Focis* nunquam ſe offerre remittant.
Scilicet, hæc fuerant, quæ nos *Fax* illa *Coruſca*
Præmonuit nuper. Quam non Bella horrida tantum,
Unica nec Peſtis miſerandâ eſt ſtrage ſecuta.
Sed tota eſt nobis unde Hydra renata malorum,
Tot Capitum. Cujus nondum ſatiata voluptas.
Friſiadæ Illuſtres, juſtum renovate Dolorem,
Aſcanioſque Illo genitos de ſanguine *Teucrûm*,
In *Friſia*, *Patriaque* diu aſſervate Salutem.

In Secundas Nuptias
Nobiliſſimi & Ampliſſimi VIRI,
D. JOANNIS à NYENBURCH, IC.
Illuſt. ac Præpp. DD. Ordd. Weſt-Friſiæ Præſidis:
ET
Nobiliſſimæ Præſtantiſſimæque Virginis,
IDÆ CROMHOUT,
Celebratas Amſteladami VIII. Kal. Martias,
CIↃ. IↃC. LVI.

EXtra anni ſoliſque vias ALCMARIA dudum
Iverat, Heſperiâ poſt tergum Calpe relictâ,
Et Muſis & Marte potens. Non unius orbis
Anguſti ſpatio quæ famam inſcripſit Olympo,
Victriceſque manus. Sed adhuc in ſanguine Laurō
Oſtendit, Tarteſſe, tibi; ſeſeque tuetur
Intrepidam Albanos contra, Vetus area Laudum
Heroum, & Batavâ pro Libertate cadentûm.
Hæc primos ignes jam tunc ſubjecit Amanti,

Et

Et Thalami ſpem certa dedit. Quo educere fœtus
Maturos, ſerâ & moliri in gente nepotes,
Ad Patriæ poſſes olim, haud inglorius, uſum.
Invênit ſpes iſta viam. Promittitur iiſdem
Auſpiciis, NEOBURGE, Tibi CROMHOUTIA, Conjux
Altera, non uno Fortunæ inſtructa paratu.
Par annis animiſque Viro, placitiſque benigna
Moribus; Ingenio nulli, aut Virtute, ſecunda.
Majorum Illuſtri ſerie, ac Natalibus altis,
Et Generis ſplendore, & avitâ in Stirpe Suorum,
Uſque potens. Qua non aliud Dîs AMSTELA majus,
Ex Paphiæ Templis, Saturni aut Æde vetuſtâ,
Munus ferre queat. Quamvis ſecurior ara
Egeriæ in vallem, Te Divûm ad limina ducat,
Idaliumque nemus, Virgo, tot Dotibus aucta,
Una Deos omnes, quos hîc, ad Tybridis undam,
Majeſtas arcana colit, certamine pulchro
Depoſcit, Laudumque ardet de jure paciſci.
Una ſuis Ithacum blandis quæ inflectat ocellis
Penelope, ac decimum ſponſos eludat in annum,
Fœminei exemplo ſexus. Quæ dignior omni
Electro, Regumque opibus, ſub Veſpere ſero;
Velleribuſque illis, Socios quæ mittitis, Indi,
Ad Batavos, huc Eoo de cardine Mundi.
Et, miranda Operum tantorum, in honore reponis,
AMSTELA: nunc gemino merces quæ dividis Orbi,
Æterni caput Imperii, Roma altera Terris;
Omnibus his plus eſt, CROMHOUTIA. Sola perenne
Quæ Pietate Decus, Dotem & meritur Honeſto.
Infra ſe ducens, quicquid plebecula vilis
Æſtimat, ac pretiis ſolitis expendit avari
Ambitione Fori. Quæ, de meliore metallo,
Unius obſequio Virtutis, & uniusauræ
Divinæ afflatu, pennis ſublimiùs acta,
In ſolo caſtos defigit CONJUGE vultus.
Gracchorum ut Matri ſimilis, fœcunda Nepotes
Ipſa ſuos patriis olim Virtutibus ornet:
Dum Populi aſſertor Brutus depugnat in hoſtem,
Commiſſoſque ſibi Cives vir Pace gubernat.

PIERI-

Digitized by Google

PIERIDES, Vos hoc Divûm referatis ad aures
Conjugium. Quo nunc, opulenti ad flumina Tyræ,
AMSTELA & ALMERIÆ Veneris, convallibus
IDEM
Conveniunt, pariterque genus, cum sanguine mi-
scent,
Fortunasque suas. In spem surgentis Iuli,
Ascanioque novos, tantæ incunabula Gentis,
Per veterum Fastos. Cœlo mandata referte,
Ut SPONSO SPONSÆque diu sua stamina currant
In Terris, Atroque novo se porrigat Hebe
Ad cyathos, crinemque secet Proserpina serò.
Donec, sponte suâ, Fatorum ex ordine, vitæ
Jam dudum saturos Annos, fractoque senectâ
Cum CHRISTO in cœlis maneat FELICIOR
ÆTAS.

In Natalem Septuagesimum Secundum

Nobilissimi Viri,

D. JACOBI à TEYLINGEN IC.

Cos. Senat. & Scholarchæ Alcmariani.

cIↃ. IↃc. XLI. V. *Decemb.*

DUm Batavi certant armis, & bella Tyranni
Expediunt, jurantque omnes in prælia gentes,
Et nusquam misero se pandit pacis asylum,
Annua solennes referunt Tibi sacra Decembres,
Inclyte TEYLINGI. Medioque in sanguine Martis,
Qui tantas Heroum animas sub Tartara misit,
Tot Regum subvertit opes, Tu Pallada curas,
Et vitam securus agis, claræque senectæ
Præmia & haud uno meruisti Laurea Phœbo.
Fortunate SENEX! ut Te, post multa laborum
Tædia, nunc blando rerum Fortuna paratu
Adspicit, & variis ornant proscenia Divûm

Digitized by Google

Muneribus! Tecum LIBERTAS aurea sumpsit
Incrementa sui, impatiens & ferre tyrannum,
Excussit servile jugum, melioribus addens
Auspiciis animos, certâ & spe pectora firmans.
Sacraque RELLIGIO, Satanæ sopita tenebris,
Effulsit meliore comâ. Verumque Fidesque
Descendit cœlo, Jovâ spondente serenum
Delubris arisque diem, Batavisque salutem.
Hos ita diversos casus tua respicit Ætas,
Aonidum TEYLINGE Pater. Nunc altera surgunt
Sæcula, & in Batavis Divûm admiramur honores,
Æmulaque Ausoniæ Belgarum nomina gentis.
Jam longè latéque solo dominamur & alto,
Nec simplex fortuna beat. Percurrit utrumque
NASSOVIUS. Mavors orbem, Victorque peragrat
Astrorum Solisque vias, quà Lucifer Indos
Urit, & Eois accendit lampada terris;
Quà Scythiam & gelidas Alpes devexit Olympus,
Parrhásique nitent glacialia sidera ponti.
Nusquam aberit Nassoa ratis, dum rebus agendis
Stat ratio, virtusque calet. Nam Patria ubique
Fortibus, & nunquam mens exulat hospita Belgis.
Ad majora sati, Regum sectamur amores,
Et vilis jam Sponsa domi est, jam fœdera nobis
Albion, & socios Thalamos promittit Ierna,
AURIACO vitâ incolumi. Sic pristina rerum
Mutavit nunc scena locum, Virtusque Batavûm
Celsior ad seros posthac itura Nepotes.
Felix, magne Virûm! Si post tot lubrica rerum,
Et varios mundi casus, tua duret in annos
Nestoreos virtus animi, nullamque Senectæ
Sentiat æternùm TEYLINGI gloria labem.

Nobl.

Digitized by Google

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND

à NYENBURCH,

Cos. Alcmariano & Scholarcha.

Kal. Jan. CIↃ. IↃ. CXLIV.

NOs canimus læti JANI bifrontis honorem,
Et Genio jam quiſque ſuo ſacriſque litamus,
Felices nimium Batavi, rebuſque ſecundis
Extra Fortunam ac rerum faſtigia rapti,
Icariis petimus ſtulti ſublimia pennis.
Neſcia deliciis animorum ponere legem
Mens hominum, atque inter fallacis gaudia mundi
Alternas meminiſſe vices. GERMANIA ſola
Quod ſatis edocuit, Phrygiis æquata ruinis,
Conclamata diu. Bojorum & maſcula virtus
Cæſareis protrita Aquilis, & ad uſque remotos
Dalmatiæ fines, & plus quàm barbara Ponti
Arva relegata. Et ſpatiis contermina cœli
Majeſtas, Palatine, tua. Hæc nos cernimus omnes
Impunè, & mediis remos lentamus in undis:
Nil moniti alterius damno, affectique periclis.
Securi quid ſera dies, quid portet Olympus,
Quid crinita ſuis portendant ſidera flammis.
Aut in vicino bellum civile BRITANNIS
Horrendi canat, ac dirùm crepitantibus armis
Trux ſecum Bellona ferat. Nos Sole ſub ipſo
Stertimus, ac molles in ſpondâ carpimus auras;
Ignari, quæ ſancta Sion ſuſpiria ducat,
Quam triſtes agitet gemitus ſub veſpereſero,
Et totas pulſet ſingultibus aëra noctes.
Quis ſcit, an adjiciant non iſtis noſtra ruinis
Sæcula Dî Superi, & fervens vindicta Tonantis
Evomat in Belgas rabiem; accenſuſque furore
Conturbet noſtros inviſâ clade penates.

Digitized by Google

Cum Tamesin pax alma colat, biliſque reſidat
Albionum, & placidos glutinet Concordia cives,
Fœderibus junctos iterum. Non Odera cæſis
Corporibus, fuſoque virûm jam ſanguine ſtagnet,
Et priſcam feriat Teuto cum Cæſare pacem.
Tum Rheno Moſæque Patri ſua reſtet Erinnys,
Atque alio Batavos cogat migrare colonos
In pejus mutata fides. Sic ſumma poteſtas,
Quæ ſervare modum neſcit, ſub pondere iniquo
Ipſa ſibi eſt oneri, magnis atque excidit auſis.
Ancipiti ſtas, Belga, loco, quando adſpicis omnes
Te circum caſus, juſtoque examine pendis
Auſpicium cœptorum operum. Flammam inter, & ignes
Suppoſitos cineri fallaci improvidus erras,
Non uni objectus Furiæ. Miſerere Salutis
BELGARUM, miſerere Deus. Præſaga malorum,
Undique quæ cœlum involvit nunc nubibus atris,
Averte à CHRISTI populo. Promittimus ultro
Nos monitis legum faciles, & ad omne paratos
Obſequium, cultumque Tui. Fac, magne Creator,
LIBERTAS, tanto Belgis quæ ſanguine conſtat,
Tartareos contra aſſultus, Maurûmque furores
Stet ſubnixa diu. Rurſumque in fœdera gentes
Belligeræ coëant, ac centum vincta catenis
Gradivi delubra fiant: Paciſque ſerenæ
Per terras iterum ſe blanda oſtendat imago.

Alcma-

Digitized by Google

Alcmaria Plorans,

In triſtiſſ. Exceſſum

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri,

D. CORNELII à TEYLINGEN,

Conſulis & Senator. Alcm.

Illuſt. ac Præpp. Ordd. Weſt-Friſ. Præſidis.

Æt. 49.

EHeu! quam *Batavis* lux hæc dedit una ruinam!
Quàm ſubitò facta eſt *Gloriâ* noſtra minor!
Dum *Patriæ* paſſim *Patres* gradiuntur ad umbras,
Et ſacri *Princeps Ordinis* ipſe ruit.
Nobilium dum grande *Decus*; Manus altera *Muſis*,
Teylingus, moritur, *Currus Equusque* meus.
Cujus *Avus*, vindex Albani ſanguinis olim,
Hæc iterum nobis *Mœnia* tuta dedit.
Securâ ut liceat *Portarum Clave* teneri,
Et non Panitio ſubdere colla *Deo*;
Vimque pati, *Tatteſſe*, tuam. Priſcoque ſub hoſte
Servitii veteris tam malè ferre jugum.
Poſteritas, hoc una Domus non labitur *Uno*.
Altius hoc penetrat Vulnus ad oſſa *Viri*.
Libertas, ſanctique Lares; *Tecta* ipſa *Sionis*
Hoc ſua, fatali ut Sidere, damna gemunt.
Octobriſque dies non tam mihi læta revertit,
Quam Læta hæc *Proavis* exſtitit illa Dies.
I, Præco, Lapide ex alto fer juſſa per Orbem,
Et dic: Hæc *Batavis* tota ſit *Atra Dies*.
Et *Lacrymis* præter nemo, præterque *Dolores*,
Lamenta & quiſquam *Publica* quidquid agat?
Efferimus *Columen* noſtræ *Atlantemque* Salutis,
Et Famæ, ô Cives, *Pignora prima* meæ.
Ac, vereor, nobis ne Funera tanta *Bonorum*,

Omnia

Digitized by Google

Omina majoris ſint quoque vera mali.
Paulatimque ſuos Superûm Clementia rivos
Claudat, & ingratis fons minus ille fluat.
Avertat tamen iſta *Deus*! per viſcera, perque
Hanc Dextram & Lauros *Alcmaria* ipſa rogo.

cIↃ. IↃC. LXI.

Lacrymæ Bergenſes,

In

Triſtiſſimum Exceſſum,

Illuſtris & Generoſiſſimi Heroïs,

D. ANTONII STUDLER, Equitis,

Senatoris Alcmariani, &c.

Bergarum in Kennemariâ

Toparchæ, piiſſime defuncti Alcmariæ,

Ipſis Kal. Jan. cIↃ. IↃC. LXVI.

NUper Ego, in Batavis, *Studleri Nomine*, Clara
Berga ſteti, mediiſque Caput ſublimius Aſtris
Extuleram: nulli jam tunc certamine Laudum
Inferior. Cœlo tenus, exſpatiata per ipſa
Templa Deûm, Superûmque domos. Ubi candidus Æther
Perpetuis fulget radiis, & luce ſerenat.
Hoc pulchro Auſpicio, *Divini Heroïs*, agebam
Finitimos inter cunctos, pollenſque potenſque,
Invidiam ſupra, & dentem Livoris iniqui.
At nunc *Fatorum*, heu! Furiis & Fulmine tacta
Spes mea, *Berga*, jacet; jacet, heu! Spes noſtra Decuſque,
Spes, heu! noſtra jacet. Quando dedit ampla ruinam
Studleri Domus, & Tanti cecidere *Penates*:

Nunc

Nunc Fauni, Dryadeſque dolent; nunc Mænala ceſſa
Ingeminant duros planctus; triſteſque Napææ
Ilicibus tacito ſuſpendunt pectine chordas,
Et Pan Arcadico queritur ſe judice victum.
Ruri nullus honos; nullus, qui gramine læto
Paſcit Oves, cogitque feros in retia Cervos.
Flent Agri circum, muſſant ad aratra Coloni,
Stat mutum Pecus in ſtabulis; Vox ipſa remittit,
Inque tuas fas eſt iraſci, *Jane*, Calendas.
Ipſos Quadrupedes, ſtare ad præſepia mœſtos
Crediderim, *Dominumque* ſuum jam poſcere tergo
Seſſorem, ac fruſtra ſuetos ſibi ſcandere Currus
Porticibus vacuis: Longe proſcribitur unde
Et Venus, & Charites, & quæ Convallibus iſtis,
Nobiſcum toties *Divæ*, ceciniſtis ad auras.
Proque meo *Phœbo*, nunc ipſa Silentia terrent,
Ipſa ſuas damnat ſacras Sapientia voces:
Tænarias tanquam fauces, atque Oſtia Ditis,
His etiam naſci in terris miretur *Apollo*.
Hoc iterum Chaos, & ſpiſſâ caligine nubem
Studleri Mors atra tulit. Quo *Sidere* nobis
Erepto, paſſim in tenebris, & Nocte profundâ
Erramus, totidemque novas offendimus Umbras.
Hos tamen haud ſolum patitur nunc Funeris ictus
Berga ſuos. Etiam Veſtro de Vulnere Sanguis,
Almeriæ Proceres, fluit hîc, Batavûmque *Senatus*
Auguſte. In Quorum Roſtris Suada iſta potentis
Eloquii toties pro *Libertate* loquuta eſt,
Quando aliquid Magni *Patrum* Conſulta ferebant.
Ad plures Dolor iſte venit, cum ſumma Virorum
Sternuntur Capita, & Majeſtas occidit unà,
Imperii, ac vitiis hominum vindicta paratur.
Hoc unum miſeros rebus ſolatur in arctis,
Quod *Phœnix* iſto *Patris* de Funere Nobis
Reſtet adhuc. Cujus ſub Tegmine *Nominis Alti*,
Auſpiciiſque piis, & vitâ inſigniter actâ
Floreat Illuſtri *Bergarum* in *Gente* Poteſtas.

Digitized by Google

Lacrymæ

In

Tristissimum Obitum

Incomparabilis Viri,

D. THEODORI à VRYBURCH, M.

Publici Ærarii Tribuni. Cataractarum, per Noort-Holl. & West-Frisiam, Provinciæ Præfecti,

Consulis. Senatoris. Scholarchæ.

Alcmariani.

SIc etiam *Alcmariam* magno in mœrore relinquis,
Vryburgi, ô Animæ portio chara meæ.
Destituisque *Pios omnes*, hoc funere acerbo,
Hinc, inde Auxiliis, Consiliisque tuis.
Et *Patriam*, *Patriæque Patres*, *Patriæque* salutem
Eheu! in mediis deseris usque malis.
Non sese angustis spatiis Dolor iste coërcet,
Aut brevibus claudi finibus ille potest.
Plus ultra tendunt Lacrymæ. *Batavia* tota
Luget, & in planctus non satis una Domus.
Omnes in Fletum Musæ solvuntur *Athenis*,
Et *Latio* supereſt nil nisi triste queri.
Curia Consiliis jam nunc vacat, Exule tanto,
Atlantemque suum, *Præsidiumque* dolet.
Quo modo jam *Sextum* Respublica *Consule* Pompas
Duxerat, ac fido sub Duce *Troja* stetit.
Invidiam contra, & dentem Livoris iniqui,
Ipsos Semideos quæ solet umbra sequi.
Quantum est, ô *Proceres*, quod non in Manibus istis
Perdimus? exstincta est Lampas ut illa Jovis.
Quod *Patriæ* induxit tristi caligine noctem:
Unde suum, vix est, quæ ferat, hora, diem.

Quid

Digitized by Google

Quid loquar, aut fileam? ſtupet hoc in vulnere Vates,
Et tota exanimis noſtra *Thalia* jacet:
Egeria in ſacris, ſanctique in *Apollinis* Æde
Tam ſibi propitios nunquam habitura Deos.
Almeria Cives, Tuque ô pia turba, *Senatus*,
Proſequere *Hunc* lacrymis nocte dieque *Virum*.
Sub Cujus toties, quando gravis ingruit imber,
Palladio Pietas ſartaque tecta fuit.
Præcedunt noſtræ fatali in pulvere Muſæ,
Et quos in Patriam nobilis ardor agit.
Occubuit Veteris Recti Cœleſtis Imago,
Conſtans in Rebus, Tertius ipſe Cato.
Occubuit, nunc Phœbo ipſo ſua damna loquente,
Occubuit Batavæ Simplicitatis Honos.
Et vere, ut pridem Cognato in funere dixi,
Alcmariam nimium *Fata Sinistra* manent.

Ipſis Non. Jan. cIↃ. IↃC. LXIV.

In

Conſulatum Ultimum.

SIc, Sextum, *Vryburge* Tibi Reſpublica Faſces
Credit, & Imperium vult niſi tale pati.
Hoc quod fallacis quæſitum haud artibus ævi,
Sed toties ultrò, Civis amore, datum.
Felices illi populi! quos, talibus Aſtris,
Conſilio in Batavûm, reſpicit æqua *Themis*.
Tuque mea *Alcmaria* inprimis: Cui, luce ſerenâ
Et pulchro hoc iterum Sidere, natus Honor.
Magne Potenſque *Deus*, pro tanto hoc munere nobis
Conceſſo, par eſt Gratia nulla Tibi.

Ipſis Natalitiis Chriſtianæ
Salutis cIↃ. IↃC. LXI.

Strena Ultima.

VIximus, & vitæ nobis pars magna peracta eſt,
Mecœnas. Sed, laus Superis, non futilis ævi
Viximus ad morem. *Pietas*, cultuſque Deorum,

Digitized by Google

Primum, quod placuit nobis: Sola Anchora rebus
In dubiis. Quibus, ut pennis nitatur in altum
Nec semper Mens serpat humi, Reverentia *Musis*
Addita, & *Aonidum* sumus ausi intrare Penates,
Secessus &, *Conse*, tuos. His usque Trophæis
Stamus adhuc; fortemque Animum, Livore subacto,
Invictasque manus etiam ipsâ in Morte tenemus.
Magnanime Æneæ, pudor est dare vela retrorsum
Oceano. Quo sacra Deûm, quo maximus ardor,
Et famæ nos aura vocat; pergamus eodem,
A puppi spirante Noto. Spolia ampla supersunt
Infractis hôc Marte Viris. Spes ipsa Nepotum
In Batavis, tanto rerum molimine crescet
In majus. Nunquam caruit successibus audax
Iapeti Genus, ut Cœli se in parte locaret
Jam medium, Superûmque domos ac regna teneret.
Hæc placuit coram Phœbo, Vir Magne, jocari,
Liminioque Deo. Qui si, *Te Consule* Nobis
Propitii redeant, faxim, pia *Vatibus* agna,
Candidulique cadant divina tomacula porci.

Ipsis Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXI.

Ad

Nobilissimum Virum,

D. ANTONIUM STUDLER,

Bergarum in Kennemariâ

TOPARCHAM.

Cum Hagis ad me mitteret Versus Laureatos,

De

Fusis Fugatisque Britannis.

NOBILISSIME VIR:

QUas mittis nobis *Lauros* ex hoste *Britanno*,
Hæc *Laurus* toto pectore grata fuit.
Cum quâ non mutem *Pactoli* divitis aurum;
Non gemmas omnes, quas vehit unda Tagi.

Belgica

Digitized by Google

Belgica Libertas isto sub tegmine *Lauri*
Jam pridem visa est Fronde virere novâ.
Et rursum in patulas auras attollere frontem
Lætior & cunctas ire per orbis aquas.
Carolus has nobis, quas prendimus, invidet Arces,
Nec poterit stomacho concoquere ista suo.
Qui supra cœlos ipsos, supra iverat *Astra*,
Nec scelerum *Ulterem* credidit esse *Deum*.
Qui non naturæ contentus finibus ipsis,
Se penes *Imperium* judicat esse *Maris*.
Haud aliter quàm si, veterum de more Gigantum,
Turbaret magnum, prò pudor! axe *Jovem*.
Discite *plus ultra* non unquam tendere, *Reges*,
Non Regum patitur sceptra superba *Deus*.
Terrarum in Dominos nutu *Deus* imperat unus,
Cûi soli Terræ, cûi famulantur Aquæ.
A quo fonte fluit, quod de *Temone Britanno*,
Stratus humi ut palmes, *Carolus* ipse cadat.
Ascue, quod possis è carcere scribere *Regi*,
Et, *Barclaje*, tuâ morte docere tuos.
Ut videant, quam sit frustrà se opponere Fatis,
Et legem Omniscii ludificare Dei.
Salve, *Ancile novum*, delapsum ex Æthere summo!
Præsidium Batavis dulce, Ruytere, meis.
Salve, ô Belgarum Decus insuperabile, *Trompi*,
Heroës Ambo, Marte fideque pares.
Vos Genti Isacidûm *Moses & Josua* facti;
Vos verè, in terris, *Currus equusque* Dei.
Vobis debemus partos hos jure *Triumphos*,
Vobis æternum hæc debita *Laurus* erit.
Et Superis placuit per vos hæc edere facta,
Orbis quæ geminus cum ratione stupet.
Forsitan, in tales servati protinus usus,
Cæsa etiam ut *Pacem* & *Fœdera Porca* ferat.
Christiadæque omnes, conjunctis viribus in se,
Fortius auspiciis in *Babylona* ruant.
Et cunctos doceant *Exemplis Talibus* Hostes,
Nitatur semper quod *Bona Causa Deo*.

cIↃ. IↃC. LXVI. Idib. Julii. *Epita-*

Digitized by Google

Epitaphium

In

Triſtem Exceſſum,

DD. FEYONIS à SCHELTEMA,

Collegii Maritimi per Friſiam

SENATORIS GRAVISSIMI. &c.

ALMERIÆ nuper NATI ploravimus Umbras,
Cum mea tota Domus, mœſtaque Pallas erat.
Nobiliumque Cohors FRISORUM, in ſyrmate longo,
Hos tales fieret, non ſine jure, rogos.
Aſcanium ſequitur, fatali ex lege Tonantis,
Nunc, Patriæ & Patrum, Gloria, FEYO Pater.
Quam cuncti lugent, quos ardor tangit Honeſti;
Quos Veri conſtans urget & urit amor.
Felices Animæ! quibus hæc eſt ſcena peracta,
Æternique patet janua celſa Poli.
In Terris nihil eſt, quàm turbida Mortis imago;
Quàm rabidæ Febres; Peſtis & ira Deûm.
Et Furiæ, quibus inde Forum, quibus Ambitus illinc
Accendit variis pectora noſtra malis.
In Cœlo FRANCISCUS agit, meliore Magiſtro,
Et diſcit quanti noſtra ſit empta Salus.
Et Tu, Magne Virûm, SCHELTMANO à Sanguine Splendor,
Hîc cernes, Magnum quàm ſit in Orbe Nihil:
Deſpiciens omnes fumoſâ in ſtirpe Coronas,
Et fluxas vanæ Nobilitatis Opes.
FRISIA contulerat meritas ex ordine Lauros;
Sed nondum Meritis hæc tulit æqua tuis.
Nunc Cœlum majora dedit. Quando inclyta Virtus
Ingenii pretio Te ſuper Aſtra tulit.
Diſcimus Exemplis iſtis juveneſque feneſque,
Hoc tali vitæ claudere fine diem.

CIↃ. IↃC. LXVI.

In

Digitized by Google

In Obitum
Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri,
D. THEODORI à NYENBURCH,
Reip. & Eccl. Alcm.
SENATORIS EXIMII.
Ad
Fratrem Unicum
D. JOHANNEM à NYENBURCH,
Cos. Alcm.

SIc Mors Auguſtos auſa eſt intrare Renates
Et turbare iterum tecta Latemque Dei.
De medio Procerum, cum non pudor admonet illam,
Triſtia NYBURGI rumpere Fata Domus.
Virtutemque ipſam, nec non Decora alta Parentum
Mittere decretis ſub juga aliena ſuis.
O nimiùm nobis Batavis Sors aſpera! Quando
Præcipuâ haud pareis Nobilitate Viris.
A quibus exemplum Pietas cœleſtis habebat,
Relligioque ſuum fœnoret ipſa decus.
Et quorum Auſpiciis, corrupti his moribus ævi,
Sæpius auxilium Publica cauſa ferat.
In vulgo facilè invenias capita improba: quorum
Non ſatis in pœnam funere ſanguis alat.
Ut non, tam longè vitiis graſſantibus, Unum
Hunc ſaltem è vivis aggrediare Virum.
Debuerat Fati non legibus ille teneri,
Quam ſupra cunctos uſque probârat amor.
Et non præſentis ſæcli ſeduxerat error;
Aût inconſtantis moverat aura Fori.
Debuerat Pylios & Neſtora vincere, quiſquis
Hac tali in terris vixerat ante Fide.
Id metuo, ne quid nobis fatalibus Aſtris
In Batavis iterum deſtinet alta dies.

XI. *Kal. Novemb.* CIↃ. IↃC. LXIV.

Muſæ

Digitized by Google

Musæ Plorantes,

In

Tristissimum Obitum,

Clarissimi, Doctissimi, Literatissimique

Viri,

D. JOHANNIS GESTRANI, Med. D.

Et

Inclytæ Reip. Alcm. Archiatri.

ERgò etiam in Fatis, ut, pullâ in veste, Camœnæ
Extremum hunc, GESTRANE, tibi solvamus honorem,
Perpetuisque tuas decoremus floribus umbras,
Suppliciter tristes. Quæ vix hinc amplius ausæ
De nobis, Medicoque aliquam sperare salutem
Corporibus. Tuus ille animi tam dexter Apollo
Curandique Homines, divina potentia, terras
Destituit tandem. Veteresque uno ordine Achivos,
Helladaque, & totam rapuisti Phocida tecum
Sub tenebras. Pauci ut superent, quibus enthea mentis
Vis vigeat, magnique aliquid præcordia spirent:
Tristior unde suas febres solabitur æger.
Jure ire in lacrymas, & fletus ire jubebor
Infelix. Nam tota domus Phœbea fatiscit
Mole suâ, & cunctis casum excidiumque minatur
Illa dies, quâ nos Divûm delubra subimus
Atrati pariter Proceres, pariterque Juventus
Aonidum. Juxta effigies, claroque Virorum
Attoniti stantes tumulos. Mentemque manumque
Dejecti, vix officiis solennibus istic,
Quod satis, ô Thymbræe Pater, defungimur. Olim
Scilicet, hæc nobis dederat cœlo Omina Titan,
Majoris præsaga mali. Tamen hactenus ipsos
Non tetigit Mors sæva Deos, Socioque Deorum,
Ingenuos Phœbi Vates: Quibus illa pepercit,
Numinibus. Donec tandem, cum fœnore multo,

GESTRA-

Digitized by Google

GESTRANUM, sacræ turbæ, sanctique Senatus
Prosternit Caput. Et cunctas, cum Pallade Lauros
Inde MACHAONIIS langueſcere fecit in Hortis.

cIↃ. IↃc. L.

In Obitum
Nobiliſſimi Viri,
D. CORNELII ab EGMOND, à NYENBURCH,
utriuſque, proximi Alcmariæ lacus, Wartæ
& Schetmeræ, Aſſeſſoris.
Ad
Maſtiſſimum Patrem
D. THOMAM ab EGMOND, à NYENBURCH,
Cos. Alcm. &c.

FLevimus, Heu! Charæ nuper Tibi Conjugis um-
bras,
Mecænas, triſtis noſtraque Muſa fuit.
Cum plus quàm geminos Manes Domus una doleret,
Jamque minor tantæ Gloria ſtirpis erat.
Erepto Alcmariæ Magno tunc Conſule Fratre,
Præcipuâ Tecum Nobilitate Viro.
Continuant ſortes iſtas adverſa Deorum
Numina, & in pœnas incubuêre novas.
Quando fatali nunc rurſum concidit ictu
Ille, meo quondam in pulvere, primus Eques.
Aſcanius tuus ille, olim ſpes, gloria Gentis
Inclyta, & EGMONDÆ lauſque, decuſque Do-
mus.
Evaſit tuus, en! mundi ludibria felix
FILIUS, & Cœli celſa Theatra tenet.
Aligerûm raptus ſacris ſuper ardua pennis,
Nubila, in adſpectum contuitumque Dei.
A multis ſæcli maculis monſtriſque remotus
Longius, optatæ gaudia Pacis agens.
Non cernens oculis, hîc quid multitia peccent,
Perque malas artes, Ambitio ipſa, pares.
Hæc mera Libertas. Hæc ipſâ in morte Trophæa;

Hoc

Digitized by Google

Hoc ſpolium, victo quod quis ab Hoſte ferat.
Cùm quibus haud Regum Faſces, Decora alta Parentum,
Sceptraque ſunt titulis æquiparanda ſuis.
Vidimus Alciden mox hunc pugnare Tonantis
Auxilio, & fortes ſtringere in arma manus,
Atque ipſas Erebi precibus convellere portas,
Et ſibi tot votis ſternere ad Aſtra viam.
Nil metuens duros animo tolerare labores,
Stet modò, per Chriſti vulnera, certa Fides.
Plus ultrà pugnat: Donec Victoria parta eſt,
Et geminis alis evolat illa ſuis.
Interea dubiis nos hîc jactamur in undis,
Incerti quò nos Pontus & aura ferant.
Victima Mavortis, per proxima bella futuri,
Aut, forſan, telis, Tiſiphone, atra tuis.
Tu, NEOBURGE Pater, Nato gratâre triumphos,
Cumque illo cupias ſic bene poſſe MORI.

CIↃ. IↃC. LXIV.

In Obitum

Amplissimi & Consultissimi Viri,

D. CORNELII SCHAGEN, Med. D.

Illustri Reip. Alcm. à Secretis & Consiliis.

Ætatis LXV.

QUò tua, prô! tandem Sors nunc, *Alcmaria*, vergit?
Quò Legum Pietas, quò tuus ibit Honor?
Paulatim emoritur Majeſtas illius Urbis,
Pridem quæ magni Delicium Orbis erat.
SCHAGENIO moriente ruunt tabulata Salutis
Publica, & Auguſti Nomina clara Fori.
Neſtoris in morem, moderantem fræna Theatri
Attoniti toties Quem ſtupuere Patres.
Deſiit Hic Neſtor magnæ in conſeſſibus Aulæ,
Deſiit & Patriæ verba diſerta loqui:
Quando opus in Batavis nunc Defenſoribus iſtis,

Qui

Qui Martem gladiis, nec minus ore gerant.
Loricam hanc ſacram quis nunc ſibi poſcet Achilles?
Atque iſtos Cæſtus ſumet & arma ſibi.
Belgica dum variis agitatur Cymba procellis,
Tutaque ſunt nobis vix ſatis arma domi.
Albionum Furiis hinc inde minantibus iras,
Quæ multo pulſant pectora noſtra metu.
Heu! quantùm patitur Reſpublica Funere ab iſto!
Quàm Cœlum hoc ſolitæ deſtituêre Faces!
Hunc decuit ſupereſſe Togæ, ſupereſſe labori
Longius, & Patriæ conſuluiſſe ſuæ.
Quam nox non uno tenebrarum involvit amictu,
Et nunc, inductis nubibus, atra tegit.
Exequias iſtas, Cives, & grande Cadaver
Haud ſatis ad tumulum ſufficit uſque ſequi.
Altius hæc penetrant. Totus tremit Ordo Senatus,
Et nemo à Lacrymis temperat inde ſibi.

cIↃ. LↃc. LXV.

Piis Manibus
Fortiſſimi & Excellentiſſimi
Heroïs,
D. ERNESTI aB AYLUA,
Friſiæ Militiæ
Chiliarchæ Strenuiſſimi.

DUm Batavo gliſcit Mavors terrâque marique,
Et rurſum forti bella gerenda manu;
Auriaci nobis ſperandus militis uſus,
Qui toties fregit divitis arma Tagi.
Et nunc adverſum furias Papalis Erinnys,
Albionumque paret prælia dira manus.
His opus eſt caſtris, hôc ære atque Ægide: quando
Non unus noſtras Hannibal ante fores.
Naſſovidûm Virtus ipſo de marmore duro,
Et mediis iterum eſt elicienda rogis.
Ut Patriæ Patribus, Libertatique Batavûm
Auſpi-

Auſpicio Superûm, proſpera cuncta fluant!
Ayluana Gentis Pietas, & nobilis ardor
Hoc voluit rigidi ſiſtere Martis opus;
Ut, benè compoſitis rebus, ſub Pace ſerenâ,
Et patulæ fagi tegmine Belga foret.
Erneſti hæc humeris, Atlantis more vetuſti,
Inniti moles Bellica viſa fuit.
Sed, Fati vis major agit tranſverſa Piorum
Sæpius in terris vota, fidemquè Fori.
Nec fas ex toto famæ pertexere ſummam,
Propoſitique ſui demeruiſſe decus.
Ayluani Proceres, quibus eſt *Dîs æqua poteſtas*,
Pulchrior hoc vobis funere partus honos.
Friſiadûmque Labor Cœli ſe terminat *Aſtris*,
Pro Patriâ hi tales cum cecidêre *Duces*.

XII. *Kal. Jan.*
CIↃ. IↃC. LXVI.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT à NYENBURCH

Conſuli & Senatori Alcm. &c.

Scholarcha.

TErra poluſque coit Belgarûm in fata. Ruinam
Spectamuſque oculis quiſque malumque ſuum.
Et ni corripiat populos in bella furentes
Omnipotens, cuncti turba miſella ſumus.
Nec facile eſt caſus iſtos ſuperare ferendo,
Aut lacrymis planctus æquiparare ſuos.
Fanda, infandâ ferunt juratæ in fœdera gentes,
Menſurâque ſui jam mala noſtra carent.
Indomitos olim ſtetimus gens maſcula contra
Finitimos, furias, trux & Ibere, tuas.
At nunc diſtrictas non unâ parte ſecures
Cernimus, & cuivis vulnera noſtra patent.
Uſque adeo, ut nulli ſit formidabile, honeſto
Ante ſuos caſus, funere velle mori.

Digitized by Google

Hæc vulgi eſt animis paſſim ſententia fixa;
Hæc vox eſt populi, judiciumque tui.
Nos meliora Deûm ſperamus Numina Vates,
Numquam infelices qui ſumus ante diem.
In lætis vigil excubitor, qui temperat horas,
Moliturque ſuâ ferrea ſceptra manu:
Qui poterit ſolo vel nutu ſternere Reges,
Et magnos unâ voce movere Duces.
Hic etiam imponet bellaci fræna Britanno,
Pontificemque trucem ſub juga fortis aget.
Jane, tuis, ſpero, auſpiciis, hæc proximus annus
De cœlo nobis donet & acta probet.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVI.

Pro Auſpicio Novi Anni

CIↃ. IↃC. LXVI.

Ad

Nobiliſſimum Virum,

D. JOANNEM à NYENBURCH,

Conſulem & Senat. Alcm. &c.

Scholarcham.

SÆcula jam nobis, *Mecænas*, aſpera ſurgunt,
Et tota humano ſanguine ſtagnat humus.
Hinc, inde *Albionum* populo minitante ruinam,
Tanquam fatali in limine *Belga* foret.
In commune malum variis coëuntibus hydris,
Quæ turbant armis otia noſtra feris.
Ut non cum ſolo vigeat Mars Rege Britanno,
Tarpejuſque furens Bella Miniſter agat.
Plurima ſed noſtris incumbunt Numina terris,
Iſtrumque ſatis non Deus unus habet.
Non aliter quam ſi facti nos fabula Belgæ,
Et ſpolium toties hoſtibus uſque novis.
Adde iſtis, numero majora, domeſtica monſtra,
Quæ noſtrûm in tacito pectore quiſquis alit.

Hæc,

Digitized by Google

Hæc, ô *Mecænas*, mala ne contagia serpant
Longius, æthereo fixit ab axe Deus!
Albion in Martem ruat infelicibus Astris,
Inque sui properet Fata siniſtra premi.
Cui sese adjungat, comes infelicis Ulyssei,
Ille *Lupercorum* de grege *milvus* edax.
Sic erit ut nobis Cœlo nova sæcula currant,
Et res in Batavis stent meliore loco.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVI.

In Honorem Nuptiarum

Nobilissimi Viri,

D. PHILIPPI LANSCHOT,

I C. Advocati : &

Nobilissimæ Virginis,

RACHAELIS SOUTHOLM.

SIc meritò Themidos vobis Oracula sordent
Pieridum, LANSCHOTE, Decus: Confique Tribunal,
Et sacrum augustâ metuendum voce Senatum
Diva Vacuna tenet. Quando RACHAELE sub una
Mutescunt Musæ, & Citharam suspendit Apollo.
Cum Tripodum vox nulla sonat, responsaque Delphis
Sacra silent; Dominâ litem faciente Dione.
Totus Sponsa Labor tuus est. Tibi facta Puella
Pulpita, & in molli labrum fixisse Juventâ,
Hoc Studium. Reus est, castum qui ejurat amorem:
Legitimosque toros violans, & conscia lecti
Numina, professus divinæ Conjugis usum.
Ergò jam pridem mutata est Judice toto,
Orchestra, & Musas tristi Venus æmula mactat
Exilio. Leges; LANSCHOTO Judice dictat
In Thalamo RACHAELIS Amor. Succumbitur Aulæ
Cypridos, & Latias proscribunt Oscula Leges.
Conduntur nunc Jura Tori. Lex imperat, uni
Associet

Digitized by Google

Associet se virgo viro. Concordia glisçant
Fœdera: nec tædas violent adversa jugales
Fata Deûm. Spurcique absit dictator Amoris
Improbus: ut generosa virûm virtusque Parentum
Accedat Pylios, volvendis mensibus, annos.
His nuper flammis, & Amorum percitus igne
AURIACUS, totum rigidis suspendit in armis
Gradivum. Tunc nulla sonant per castra tumultus,
Non lethale manus ferrum, non missile telum
Asperat in rabiem. Triplici miramur in Ostro
NASSOVIDEN, suetum bellis armisque coruscis
Imbellem sacris Hymenæi advolvier aris.
Lemniaco sic igne Deus Genialis adurit
Pectora Terrigenûm. Nec, qui sapit omnibus horis,
Cæco in Amore sapit. Pariter deludimur omnes,
Protinus ut tacitos intrat Virguncula sensus,
Idaliusque sui fulmen vibravit amoris.
Sed, felix LANSCHOTE nimis! Qui triste Tribunal,
Verbosumque Forum, & mendacis Jurgia Codri
Permutas RACHAELE piâ. Tetricique Catonis
Grande supercilium blandis deponis in ulnis,
Purpureoque sinu sponsæ. Quàm mollia fandi
Tempora concedit Vati SOUTHOLMIA virtus:
Nec sonti Gyaros, latebrosi aut carceris antrum
Decernit Judex. Ubi nil, quàm Gaudia læta,
Halcyonumque dies, & tardæ Sidera noctis
Pronubus ille Puer votis præscribit Amantum.

Nobilissimo Viro,

D. CORNELIO SONNEVELT. IC.

Senat. & Cos. Alcm.

Cum ipso die natali vitæ periculum evaderet.

SIc tua, SONVELDI, fausto Natalia nuper
Omine præluxit Titan, Clarumque dedêre
Nominis augurium de cœlo Oracla, sub ipsis
Lucinæ sacris. Quæ lux penè una fuisset
Par vitæ mortisque parens, eademque Sepulcri

Digitized by Google

Janua, quæ vitæ blandos indulſerat hauſtus.
Auſpiciis, ô Magne Virûm, ſervate ſecundis,
In Patriæ commune bonum, Sanctæque Sionis
Præſidium. Tales longùm trux Atropos urnas
Oderit, ac centum nodis adſtringat ahenis.
Nec jus faſque ſiat Nemeſi tam clara Virorum
Nomina, & ingentes animas detrudere ad Orcum.
Sunt quos Fatali damnet Rhamnuſia letho;
Sunt, Bacchi Veneriſque greges, turpeſque Luperci,
In quos jure ſuas Minos exerceat iras.
Illis vita levis, facile & reſecanda. Nec ullos
Hinc patitur Phœbus manes. Hîc Delphica plorant
Atria, & antiquis incumbit Roma ruinis,
Si non Pieridum Myſtis, Procerumque ſaluti
Parcitis Eumenides. Tunc nobis occidit, omnis
SOL radiis, cœlumque atris immergitur umbris,
Deficiente Deo. Superi ſervate Camœnas
In Batavis. Longumque Viris & Vatibus iſtis
Conſtet Honos nomenque ſuum, quod Juppiter alti
Trans mundi evexit ſpatium, cœloque locavit.
Hos inter clarâ, SONVELDI, luce refulges,
Ingenio & Virtute tuâ, quâ, Solis ad inſtar
In cœlo, Tu nunc Batavâ in Tellure coruſcas.
Vive diu, VIR Magne, precor Natalibus illis,
Auſpiciis & mactæ tuæ Virtutis, ut Artes
Palladias, Civeſque tuos in tuta reponas (Muſis
Otia, & ALCMARIAM repetant, TE CONSULE,
RELLIGIOque ſuum temerata inſtauret honorem.

In Obitum

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Doctiſſimi Viri,

D. JACOBI à TEYLINGEN, IC.

Conſulis, Senatoris, Scholarchæ Alcmariani.

cIↃ. IↃCXLIII. *prid. Kal. Sept.*

SIc meritò triſti ſordes ALCMARIA luctu,
Et vacat à curis, Curia toto ſuis.

Nec

Nec fas in populi litem TRIA VERBA Senatum
Ferier. Hîc altum jurgia cruda silent.
Judicis has partes agit Æacus. Impiger urnam
Qui movet, & sortes elicit inde suas.
Qui facit, involvat tacitum cortina tribunal,
Et Consi fileat Numen in æde sacrâ.
Mutemusque omnes TEYLINGI in funere vestem,
Sentiat atque sui vulnera quisque mali.
Heu! quibus infelix animos Proserpina curis
Concoquis, & telis pungis acerba tuis.
TEYLINGI nobis mors est non unius Urbis:
Hæc secum multas contrahit urna neces.
Hoc rursum *Pietas* nunc Funere pulsa recessit,
Et mox à Templis exiit alma *Fides*.
Simplicitasque fugam celerem molitur: & ipse
Posthumus in terris reppetit astra *Pudor*:
Cum quo tot morimur Musæ; tot nomina sacra
Pieridum: Cives, Rostra, Lycea, Scholæ.
Et pubes tota in lacrymis, queruloque fatiscit
Murmure, præsidiis hactenus orba suis.
Sic est: occasum Solis, sive adspicis ortum,
Nemo Fatorum ferrea jura fugit.
Omnia trux violat Lethum: Censumque Genusque
Proterit: hîc nulli sistere sponte datur.
Prævia Naturæ lex est: sub Tartara cogi,
Et bibere Ætnæo pocula plena mero.
Huc rapimur cuncti, cunctorumque urna movetur;
Et quicquid retro est, mors Erebusque tenet.
Rara sed Elysios TEYLINGI fama per agros
Errat, & à Fatis nomine major ovat.
Mens ubi compedibus non irretita malorum,
Libera cœlesti pascitur Ambrosia.
Quæ sese Empyreis hinc felix inserit astris,
Et coram in cœlis sidera cuncta notat.
Manè rubescentes Auroræ conspicit ignes,
Utque solet Phœbi surgere nocte soror.
Cernit Amiclæos, Ledeïa sidera, Fratres;
Tollat ubi gelidum Parrhasis Ursa caput,
Et sua detorquet glacialis plaustra Bootes,

Et sese Oceani mergit Orion aquis.
Omnia Cœlorum supra TEYLINGIUS astra,
Aliger æterno pendat ab ore Dei.

EPITAPHIUM.

Hîc Ego, post vitæ Scyllam, infestasque Charybdes
TEYLINGUS posui corpus & ossa rogis.
Detestorque libens, quos mundus spondet honores;
Nil ubi, quàm fallax fascinat ora fides.
Et virtus dudum cum Virgine pulsa recessit,
Ac Pietas paucos intemerata manet.
Hunc vesanus honor' nocteque diesque fatigat;
Illum sollicito torquet in ære labor.
Sunt, quibus hostilis grata est injuria linguæ,
Et lis alterius diffidiumque placet.
Has tempestates inter tutela Clientum
Fluctuat, at lites lite rependit Eris.
Me nunc cum magno delectat Numine vita,
Et malè pacati displicet unda fori. (stro,
Gratia, CHRISTE, Tibi: quod nunc, meliore Magi-
Proficeor Divûm grande Salutis opus.

Nobilissimo Viro,

D. THOMÆ ab EGM. à NIEUBURCH,

Consuli & Senat. Alcm.

SCHOLARCHÆ designato.

MAgne Virûm, Patriæ curas qui in pectore volvis
Jugiter, & nullâ pateris torpescere vitam
Segnitie, aut molles inglorius exigis annos.
Qui vivis non Ipse Tibi, pro moribus ævi,
Quando quisque suum Genus & Natalia jactat;
Sed tantùm commune juvas, melioribus orte
Auspiciis, & grande decus postponis Avorum
Consilio populi, tutoque in pace Quiriti.
Magne Virûm! tua dum latè Prudentia regnat,
Et virtus roburque animi se terminat astris,
Thymbræus dat sceptra Tibi, doctamque Minervam
Credi-

Digitized by Google

Credidit, ac ſacræ Pubis moderarier Ædem,
TEYLINGI poſt Fata, jubet. Siç crederis Unus,
Qui fragili Almeriam non tantùm in Lumine pictam,
Sed vis ingeniis florentem, & Pallade vivâ
Immortale ſui nomen tranſcribere ſæclis.
Magne Virûm! nate in tutelam haud unius ævi,
Nunc etiam, tantos inter ſublimis honores,
Non dedigneris Phœbi delubra tueri,
Aonioque humeros iterum ſupponere colli.
Aſpicis, ut eladem Cannenſem paſſa juventus,
Et duplex jam Sparta vacet. Reparabile damnum
Hactenus: ac facilè rurſum coitura cicatrix,
Si Procerum favor ingenuas adſpexerit Artes.
Hîc rua, NIEUBURGI, Quem jam fecere Scholarcham
Pierides, plus docta manus ſapienſque mediela
Speratur paſſim populo. Quo judice, ſpero,
Olim ſervatos Cives pax alma reviſet,
Et Muſa æternis clareſcet noſtra trophæis.

Cl. Viro,

D. CASPARI BARLÆO,

Lectis Ipſius de claſſe Hiſp. Triumphalibus.

MIlitat AURIACIS Divinum Numen in armis,
Et Batavo Bellona ſubeſt. Suprema tenemus,
Non auſi ſperare magis. Victoria pennis
Applaudit cumulata ſuis. Maria omnia circum
Et terras NASSOA volant vexilla: nec unus
Sufficit in laudes orbis. Garamantas & Indos
Illuſtrat famâ AURIACUS. Mars Belgicus ultra
Promovet Herculeas audacia cœpta columnas,
Nec parvo contenta fames. Quà nubifer Atlas,
Quà ſurgit Pindi vertex, & Pelion auras
Ingenti ſpectat cumulo, jam Belga triumphos
Enumerat. Toto fulgent Mavortia mundo
Signa, nec Europæ ſpolium ſe finibus arctat.
Felices armis Batavi! Felicia Fata
Naſſovidum, Celſuſque Pater! cui militat æther;

Cui Mars in partes, in prælia jurat Olympus.
Macte Deo! Dux CELSE. Uno non copia cornu,
Non simplex Te Fama beat. Tarteſſia nuper
Vicimus, & toties tulimus ſpolia ampla Batavi;
Sub juga miſſus Iber toties. nunc præda Philippus
Eſt iterum, nutatque Tagus. pugnamus ubique
Victores Belgæ: proprios Victoria fines
Ignorat, vimque ipſa ſtupet: nunc ultima Thule,
Jam victas dat Duna Manus. Hîc Gallia cernit
Exuvias, Hiſpane, tuas. Hîc Albion audit,
Exanimes Maurorum animas ad Tartara cogi,
Tot Tameſin ſorbere rates. Sic Trompius acer
Cantabricas plectit furias, Patriæque Tyranno
Inferias & juſta parat. Mors occupat undas,
Fit rogus ipſa Tethys, Pontus commune ſepulchrum;
Fataleſque aperit Nereûs ſub fluctibus urnas,
Ac tellus jam morte caret. ſub Veſpere ſero
HEYNIUS auratum rurſus de Colchide vellus
Abſtulit à Morinis. Terris dominantur & alto
Naſſovius Scriptique Patres: quà vellera Seres
Purpureis intingit aquis; quà ſole remoto
Lucifer Eois radios depromit ab undis.
Hoc felix, FREDERICE, nimis, quod gloria tanta
Virtutis dignum cœlo ſortita Poëtam.
Majeſtate tuâ quot circum tempora lauros,
Quot cœli variâ memoras ſub parte labores,
CELSE Ducum, rutilis tot facta illuſtria ſtellis
Inſeruit BARLÆA chelys: quâ nomina magnis
AURIACIS majora dedit. Quo digna renaſci
Alite Grajugenûm fama & Romana vetuſtas;
Quo poſſit non Belga mori. Supereſte Batavis,
Et regnate diu PRINCEPS, & Magne POETA.

Clariſſ.

Digitized by Google

Clariſſ. Viro,

D. PIERIO WINSEMIO, IC.

Hiſtoriographo Friſiæ, & Eloq. Profeſſori,

Cum de cauſis corruptæ Eloquentiæ peroraſſet.

NOn ſemper laus, Roma, tua eſt, ſic eſſe diſertum,
Doctaque ſuaviloquis nectere verba modis.
Nec ſolis Grajis reſerat ſua ſcrinia Phœbus,
Mæonioque uni debitus omnis honos.
FRISIA nunc etiam veteres tentare Quirites
Audet, & Eloquiis eſſe ſuperba ſuis.
Majeſtas hæc tota tua eſt, ô maxime Vatum
WINSEMI: Patriæ gloria prima tuæ.
Lactea Te multùm ditavit copia fandi,
Et toties Suadæ grande tonantis honor.
Sive per Heroum libeat decurrere laudes,
Fortiaque in tabulas facta referre Ducum;
Seu tragico exceſſus regum decorare cothurno,
Aptaque Naſſoviis dicere verba rogis;
Vel Feſcenninum thalamis inducere carmen,
Sideraque in verſus cuncta vocare tuos;
Hæc tibi materies. Iſtis Facundia Campis
Per varios numeros exſpatiata ruit.
Ut ſcena eſt rerum, talem Tu ſumis amictum,
Et potes in cunctos Proteus ire modos.
Jam ſe Maronis gravitas in carmine promit;
Jam lepidi verſas molle Naſonis opus.
Aut Tullî attonitos imitatur pagina nervos;
Aut cauſam in roſtris voce diſertus agis.
Nunc Latias artes multâ caligine ſeptas
Eruis è tenebris barbarieque ſuâ.
Ac velut ingenti quondam Piſiſtratus ore:
Sic tua per Friſiæ Suada theatra ſonat.
Corrupti Eloquii cauſas depingis Apelles,
Et medicam contra porrigis ipſe manum;
Oſtendiſque ſimul quàm tali occurrere morbo,
Poſteritaſque ſibi tuta cavere queat.

Digitized by Google

Hoc est grande Tui pretium, clarissime Vates,
Communisque fori calculus ista probat.

In Natalem Septuagesimum tertium
Nobilissimi Viri,
D. JACOBI à TEYLINGEN. IC.
Cos. Senat. & Scholarchæ Alcm.
cIↃ IↃCXLII. v. *Decemb.*

POst Septem denos, & ternos incipis annos
Ordiri geniale sacrum, Clarissime Vates
TEYLINGI. Redeuntque iterum nova gaudia Phœbo
Auspiciis, Lucina, tuis: quæ pectora dulci
Pertentas motu, plenumque furore poëtam
Insanire facis, blandumque exsculpere carmen.
TEYLINGI, nobis das otia, cura laborque
Ut paulùm Aonius suspensâ Pallade cesset;
Ac cum Thymbræo brumales dividat umbras
NEUHUSIUS, præter solitumque serenius Ille
Os vultumque gerat. Quem quamvis blandula Mater
In partem ærumnasque trahat, sævique dolores
Jam gravidi obtundunt uteri; tamen ille Dionem,
Ascaniique omnem secludit pectore curam;
Soli TEYLINGO Natalia festa precatus,
Tithonique dies, & serâ in stirpe Nepotes.
Utque suos victrix repetat Germania Fasces,
Excutiente Deo captivis vincula collis,
Sævaque tempestas, quam nunc protrudit Ierne,
Albionumque furor, flammis civilibus ardens,
Subsidat rursum, coëantque in fœdera Gentes.

Nobilissimo Viro,
D. THOMÆ ab EGMOND, à NIEUBURCH.
Præsidi West-Frisiæ, &
Cos. *Alcmariano.* Kal. Jan. cIↃ. IↃ. CXL.

ERgò novos reparat Lampas Titania Soles,
Et Jani lux sacra redit. Bis tenas per astra
Circuit

Digitized by Google

Circuit Annus iter longum, ſtimulatque jugales
Phœbus equos, fervetque rotis flagrantibus æther.
Sic nos ad metam ſubitò maneſque chaoſque
Crudelis Libitina rapit; ſic terminus ævi
Qui properat, cunctos fatalis præmonet horæ.
Adſunt, Mecœnas, ſolatia: Corpora tantum
Debemus magnæ Matri. *Sed ſpiritus aſtra*
Pura tenet, nullumque animus, pars optima noſtri
Sentiet exilium. Cœlo ſecura triumphat
Mens hominum, nullis obnoxia legibus Orci.
O quàm tunc ſupra nebulas & nubila mundi
Ambroſiâ ſe paſcet homo! quàm blanda voluptas
Afficiet lætas animas: ô quanta bonorum
Copia; quàm noſtris obludet ſenſibus illic
Majeſtas auguſta Dei! tunc ſacra Tonantis
Templa, Sionæas arces, cunabula Chriſti,
Sed non quas olim dederant præſepia cunas, (bis
Cernam oculis tangamque manu: nondum obvia no-
Se pandit Cortina poli. Mortale tenemus
Hoſpitium, & mundi fragilem ſectamur amorem.
In tenebris; ſtat prona ſuis fiducia terris.
Magne Deus, vitæ Pietas veſtigia ſignet,
Dum vitâ ſupereſſe velis, carniſque teneri
In vinclis. *Tu da, nobis quod proroget ævi*
Infelix Clotho, templis accedat Olympi,
Ac cœli nos parte loces, quando Æacus urnam
Extremus movet, & noſtrum fatalis Erinnys
Educet nomen, nigrumque ad Tartara coget.
Hæc Jani ſuſpendo ſacris: Tu, Magne Virorum,
Accipe Pieridum ſolennia vota Sororum.

Nobiliſſimo Viro,

D. ADAMO FORESTO, Med. Cl.

Cos. Alcmariano. Kal. Jan. cIↃ. IↃ. cxl.

NUnc ſua defeſſus redit in Natalia Titan,
MECOENAS, Solemque dies melioribus urget
Auſpiciis, longoſque fugat lux ſacra Decembres.

Digitized by Google

Omnia cum Phœbo rotat orbis. Sidera mentes
Humanæ ſequimur, cœlumque imitamur agendo
Mobilitate ſuâ. Tentat majora foveteque
Ingenium virtuſque virûm. Nova naſcitur Anni
Effigies cum Sole novo, moleſque laborum
Et Famæ nunc crefcit honos. Mortalia tantùm
Nos patimur, vitæque levis prætervolat umbra,
Et tacito properat ſenium pede, vadimus omnes
In mortem, coguntque truces oblivia noctes.
Heu miſeris! Quorum ingenium cum corpore lethum
Occupat, & tumulo mentes Proſerpina claudit:
Quos non cura ſui tangit, nec cura ſalutis
Iſacidum, Fatoque pari mors deſtinat Orco.
O utinam! Minos non ſceptra ligonibus æquet,
Non rapiat cum pube ſenes, cum Pallade vulgus.
Tunc, FORESTE, Tibi foret inter gloria primos,
Et robur vitæ juvenilis. Parcite Parcæ
Muſarum Patriæque Patri. Procul eſto Batavis
Triſte chaos, longumque fiat reverentia Muſis.
Sed, fruſtra Fatis legem bilemque movemus
Pierides, vocat ingenti clamore ſepulchrum,
Et Locus Elyſius; nullo diſcrimine gaudet
Æacus, in cunctos rabiem furiaſque minatur.
Ergò, da DEUS alme frui Paradiſidos hortis,
Cœlituumque choris, da, quos indulſeris annos,
Et quicquid ſupereſt ævi brevis, illud Olympo
Accedat, CHRISTOque libens Patriæque locemus.

Nobiliſſimo Viro,

D. JACOBO à TEYLINGEN. IC.

Cæs. & Scholarch. Alum. Kal. Jan. CIↃ IↃ. CXLI.

MAgne Vir, Aſtrææ lumen venerabile Divæ,
Sinceràque mihi Myſta probate fide:
Accipe, quæ memori mitto tibi carmina mente,
Carmina Pieridum nobile mentis opus.
Accipe, nec torvâ digneris fronte Poëtam,
Officii teſtes qui jubet eſſe Deos.

Verbo

Verba & vota fero, ſolennia dona Camœnis;
Non aliud nobis divite fonte fluit.
Vive diu, vitâque vale, Vir clare Virorum,
Contingatque tibi læta ſenecta, precor.
Corporis officium mens docta & ſana gubernet,
Sit prompta ingenio Suada Themiſque ſuo.
Clade domus careat, careant & labe propinqui;
Pro fidiis creſcat publica cauſa tuis.
Curia ſerigævum te Judice tuta fruatur,
Annumeret Pylii ſæcula longa Deus.
Soſpite Te, Batavos pax & tranquilla reviſant
Otia, præcipitis turbine Roma cadat.
Roma cadat, ſubitoque ruat Papalis Erinnys,
Erigat in miſerâ templa Sione Deus.
Hæc ſunt, Mecænas Jani quæ parturit aſtrum,
Tempore ſolenni quæ Tibi Fata precor.
Audiat omnipotens Muſas & vota Juventæ,
Magne Vir, & felix hinc novus Annus eat.

Ad Illuſtrem Virum,

D. JACOBUM CATZ, Equitem &c.

Annum Climactericum egreſſum.

PLaudite Pierides: nondum mors atra Poëtam
Abſtulit; aut Lauri gloria ſpreta jacet.
Poſt ternos redeunt ſoles bis ſenaque Luſtra
Auſpicio VATI candidiore dies.
Et meliore comâ jam Phœbum cinxit Apollo;
Gaudia Theſpiadum læta ciente choro.
CATZIADÆ terris proſcripſit Juppiter urnas,
Parcarum & duras alligat ille manus.
Nec vult Naſſoviam triſti cumularier aulam
Funere. Mors tantum jam ſtupet ipſa Virum.
Quo ſemel ad manes Lethæaque Flumina rapto
Diffluat à lacrymis Fœmina Virque ſuis.
Et minus in rerum ſapiat ſolertia caſus,
Orba patrociniis Suada Themiſque ſuis.
Quo Batavus peiſcos aunc æquat jure Quirites;

Quo domita est crudi barbaricsque Fori.
Cujus in Eloquiis, Tripodum ceu sacra, vetustas
Plurima divino Flamine digna leget:
Quo cæcas animi poterit dispellere nubes,
Ingenii & vitiis subdere sæpè facem.
Felix, ô nimiùm felix Parnassia pubes,
Quæ toties Tanti pensilis ore Viri.
Quique illo augustos pangis sub Vate triumphos;
Aut coram sacros combibis aure sonos,
Illa est quæ meritò distinguat Purpura Vatem,
Quòd juxta AURIACUM sit tibi, Musa, locus.
Hîc geminos Phœbo dabitur prospectus in orbes,
Unde salutifero concinet ore melos.
Hîc nunquam tabulis tua nomina serior ætas
Eximet. Hîc, CATTI, laudis arena tuæ est.
Gratulor. Et, curas qui nunc post terga relinquis,
Inceptasque novum currere Solis iter;
Perge bonis Avibus: sacrisque juvantibus astris
Accede ad Pylii sæcula longa senis.

cIↃ. IↃ. CXLI.

Amplissimo Viro,

D. JACOBO CORENIO IC.

Senat. Scab. & Scholarchæ Alcm.

Pro *Auspicio Anni* cIↃ. IↃCXLIV.

ECce recurrerunt sua nunc Natalia Jano,
CORENI, facimusque Deo solennia vota
Pro Patriâ, pro Lege, & Libertate Batavûm.
Unanimes ferimurque sacri ad Delubra Tonantis,
Ut, cum Sole novo, testantes gaudia plausu,
Pro tanta bonitate poli, cadat hostia pinguis,
CHRISTE Tibi: nomenque tuum celebremus ovantes,
Ut vox per totam fiat exaudita Sionem.
Si repetam primâ benefacta ab origine mundi,
Queis nos; immeritos toties; sine fine, beasti,
Lingua stupore riget; suffundimus ora pudore;
Vixque ausim stellata oculis convexa tueri.

Proti-

Digitized by Google

Protinus, ut Stygio ſum factus præda Draconi,
Et me culpa reum tenebris damnavit Abyſſi,
In Te, magne Deus, vitæ mea crimina clemens
Suſcipis, & centum validis poſt terga catenis,
Inferni adſtringis Furias. Sic morte piandus
Perpetuâ, in CHRISTO rurſum naſcente renaſcor.
Et plus quàm clypeo ſeptemplice tectus Achillis,
Manibus Ætnæis, famuliſque obluctor Averni.
Adde tot à cœlo manantes, Numine dextro,
Divitias doteſque animi: Queîs, Fluminis inſtar,
Irrigat Iſacidum cœleſtis gratia turbam.
Jure tuum Numen modulis & carmine ſacro
Proſequimur; cunctique tuis advolvimur aris,
CHRISTE potens. Cui ſacra facit nunc mundus uter-
Nec tantùm Batavi in laudes obſtringimur uni. (que,
Hoc JANI Te luce precor, ſanctiſſime Jeſu,
Ut nos nulla dies benefacti operumque tuorum
Arguat immemores. Sed quos indulſeris annos
In putidâ hac carne & mundi compage, Saluti
Quiſque ſuæ, ac Divûm ſemper tribuamus Honori.

Honori Nuptiarum
Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Viri,

D. JOANNIS à COETENBURCH Advoc. &
Ingenuæ lectiſſimæque Virginis,
CORNELIÆ BUYSSECOOLS.

POſt vaſti Oceanum Juris, Legumque procellas,
Et malè pacati murmura rauca fori,
Cypridos in blando tua navigat æquore puppis,
Atque HELICON facta eſt ſola PUELLA tuus.
Judice, qui nuper, multùm mutatus ab illo,
Totus Acidalii Numinis igne cales.
Pro Paulis Deciiſque artem nunc diſcis amandi,
Ut Veneris miles ſtrenuus arma quatis.
Neve probas quicquam veterum conſulta Quiritum,
Quæ ſcripſit Latio Romulus ipſe Pater.

Cuncta Dionææ fordent præ Virginis arrhâ,
Quâque solet juvenem dote beare Venus.
Ite procul Musæ. Batavis nova conditur Alba,
Quæ mox Iulos Ascanioſque dabit.
Et seri ut maneant generosâ in Stirpe Nepotes,
Aggredimur pulchrum posteritatis opus:
Ulla Tori Virtus, ne fabrica concidat orbis;
Aut redeat terris triste & inane chaos, (Heros
Hanc mundi haud passus stragem CŒTEBURGIUS
Lucinam in partes poscit opemque suam.
Et Thalamo soler incumbit, & urget amantem;
Sarciat ut tanti damna metumque mali.
Mox CORNELIADEM mediis complexus in ulnis
Tu Conjux, inquit, Tu mihi Mater eris:
Et pulchrâ facies olim me prole Parentem,
Cum peraget cursus Cynthia nona suos.
Fac, ô magne Deus, SPONSIS sua gaudia vortant
In Dextrum; & longâ Pace fruatur amor.
Publica Conjugium Res est. His artibus omnes
Vivimus, & Mundo summa perennis inest.

Nobilissimo Viro,

D JACOBO à TEYLINGEN. IC. & Cos. Alcm.

Ut Libros suos Poëmatum edat.

Kal. Jan. cIↃ. IↃ CXLII.

INclyte TEYLINGI, Flos illibate Batavûm;
Et Famæ & Generis nobilitate potens:
Fausta serenato, precor, ut Tibi gaudia cœlo,
Sospite Te nobis, proximus annus agat!
Et solito melius possis curare Minervam,
Præsidiis longùm quæ stetit aucta tuis.
Neuhusiumque tuis sæpè oblectare Camœnis,
Seu Lyricum nobis promis & edis opus;
Sive per Heroum graderis præconia plectro;
Aut faciles Elegos Syrmaque grande rotas:
Fac, ô Magne Virûm, fac ut nox alta tenebris
Sopiat ingenii ne monumenta tui:

Nec

Nec lateant ſemper lucem perrumpere digna,
Pieridum toties quæ placuere choris.
Jam canis Iſacidum res pulchro carmine geſtas,
Et populum Vates Myſtica ſacra doces.
Jam numeris fortes Batavos inſcribis & arma,
Et dignum Auriacâ concinis aure melos.
Scilicet haud unâ Muſas tibi lege revincis,
Cujus ad innumeros vena diſerta modos.
Hactenus ingenii proles ſi incude tenetur,
Luce novâ lucem viderit illa novam.
Et poſt bis ſeptem recreet fœtura Parentem
Luſtra, Caballini tincta lepôre vadi.
Ut nos ad JANI redeuntes limina ſacri
Gratemur Muſis & Tibi fauſta tuis.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGM. à NIEUBURCH,

Cos. & Senat. Alcm. Præſidi Weſt-Fr. prid. Kal. Jan. 1642.

ILle dies lætis, Mecœnas, emicat aſtris,
Fundere quo ſolita eſt noſtra Camœna preces;
Et coram Superis animo depromere grates,
Annuaque ad feſtos thura cremare focos.
Ille dies cœlo nobis deſcendit ab alto,
Qui revehit mundo grande ſalutis opus.
Quo ſe Virgineos Chriſtus transfudit in artus, *(eſt.*
Quoque Deus, ſumpto ſanguine, natus Homo
Hos pridem thalamos, & magni ſacra Tonantis
Iſacidum cecinit relligioſa cohors.
Quorum pars etiam fuimus nos magna Sacrorum,
Qui violas cunis ſparſimus atque roſas;
Et quoque ſolennem CHRISTO devovimus Aram,
Nequicquam noſtrâ tunc pietate rudes.
Felix! natales illos qui pectore ſervat,
Quique Dei cunas ſemper amore fovet,
Et non purpureæ buſiam ſublatus ad aulæ
Sectatur lubricæ ſortis & orbis opes.

Digitized by Google

Illi tranquillos liceat producere ſomnos,
Dum ſtruit incautas trux Satan inſidias.
Illi fas tacitæ mentis ſe involvere Aſylo,
Nec crebris animum ſollicitare malis.
Illum non triſtes Furiæ de nocte flagellant,
Non ſcelerum aſſiduus diſcruciatve metus.
Omnia ſunt illi parva incunabula CHRISTI:
Hoc uno felix dives & eſſe queat.
Cætera Fortunæ rotat inconſtantia conſtans:
In Chriſto fallax non habet aura locum.
Qui Domino fidit, ſpemque illo ponit in uno,
Non illi invidies ulla nocere poteſt;
Quamvis Tartareas Phlegethon conſurgat ad artes,
Et Stygius contrà Dæmonis aſtus agat.
Mergite me Procerum decumanis fluctibus iræ,
Et fiam indicto jure modoque reus:
Fert cœlo Patronus opem, charumque Clientem
Complexu Patrio præſidioque teget.
Interea ſine nube dies Aurora reducat,
Et noſtra infeſto crimine vita vacet.
Ut, qui felici Auſpicio nunc naſcitur Annus,
Eventu nobis proſperiore fluat:
Et nos in CHRISTO variis Virtutibas aucti,
Diſcamus, MUNDUS quod ſit inane NIHIL.

Ad Nobiliſſimum Virum,

D. JAC. à TEYLINGEN. IC.

Cos. Senat. & Scholarch. Alcm.

Cum Pſalmos Davidis Lyrico Carmine verſiſſet.

TEmpore quo vacuos ageres ſine faſcibus annos,
Nec Conſul dictata dares, & publica rerum
Majeſtas tutore ſuo clavoque careret,
Jeſſæi numeros, & plectra Davidica curis
Involvis, Vir Magne, tuis. Cum Curia diſcors
In lites odiumque ardent, Tu Roſtra Forumque,
Et partes, quas inſapiens, vulguſque ruebat,
Tranquillus cautèque fugis; melioribus addens
Auſpi-

Digitized by Google

Auſpiciis animum. Cum magno Interprete Divûm
Sacra Sionæo modulatus carmina plectro,
Fata Deumque canis. Sic Te Pietaſque Fideſque
Authore in majus ſurgunt. Te, Numine læſo,
Vapulat Impietas; Te nunc Cenſore tremiſcit
Belgarum mundique nefas. Tu priſca ſalutis
In lucem, TEYLINGI, refers Myſteria Vates,
Et civem parere doces, ac pace ſerenas.
Poſteritas mirare Virum: Quo Eccleſia CHRISTI
Splendorem ſortita novum, ſuper æthera fulget
Clarior, & rutilis ALCMARIA ſurgit in aſtris.

Ampliſſimo Viro,

D. PETRO PAEU, Rei Numm. Præfect.

Cum Alcm. Cos. deſig. Kal. Jan. cIↃ. IↃ. CXL.

PLaudimus Aonides Nymphæ, Doctiſſime PAWI,
Curia Conſiliis noſtra quòd aucta tuis:
Et jam Naſſovio meruit ſub Principe Virtus,
Civili ut lauro condecorandus eras.
Debetur paucis hæc tecum gloria, Phœbe,
Nec fas ignavâ ſceptra tenere manu.
Pectora delegit Princeps ſolertia vatum;
In quos Belgarum grande reclinet onus.
Mens humilis non nata Togæ, rebuſque gerendis:
Pieridum Myſtas poſtulat illud Ebur.
Quorum præſidiis, cum nubilus ingruit horror,
Publica res nullo turbine fracta ruit.
Religio antiquum decus incorrupta reſervat,
Et ſine labe Fides templa forumque tenet.
AURIACO ſic cura Tui, Patriæque ſalutis
Pulchra fletit, votis adſtipulante Deo.
Nec Vatum mens læva fuit de Faſcibus iſtis;
Cum præſaga boni ſidera Phœbus amet.
Sub Jani auſpiciis hos exordiris honores,
Et feſto gaudent annua Feſta tuo,
Reſpicet hæc, DEUS, AURIACI ſub Numinis umbra,
Almeriuſque tuo Nomine creſcat honor.

Et

Digitized by Google

: qui nunc Lato distinguis pectora Clavo,
Nestoreos vivas Halcyonumque dies.
nsule Te, nobis Augusti sæcla revertant,
Et spes sit, Musas nascier orbe novo.

Clarissimo Viro,

D. ADRIANO SNELLIO. Med. D.

Oratori Theologo & Scholarchæ.

Kal. Jan. CIↃ. IↃ. CXLII.

GRande decus Divûm, SNELLI, doctæque Minervæ
Splendida fax; Animæ portio prima meæ:
Auspicio Jani solennem mittimus arrham,
Candidus ut nobis proximus Annus eat.
Non aliter fas est mundi natalis honorem
Ingredier vati Pieridumque choro. (num,
Claudimus antiquum, & post terga relinquimus an-
Invehiturque novis Lucifer albus equis.
Jamque renascentur redivivo tempora Phœbo,
Sideribusque poli blanda juventa redit.
At nos subsequimur spatio breviore Tonantem,
Nec venit hæc iterum quæ semel hora fugit.
Vita homini brevis est, serie cumulata dolorum,
Undique lethiferis vita referta malis.
Arguit, heu! miseros primævi injuria lapsus;
Hîc sentit labem quisque malumque suam.
Nec fas effugere est Hederæ cultoribus umbras,
Magnorum aut ulli flectere Fata Deûm.
Lex omnes nos una manet: post tempora lucis
Reddamus tenebris corpora fracta suis.
Illò Mæonides, vitæ cùm stamina Clotho
Rumperet, ingenio cessit, & arte suâ.
Et Tullus dives potuit nil Fata morari,
Cum ferus inferret Cerberus ore necem.
Illò tergeminos proscripsit Parca Quirites,
Tot Juvenum fortes egregiasque manus.
Nec domuit rigidum tot bellis Hannibal Orcum,
Nec spolium Macedo de Styge grande tulit.

Illò

Digitized by Google

Illò migravit, qui terram & monſtra ſubegit,
Infelix triſidæ fabula Tiſiphones.
Huc quoque Neritius Fato tendebat Vlyſſes,
Et Priami mœſto funere rapta domus.
Scilicet in cunctos furit irrevocabile Lethum,
Et Lacheſis nemo ſpicula dura fugit.
Semper hiat, gelidaſque movet trux Æacus urnas,
Et quicquid retro eſt, Styx Erebuſque tenet.
Poſt tergum ſequitur tacito Plutonia greſſu,
Telaque in incautos oblita felle jacit.
In tuto nihil eſt nobis, dum veſcimur aurâ:
Jugiter inſidias mors parat atra ſuas.
Hunc rapit in primo vernantem pubis honore,
Illum rugoſâ fronte mannque ſenem.
Sive tuo Eloquio Cœli myſteria pandas,
Cum Suada ingentem perſonat ore Deum;
Sive meas verſem ſacro moderamine Muſas,
Et ſtudiis operer, docta Minerva, tuis:
It juxta comes Invidies, ac clara laceſſit
Nomina Tartareis eruta Parca vadis.
Hæc ſolùm noſtri ſuperant ſolatia caſus,
Quod ſit & in terris vita probata Deo.
Et nihil interius ſcelerum nos arguat illo
Judice, quod triſtes incutiatque metus.
Non mors ſic nobis morti eſt. Nos gloria cœli
Cominus exſpectat contuituſque Dei.
Nec refert, Nemeſis quod falcem & cruda ſubimus
Imperia: Iſacidum non capit urna gregem.
Protinus è terris animam tollemus in aſtra,
Cœlicolis coram pars ubi magna ſumus.
Fruſtra igitur nobis celeri pede labitur Annus,
Paulatim & minuit corpora Tempus edax.
Intrepidi Fatorum umbras & regna tuemur:
Mors Homini æternæ Janua Lucis erit.
Hoc facer Janus, faxit, Doctiſſime SNELLI,
Ut mens in ſano corpore ſana ſiat:
Et nos ſic longùm vitæ ſtatione fruamur,
Ritè ut diſcamus Vivere, ritè Mori.

Digitized by Google

In Cunas FILIOLI

Reverendi & Clarissimi Viri,

D. JOANNIS KNYFFII, Eccl. Alcm. Ministri

Nati ad Natalitia Christiana Salutis.

DUm cœli Cunas, CHRISTI & Præsepe celebras,
Isacidumque canis grande Salutis opus:
Et Populo enarras Divûm Mysteria Vates,
Eloquioque potens plenus & ore Dei;
Nascitur ad Jani sacrum & Cunabula JESU,
Non sine propitio sidere, FILIOLUS.
Ingenio Proles magno par digna Parente,
Quæ non Auspiciis unius orta Dei.
In CHRISTO æternæ lucis sortitur honorem;
A JANO vitæ computat orsa suæ.
Sic Lucina Tibi non uno prospera Fato;
Sic venit ex omni parte beatus amor.
Salve nate Puer, salve felicibus orte
Auspiciis, claræ digna propago Domus.
Digna, Sionæas olim quæ protegat arces,
Quæ Domini pascat sacra per arva gregem.
Inque sui referens dotes exempla Parentis
Non rudis Eloquii prædicet ore Deum.
Sic nunquam Almeriâ morietur KNYFFIUS urbe,
Deque novo semper germine surget honor.
Semper in illustri vivet post funera laude,
Et poterit nullo tempore fama mori.
Alitis hoc fausti monuit prænuncia Vatem,
Et præsaga dedit sidere signa polus.
Ac placuit Phœbo natales jungere sacros,
KNYFFIDES ut Thalami pignore lætus ovat;
Et de Virgineo prognatum sanguine JESUM
Edocet, ac magni differit acta Dei.

Amplis-

Digitized by Google

Amplissimo Consultissimoque Viro,

D. CLEMENTI BONO, IC. Advoc. Cl.

ACcipe Pieridum quæ donat opuscula Vates,
Jamque aliquâ nobis parte favere velis.
Bile caret, nullo nec turget Epistola felle;
Non est cur placeat littera nostra minus.
Si libertatem, si publica commoda laudem,
Si precer, ut constet Belgica firma diu;
Et contra Mauros, sartos tectosquè Batavos
Asserimus, nullus non quoque civis agit.
Odimus Hispanos, invisaque regna Philippi,
Libera quo nemo sub Duce sceptra gerit.
Concordes animos sed cætera turba ligamus:
Ara Deum supplex illa, vel illa probat.
Quisque suum vero colimus pro Numine Numen,
Metimur cuncti pro ratione Deum:
Quamvis una via est, cœli quæ terminat arces,
Et non ad Superos semita lata patet.
Discite justitiam mortales, discite vitam
Uni diversam subdere ritè Deo.
Est prece, non pretiò, quâ possis fidere CHRISTO,
Hîc opus: à meritis gratia nulla tuis.
At non fas nobis operas damnare fideles;
Gratia sed Christi, non opus illud agit.
Cur melius posthac statuas de Palladè nostrâ:
Sis CLEMENS nobis, & BONUS esto Bonis.
Hoc precor, ut cunctos servet fiducia CHRISTI,
Et nos vosque suo sanguine purget, Amen.

In Natalem Nobiliss. Viri,

D. JACOBI à TEYLINGEN, IC.

Cos. & Scholarch. Alcm.

Cum vitæ suæ annum LXXI. ingrederetur, v. Dec.

OPtime TEYLINGI, Batavæ Virtutis Ocelle:
Cui Patriæ debet nomina multa Salus.

Hic

Digitized by Google

Hic tibi Natalis ter fausto sidere vortat,
Septem post denos qui tibi primus adest.
Faustus eat felixque novus qui nascitur Annus,
O Patriæ clarum sidus honosque Togæ.
Publica cura tuis humeris secura quiescit,
Curia consiliis statque caditque tuis.
Unius ad tristes FORESTI horrescimus urnas,
Qui tam crebra suo funere damna dedit.
Hæc si luxatis defecerit Anchora rebus,
Heu! quàm nos dubii ventilat unda maris.
Induat atratam mœrens Alcmaria vestem,
Et lacrymas cœli flebilis addet Hyas.
Dii talem nostris Musis avertite cladem,
Et facite inveniat ne nova pœna locum.
Faustus eat redeatque tuus Natalis Olympo,
Mecœnas, lustris lustra tot adde, precor.

aliud.

Qui tibi sub gelido natalis nascitur anno,
Hic Patriæ longùm ver geniale fuit:
Integra cum firmis florerent robora nervis,
Pingeret & rosea gratia blanda genas.
Nunc, ô TEYLINGI, canâ nivè tempora sparsus,
Subtrahis Aoniis ver juvenile choris.
Et propior Letho Virtus tua computat annos,
In Patriam toties vita probata bonis.
Hoc superos unum sacrâ sub luce precamur,
Natalis redeat sæpius hora tui.

aliud.

Indite nunc sacro solennia vincula Vati:
Natalem prisco ducite more diem.
Ut centum rigidis post tergum vincta catenis,
Hoc minus injiciat Parca severa manum.

RESPONSIO N. VIRI.

Quod mi longius apprecaris ævum,
Natalemque iterare sæpè lucem,
Qui septen-decies supra Decembres,

Finis

Hunc ſolem invenitus, vagiſque mundi
Jactus, ſuſque ſecus, diu procellis,
Cui jam mens hebet, ingenique vires
Fermè rebus inutiles agendis:
Affectu ex animi, ſcio, benigni
Prodire. O Charitum decus, ſacrique
Antiſtes Themidos, honorque Vatum!
Charum, at, ſi videas, citis Amicum
Lacteri maris aſtuantis undis,
Mortem inter gelidam, trucesque ſtultos,
Optes longius hunc abeſſe portu,
Duris ſeminecem & teri periclis;
Gratâ nec potius frui quiete?

Reverendo Cl. Viro,

D. ADR. SNELLIO, Eccl. Alcm. M.

Med. Doct. & Scholarchæ. Kal. Jan. cIↃ. IↃ. cxL.

JAnus adeſt, Pelagi nunc Hircus mergitur undis,
Et Puer Iliades in ſua ſigna redit.
Sic Sol alterno percurrit ſidera mundum,
Perque ſuas regnant noxque dieſque vices.
Nunc ſenio Natura riget, modo pube Juventa
Florida, difformi Numine læta viget.
Non ſic æthereos homines mutamur ad ignes,
Non patitur tales vitaque morſque vices.
Ætas prima, graves inter confecta labores,
Præcipiti Boreâ ceu foret acta, fugit.
Altera quæ rerum curas animoſque viriles
Induit, innumeris plena ſcatenſque malis.
Tertia vix homini, fracto niſi robore, reſtat:
Quando caput niveum ruga ſenilis arat.
Fabula ſic miſeri ſumus, & res ludicra mundi,
Ingenii & formæ vita decuſque perit.
Quid reliquum quæris? queruli tormenta doloris,
Et breve poſt ſenium vermibus eſca ſias.
Sed, quid Ego hæc ingrata ævi mortalis & orbis
Conqueror? in cœlis vita perennis erit.

Nullâ

Nulla ubi canities, ubi nullus terminus ævi:
Omnia cum CHRISTO sunt ubi flore novo.
Tempora perpetui veris, sine nubibus æther,
Formosum pellit nox ubi nulla diem.
Hîc Solem Lunamque suis metirier ôclis
Fas erit, & magni Numina nosse poli.
Ambrosiam plenis Divûm contingere mensis,
Et liquidum puro promere fonte merum.
Non illò penetrat putris contagio carnis;
Non dolor, ira, metus, sternit amorque viam.
Pulchra Sionæo Pietas in vertice fulget:
Deliciis animi cœlica regna scatent.
Hîc, SNELLI, divina tuis jungam oscula labris;
Oscula quæ nato porrigit ipse Deus.
Interea tibi læta precor præsagia Jani,
Ut possis CHRISTI pascere Pastor oves;
Et Musis præferre facem, vitæque redemptor
Optatam miseris ferre Machaon opem.

EPITHALAMIUM
in Nuptias,
D. ÆGIDII SCHAGEN, Sponsi,
& MARIÆ BOSCH, Sponsæ.

PLaudite Cyprigenæ: doctas vicistis Athenas,
Et nullum in terris non suus ignis habet.
Urimur hîc omnes fatalis vulnere teli,
Ac sua qui sentit vulnera, læsus amat.
Pectoris ingreditur tacitas Cytherea medullas.
Nec facile est vulnus dissimulare suum.
Sive senex, primo vernas seu flore juventæ,
Hoc uno pueri desipitisque senes.
Virginitas fit præda Virûm, virtusque puellæ
In pugnam, & Veneris prima trophæa venit.
Virginitas potuit rigido risisse Catoni,
Otiaque in blandâ Daphnide Phœbus amat.
Sordet Majestas, Heroumque æmula Virtus,
Cum sua lascivus pectora versat Amor:

Nec

Digitized by Google

Nec tum aliquis tetricas leges edifferit author,
Nec gravius expendit jura severa Fori.
Expers litis Amor. Faciunt & Cypridos ignes,
Rideat AURIACO nunc Erycina Deo.
Ipse Panomphæus Danaën sub turribus altis,
Ingenio & formâ captus, adulter amat.
In Venerem Batavus ruit & Tarteſſia Pubes;
Et plus quàm noceant bella, reſarcit hymen.
Deperit hic molli vernantem pube Neæram;
Hic ſua Penelopen gaudia ſponſus amat.
Mincia Pierium trahit in ſua baſia Vatem;
Huic Roſſa ad numeros apta modoſque venit.
Eſt, qui collaudat per Carmina docta Corinnam,
Et nil quam Thaïdos ſuavia pluris emit.
Quiſque ſuas patimur Flammas ſtimuloſque juvenes,
Seatque adamantæâ lege revinctus Amor.
Hîc nulli ceſſare licet, quando alma Dione
Ad ſua militiæ caſtra Scholamque vocat.
Non fas Idalias animo ſecludere curas;
Aut ſemel accepto colla levare jugo.
Sic ſtatuit natura parens: quæ provida mater
Ingenerat ſocii ſemina cuique tori.
Exprimis effigiem generoſi SCHAGEN Amoris:
Quem MARIÆ totum ſub juga traxit amor;
Et Charitum Virtus in mutua fœdera jungit,
Ingenio Thalami conciliante fidem.
Pulchra potenſque tibi deſcendit MARIA cœlo,
Divinis animi MARIA plena bonis.
Gratia quam multis ſelegit millibus unam,
Et vitæ Probitas rara Pudorque beat.
Felix! Qui in MARIÆ SYLVA venatur amores,
Proliferique ſerit ſemina caſta Tori.
Hoc faxint Superi! Frondes ne SYLVA caducas
Hæc alat, & MARIÆ non Moriatur Amor.

Digitized by Google

MARIA BOS.

Anagramma

AMBROSIA.

ADspicis, & titulum miraris, Lector, Amoris,
Maria cur possit dicier *Ambrosia*.
Ambrosiam pleno quod flumine *Maria* promit,
Et *Sylvam* blandi SYLVA lepôris alit.
Ambrosia & *Nectar* cibus immortalis Amantûm:
Maria sic facta est *Nectar* & *Ambrosia*.
Ambrosiæ virtus *Mariæ* instillavit Amores:
Quæ Charitum dotes asserit una sibi:
Sic nunc *Ambrosiis* epulis accumbere Divûm
Fas erit, & *Mariâ*, Sponse, & Amore frui.
Ales signa dedit: *Maria* cum Conjuge Conjux
Ambrosiam toto pectore & ore bibes.

Nobilissimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH.

Cos. Alcm. Kal. Jan. CIↃ. IↃ. CXLI.

LÆta renascenti qui tempora dividis orbi,
Da Batavis felix proximus Annus eat.
Da Pietas, da prisca Fides in templa revertat,
Relligioque suum tollat in astra caput.
Curia Pieridum sub curâ & Pallade longùm
Floreat, & Musis aurea sæcla fluant.
Sit procul Ambitio fraudes exosa dolosque,
Ut jus cuique suum conferat alma Themis.
Descendat læto Pax & Concordia cœlo,
Nostraque Libertas sartaque tecta siet.
Et quæ nunc Regum celebrat Sponsalia mundus,
Nassovio eveniant ter benè fausta Duci.
Albionumque Torus Batavis in gaudia vortat,
Et Regum terris otia faxit Amor.
Cæsareas Aquilas regumque invisa Batavis

Nomi-

Digitized by Google

Nomina Lethæis obruat Orcus aquis.
Et meritam Tarpeja luant Capitolia pœnam,
Scortorumque greges in sua Fata ruant.
Sanguinis effusum satis est, ô Rector Olympi,
Totaque Christiadum terra cruore natat.
Hinc ab Hyperboreo proserpunt bella cubili,
Parte aliâ Hesperidum terret ab hoste metus.
Sæ flatur toto pestis Vulcania mundo,
Et bella Euphrates Eridanusque ciet.
Ergò aderis, ô magne Deus, cœlestibus iris,
Et Martis furias pelle furore tuo.
Sic Belgæ unanimes, animis & fœdere juncti,
Dicemus grates sæcula cuncta Tibi.
Tu quoque, Mecænas, cujus sub Numine Pallas,
Et rarâ Virtus Nobilitate viget;
Utere felici auspicio, Janique Kalendis
Cum charâ toties Conjuge sospes agas.

Ad Collegam suum,

D. JACOBUM PETREIUM, cum in Insulam MARCKEN, *ad Ecclesiæ Minist. vocaretur.*

SIc *Batavûm Musas longè post terga relinquis,*
Et toto Ingenium dividis orbe tuum.
Almerios, Petreje, Lares, Patriæque lepôrem
Permutas tristi Tethyos hospitio.
Insula nunc petitur medio circumflua ponto,
Torpet ubi fœdo Musa sepulta situ.
Nullaque Pieridum resonant Oracula Vatum,
Neve aliquis Phœbi plectra chelynque movet.
Sic Cyrrhâ procul, & dulci Permessidos undâ,
In tacito tecum littore solus agis.
Solus ad undosi vives commercia mundi,
Tristiaque Oceani regna, minasque maris.
Solus Apollineo modulabere gutture carmen,
Threïcios nemo sed bibet aure sonos.
Plurima mandabis fallacibus irrita ventis,
Delicias toties quæ peperere mihi.

Aulice

Digitized by Google

Audiet hæc Nereus forsan sub fluctibus unus;
Sæpè dabunt aures piscis & unda suas.
Hinc aberit longè sacri Facundia rostri,
Melleaque Aonii Suada Venusque chori.
Annua solennis cedent spectacla triumphi,
Hîc tibi Palladius non quoque Circus erit.
Pulvere nec sacro certabit læta juventus,
Moribus & studiis tincta juventa tuis.
Non tecum Collega sacros sociabit amores,
Deditaque officiis nostra Minerva tuis.
Barbarus in Batavis, Scythicæ novus incola terræ,
Barbarico dici sub Jove jure queas:
Ni tua Te Virtus, & Religionis avitæ
Cura magis sineret Sole Deoque frui.

Nuptiis

D. JOANNIS BRUNONIS, SS. Th. Cand.

Collegæ Sui.

ERgò, Caballini dubias post æquoris undas,
Navigat in portu jam tua, Sponse, ratis.
Et vix Palladiâ redimitus tempora fronde,
Protinus ingenii pensa coronat Amor.
Dulcis Amor MARIÆ lepidos pellexit amores,
Et quicquid blando pectore Cypris alit.
Annuis: ac toto mox pectore concipis ignes,
Impatiens *Mariæ* ferre patique moras.
Omnia præ *Mariâ* sordent, oblite Malorum:
Quæ sola inflammat corque jecurque tuum.
In *Mariâ* pleni fontem admiraris amoris,
Et divûm carpis Nectar & Ambrosiam.
Dumque oculis formam *Mariæ* circumspicis ardens,
Fascinat hîc oculos forma Venusque tuos.
Vinceris insidiis *Mariæ*, & vinciris amando,
Nec potes in charâ conjuge nolle jugum.
Felix! in *Mariâ* lentas qui dividis umbras,
Illius à labris mella favosque trahis.
In *Mariâ* puri nihil est quàm succus amoris;

Morum

Digitized by Google

Morum blandities, doſque ſecunda, Pudor.
Adde tot illecebras facundi cordis & oris:
Gratia quæ doctâ ſculpſerat ipſa manu.
Plaudite Pierides: Tuque ô Parnaſſia Pubes
Plurima fac *Mariæ* vota preceſque toro.
Exulet ut lætis tempeſtas horrida Tædis,
Et nullum inveniat ſollicitudo locum.
Turgeſcant plenis genialia gaudia rivis,
Et ſemper molli puppe feratur Amor.
Et nihil in *Mariâ* qui nunc deprendit Amari,
Hoc ſerò diſcat: Quod ſit *Amaror*, *Amor*.

PROSOPOPŒIA Illuſt. Alcm. Civitatis

Ad Cl. Theologum,

D. ADRIANUM SNELLIUM. Med. Doct.

Contra Crimen læſæ Veritatis, Calumniam.

IMprobe, quiſquis eris, noſtram temerare Minervam,
Quæ rabies te cogit iners? quæ dira nocendi
Prodiit Inferni latebris injuria: Tantum
Quæ auſa Viri tentare apicem, noſtræque ſalutis
Nobile præſidium? Dic, ô Plutonia peſtis,
Dic caput inviſum Superis, Stygiæque paludis
Victima, quid tantum vomuiſti virus in aurâs?
Unde omnes ſtupuere animæ: quas alma Tonantis
Religio Virtuſque manet. Non ſoſpite Belgâ,
Dum libertati, dum fas & jura Batavis,
Turpius Ætnæis crimen ſeſe extulit undis.
Adjuro tua ſacra, Deus! qui talia cernis
Coram oculis, liquidoſque moves ad ſingula ſenſus,
Hoc peccaſſe fuit. Sic mendax Spiritus Orco
Falſa docet, peſtemque ſuis adfricat alumnis.
Heus! Batavi, quò jura Fori; quò pulſa receſſit
Incorrupta Fides Patriæ? nunc Sceptra Deoſque
Ungue ſuo premit invidies, ac dente laceſſit.
Surgunt audaces Nimrodi è gente Cyclopes;
Debellare Jovem, mundique evertere ſolem
Auſa manus, priſcas iterum facturа tenebras.

Digitized by Google

Adde, quod Ifacidum ſcelerata Calumnia Vatem
In pugnam crimenque vocat. Jamque inclyta Virtus
Carnificem ſubitura ſuum, Solatia Divos
Poſcit, ovans animis, & ſpe ſua damna rependens.
Tu, SNELLI, tecum patimur commune periclum;
Vindictam permitte Deo, tantique doloris
Tædia contemnat mentis tranquilla poteſtas.
Cum longè exitium Famæ ſectoribus iſtis,
Et dederit meritas infida calumnia pœnas,
Semper honos, nomenque tuum laudeſque manebunt.

aliud.

Invide, dum rodis nomen famamque piorum,
Stringis carnifices in tua fata manus.
In propriam ſævis animam violentus, & hoſtem
Non niſi te ſolum nocte dieque times.
Aëra Livor iners tremulaſque diverberat umbras,
Nec cadit in tantum culpa puſilla virum.
Fruſtra Virtutis ſolium, Scelerate, laceſſis,
Virtus innumeris altior una malis.
Conſcia mens recti linguæ perjuria ridet,
Pulchrius ac tanto tollit in aſtra caput.

aliud.

Zoïle, quid Stygium virtuti obtendis Avernum,
Inque Deos armas tela faceſque tuas?
Scilicet ingenii cœcutis lumen ad illud,
Nec potes à tanto cernere ſole jubar.
Et clam nunc rodis, qui prodere crimina palam
Grande ſcelus metuis Tartareumque nefas.

aliud.

Adſpicis, ut ſummas flagrat Jovis ignis in arces,
Sic etiam Heroum pectora Livor amet?
Utque ruit patulum Nereus diffuſus in æquor,
Cum placidas turbat nulla Charybdis aquas:
Sic vitam qui mentis inops ſine dente maligno
Tranſigat, & nullo nomina Marte probet.
Hoc laudum ſatis eſſe ratus, ſi vixerit æquus

Omni-

Digitized by Google

Omnibus, & nunquam nomen in ore fiat.
Felix! quem toties percuſſit fulmine Momus,
Qui toties Momum ſub juga traxit ovans.

aliud.

Quiſquis in excelſo faſces & ſacra tueris,
Diſce malas linguas invidiamque pati.
Ars regni prima eſt, mendacia ſpernere vulgi,
Et corrivalem ferre patique ſuum.
Exerit hoc Virtus tantò ſe clarior, illa
Opprimitur quantò percutiturque magis.

aliud.

Quid ſupra telum poſitos, ô Mome, laceſſis?
Mille paras capiti ſpicula, Mome, tuo.
Odiſti quem, Livor iners, fruſtraque remordes
Inceptus ridet, rodit & ille tuos.

aliud.

Inculpata mihi ſi vita & fraudibus expers,
In me nil juris Momus & oſor habet.
Nil conſcire ſibi, virtutemque addere factis,
Hæc animi rupes firma tenaxque mei.
Omnia ſi nobis Acheron Satanaſque minetur,
Hac meus æternùm rupe triumphat honor.

aliud.

I nunc, Livor iners, artes dum mille nocendi
Inſtruis, inque pios vulnera vimque paras.
In te ſponte ruis, nulla eſt infamia rebus,
Inclyta quas multo judice fama probat.

aliud.

In CHRISTI Vatem quid, dira Calumnia, Linguæ
Tela jacis, telis dum ruis ipſa tuis?
Ipſa tuo exitio violentos ſubjicis ignes,
Et ſenſim propriis diſcruciere malis.

Digitized by Google

Illustri Viro,

D. JACOBO CATZIO, Equiti, &c. Summo supremæ apud Batavos Curiæ Advocato & Pensionario; Academiæ Curatori.

NUnc rerum summas Vates molimur habenas;
Præcipuo in Belgis statque Poëta loco.
CATZIUS in Batavis afflatus Numine sacro,
Consilio tractat Publica Sceptra suo.
In Phœbo sic crescit Honos; & Pallada curat
Majestas Patriæ Nassoviique labor.
Debetur, VIR Magne, tuis hæc gloria factis.
Inferior meritis gloria tanta tuis.
Qui sublimè sapis, loqueriſque oracula Mundo,
Et tantùm curis incoquis alta tuis.
Mantua Virgilio Vati, Verona Catullo;
Divino quantum Græcia Mæonio:
CATZIADÆ tantum Musis doctoque lepôri
Debemus Belgæ Pierideſque Deæ.
Protinus in terras Astræa hoc Vate revertit,
Et melior nobis luxit ab axe dies.
Visæ omnes gaudere Deæ: quas alta Pyrene,
Quas Parnassus habet, sacraque Cyrrha rigat.
Primatum jam Musa tenet, neque Vatibus istis
Amplius in Belgis Barbara turba sumus.
Et faciem vultuſque novos Respublica sumet,
Præsidiis tanti consiliisque Viri.
Scilicet hic cedris & Apolline digna loquetur;
Hoc uno possunt fari ore novem.
Est CATZI divina tuæ Facundia Suadæ:
Hyblæos redolet lingua diserta favos.
Threïcius Vates, doctuſque audiris Arion,
Alter & Amphion Mæoniuſque senex.
Qui Tripodum sacris, qui plenus voce Sibyllæ
Attonita Eloquio Rostra Forumque tenes.
Felices Batavi! Quibus hoc cum Principe Vatum
Alloquio teritur protrahiturque dies.

Grati-

Digitized by Google

Gratulatio ad Nobiliss. & Præstantissimum,

D. JOHANNEM à NIEUBURGH,

LL. Cand. *Divina providentia* Hostium Duynkerkanorum manibus elapsum.

Sic Tibi, NIEUBURGI, generosi pectoris ignem
Elicuit virtus! Armatam Pallada miles
Sic quoque inermis agis: Phœbo Martique Satelles,
Non uno mucrone potens. Sic vincula palmis
Avertit divina manus; dux æthere summo
Adstitit, & trepida solvit formidine mentem.
Vicisti sic arte dolos, quos more Pelasgo
Bellator callet Morinus: velut impete pulchro
Rumpit aper tereteſque plagas, & gaudet aprico;
Aut Cerva infelix, liquefacto tempora plumbo,
Læsa fugit manibus. Quantùm laudabilis illa
Vis animi casusque fuit! Mirabitur ætas
Altera. Prædatrix posset Duynkerka dolere,
Hoc facinus non esse suum. Sic Cloelia quondam
Exemplo par Ipsa Tibi; sic Coclite Tybris
Obstupuit; tantisque addis miracula rebus.
Quod durum, meminisse juvat; quantumque tulisti,
Hoc Famæ compensat honos. Si Gallia votis
Excidit, in Laudes Belgarum gloria servit,
Non tanti Liger & Rhodanus, non Sequana tanti;
Aut fulvum tranasse Tagum. Sunt Littora nobis
AURIACI; hic dives pandit sua cornua Rhenus.
Hic quoque Romanas resonant Capitolia Musas,
Et Themidi delubra patent. Hæc area restat
In Laurum Laudesque tuas, Generosa Batavûm
Progenies. Hic vera piæ solatia Matri
Invenies; hoc sacra probant Oracula signis.

Digitized by Google

In expugnatam Hiſpaniarum Claſſem XXI. Oct. CIↃ. IↃCXXXIX.

HOc juvat, hæc feſſis bello ſolatia Belgis;
Hæc Patriæ ſperata ſalus: quando impia Claſſis
Hiſpani, longùm furiis agitata per æquor,
Dulce meis Batavis ſpolium, flammam inter & ignes,
Mergitur Oceano. Herculeas trans ipſe Columnas
Exuitur Mavors armis, Maurûmque poteſtas
In cladem ſtat prona ſuam. Tot Belga triumphos
Enumerat, Victor Populus: vaſtoque profundo
Imperat, occiduo Albionum ſub littore gentis,
Teſte Deo Pelagi, & latè terraque marique
Perpetuò Dictator agit. Tibi, Maxime TROMPI,
Flos Virtuſque Virûm: Qui nunc manus altera Magni
AURIACI, magnum ſurget ſuper æthera nomen
Talibus auſpiciis. Tantis caligat in auſis
Mens Hominum. Batavûm pugnas animoſque viriles
Ipſe ſtupet Nereus: Vitreos victoria Divos
Tangit, & audaces mirantur Numina Belgas.
Ergò animoſa phalanx, Tarteſſia Claſſis Iberi,
In noſtros armata rogos, ſervata Piorum
In jugulum, toto Ætnæas bibit ore paludes.
Et pro ſanguineis epulis, pro cæde cruenta
Tot miſerûm, quas tunc animas ſitibunda petivit,
Lethiferis jam turget aquis ventremque ſaburrat
Gurgitis infandi dapibus. Sic dira tyrannis,
Sic tandem Alcmariæ venturaque deſuper urbi
Barbaries eluſa Deo. Tibi, Rector Olympi,
Magne potenſque Deus, pro tanto munere grates
Solvimus, æternùm dicturi Fata Nepotes.

In glorioſam Mortem,

D. ALEXANDRI PICARD, Cognati,

In Inſulâ S. Laurentii quondam Præfecti.

ERgò iterum Herculeas ſuperamus Marte Colu-
Et ſtupet in Maurûm vulnera Naſſovius. (mnas,
Obſtu-

Digitized by Google

Obſtupuit nuper generoſos Duna Labores,
Cum foret in mediis præda Philippus aquis.
Jam Belgæ victore novo viciſtis Iberum,
Veſtraque felici ſidere claſſis ovat.
Immatura tamen Victoria colligis ignes,
Dum malè PICARDI ſanguine facta via eſt.
Dum nimium vitæ crudeli funere victor
Occubat, & pretium non tulit ipſe Sui.
Altera MAURITII manus, & ſpes altera Belgis
Hic cadit, & famam ſanguine laudis emit.
Purpureamque animam mediis effundit in armis,
Ut Patriæ ſolvat vota fideique ſuæ.
Magne Heros! Magni nomen Cognominis olim
Ingenio tribuit non niſi Magna tuo.
Qui Macedo Scipioque tuis, dum vita finebat,
Nec Ducis Æmathii nomine, ſpeque minor.
Has clades, Hiſpane, probas, & in hoſte fateris,
Cum toties validas ſtrinxit in arma manus.
Prô dolor! illa manus manes & frigora ſentit,
Occiduiſque jacet tota cremata rogis.
Sed corpus parſque illa minor diviſa Batavis,
Tu ſolido ſemper pectore Belga manes.
Nunc & ovas moreriſque ſimul; ſed vivere tantâ
Non fuit, ac talem te potuiſſe Mori.

PROSOPOPŒIA Sacra

Ad Ampliſſimum, Spectatiſſimumque Virum,

D. PETRUM PAEU, Excos. Alcm. &c.

Filiola

COMPATREM. Kal Jan. cIↃ. IↃCXLIV.

NUper feſtus erat tuus ô, natalis, IESU,
Cum caneret laudes terra poluſque tuas.
Inque meis cunis, quantumvis balbula, cunas,
Pro more infantum, ſum modulata tuas.
Cum primùm intuita hanc lucem, felicibus oriſis,
Ac me vagitus prodiit ipſe tener.

Digitized by Google

Teque ultrò cum teste, PAVI, Baptismatis undæ
Tradita, ut in cœlo sic sine labe forem.
Et nunquam Stygias raperer damnata sub umbras,
Vel fierem admissi criminis acta rea.
Gratia, magne Deus, quod me Genitricis ab alvo,
Tot fœdam maculis, judiciique ream,
Sanguine purgâris CHRISTI, rursumque renata
Muter, & in mores transierimque novos.
Sic cecini, Lucina fave, tremulo ore Tonantem,
Et cum thure pio carmina læta dedi.
Nunc quoque nos miseros JANI lux alma revisit,
Resque agitur nobis seria, sole novo.
Ut vitiis hominum succensum Numen adorem,
Et pro quassatâ vota SIONE feram.
Felicemque Tibi, charissime COMPATER, Annum
Gratuler, & prompto tester Amore fidem.
Ne similes feriant, ut nuper, corpora morbi,
Nec Parca extremum claudat avara diem.
Sed totidem possis vitæ superaddere lustris
Lustra, potest Pylius quot numerare senex.
Et me florentem vegetâ spectare juventâ,
Quando animi sensus farier ipsa queo.
Et sine judicii mentisque interprete linguam
In non indoctos solvere sponte modos.
Longa via est. risu primùm cognoscere matrem
Cœpimus, & cunas altera bruma videt.
Multa dies reliqua est nobis, si faverit æther,
Antè meas variet cana senecta comas.
Sed Fato id constat. Rerum cui summa potestas
Metitur spatiis cuncta creata suis.
Hoc precor, Auspicio redeuntis, COMPATER, Anni,
Sive diem videam, sive recondar humo;
Ut Tibi, cum Phœbo cursus reparante relictos,
Dives inexhausto copia fonte fluat.
Et longùm superet præsens in pectore virtus,
Eveniatque Tibi non sine laude MORI.

Digitized by Google

In Doctiſſima Poëmata
Nobiliſſimi Viri,

D. JACOBI à TEYLINGEN, IC.

Cos. Alcm. & Scholarchæ.

ADſpice Batavicâ, Lector, Permeſſide Vatem,
Cujus ab Eloquio Suada lepoſque fluit.
Qui procul à priſcis abhorrens moribus ævi,
Numinis ad nutum plectra chelynque movet.
Et niſi Naſſovios & amico fœdere Muſas
Ad ſua grandiloquo carmine ſacra vocat.
Exulat hîc omnis quondam vulgata Poëtis
Fabula; Virtuti ſed locus ille patet.
Abramidæ leges & magni juſſa Tonantis
Hic canit; ingenii ſola trophæa ſui.
Aut in perjuros pugnat Facundia Mauros,
Et Batavûm cauſam voce Patronus agit.
Illius à Genio victrix Alcmaria famam
Accipit, æterno nomen honore ſuum.

Cl. Viro,

D. JOANNI PICARD, Med. & V. D.

M. cognato. Kal. Jan. CIↃ. IↃ. CXL.

QUid tibi vis Jani feſto pro munere donem
Inter Fortunæ munera tanta tuæ;
Carminibus Vatum nihil eſt, cum Cenſibus iſtis:
Contenti parvo ſobria turba ſumus.
Larga tibi centum diſtendunt rubera vaccæ,
Florida purpureos meſſis inumbrat agros.
Nos ſatis ingenti colimus cum dote Minervam;
Hîc ſua Pieridum præmia cenſus habet.
Iſta levis Boreæ ſpolium fatique ruina:
Hæc ſunt Aoniis munera nata jugis.
Nec tanti, PICARDE, facis ludibria mundi,
Ut non ingenui ſit tibi vatis amor.

Digitized by Google

Pegasidum nobis nascuntur carmina ruri:
Illa manet nostros area dives agros.
Spes bona, vota, preces, meriti fiducia CHRISTI,
Paupere cum Musâ rusecula nostra colunt.
Hæc sacris possum Donaria ferre Kalendis,
Ut Batavis benè sit, Nassovioque Duci.
Et tibi cum sacrâ Thalami consorte Valere
Contingat, Pylii post tria sæcla Senis.
Audiat hæc Janus, Batavoque hoc spondeat æther
FICARDO felix proximus Annus eat.

Ad Tarpejam Meretricem.

Ex Oratione Triumphali.

SIc Te invisa dies, & ineluctabile fatum
In pœnas mortemque trahit: cum Numinis ira
Et CHRISTO devota cohors cœlum omne ciebit
In bellum cladesque tuas, Gens impia Scorti
Romulei. quando Babylonem destruet imâ
Radice, & feros acuet Vindicta nepotes,
In Maurûm librata neces, & nomina magni
Cæsaris, Austriacique domos exosa tyranni,
Æquabit penitus terris, toramque ruinis
Eversam gentem tenebris damnabit opacis.
Applaudet tandem felix Victoria pennis,
Et Babylon sua damna feret, Tarpejaque Roma
Corruit in casum præceps. Cum Cæsare magno
Hispanus dabit ingentem pulchramque ruinam.
Tu, Dilecta Deo, plausus testata secundos
Absterges tristes lacrymas, nec jam amplius alli
Stillabunt oculis imbres. Dabis Odera testem
Lætitiæ, Rhenusque fluet plaudentibus undis,
Non casus memor antiqui. Crudelia quondam
Quæ passi, nova nunc animis solatia portant.

Nobiliss.

Digitized by Google

Nobiliſſimis Viris-Juvenibus,

D. THEOD. & JOANNI NIEUBURGIIS, IC.

Cum Galliam meditarentur.

ERgò fatales iterum conſcenditis urnas,
Magnaque pars dubii reſtat aranda maris.
Sed faxit meliora Deus, quàm Fata tulere
Nuper, ab inviſo cum foret hoſte metus.
Vade Deûm Soboles, quò gloria mentis honeſtæ,
Quò Vos Phœbei Numinis urget amor.
Nobilitas, quæ parta domi eſt, fine labe revertat
In Patriam, Ingenii pulchra ſcatenſque bonis.
Obvia ſe vobis rerum prudentia pandat,
Et quicquid clauſo pectore Conſus habet.
Quæ placuit nuper Batavis Induſtria Muſis,
Jam quoque Borbonios geſtit adire Deos.
Nec ſeſe ſpatiis tam mens auguſta coarctat,
Ut Virtus uno claudier orbe queat.
Dilecti Superis Juvenes! Quos optima morum
Effigies aris conſecrat atque focis.
Quos Proavum Virtus Patriæ devovit amori,
Et cum natali luce reſpexit Honor.
Publica res olim quorum ſub nomine pulchra
Creſcet, & Aonidum gloria major erit.
Tu nunc, magne Liger, generoſi pectoris ignem
Virtutum flammis paſce foveque tuis.
Et benè NIEUBURGI Themidos Myſteria Docti
Fac redeant ſacrâ fronde Togâque Domum.

Nobiliſ-

Digitized by Google

Nobiliſſimo, Ampliſſmoque Viro,

D. ADAMO FORESTO,

Med. D. Cos. Alcm. & Rei Nummariæ Adminiſtro Primario.

Cum D. JOANNIS FORESTI, IC.

De Galliarum R. DELPHINI Natalib. Carmen ad me mitteret.

MAgne Vir, Alcmariæ Decus & tutela Minervæ;
Cui Batavus curas credit, opeſque ſuas:
Non hîc Borboniæ canimus Cunabula prolis,
Non Regum Thalamos, Sceptra, Ducumque Toros;
Sed Magni cunas Domini, Natalia JESU;
Virtute, Ingenio Nomina digna tuo.
Expectata diu ſoboles deſcendit Olympo,
Quo generi humano vita ſaluſque redit.
Quo placat ſeſe ira Dei, infernique poteſtas
Corruit, & Satanæ, concutiturque labor.
Purpura non Regum, nec ſunt Cunabula tanti,
Qualia DELPHINO Rhenus Ararque parant.
Plus CHRISTI præſepe valet viliſque ſupellex;
Plus ſtabuli nudum ſtramen honoris habet.
Si tibi, Magne Ducum, flammis colluceat æther,
Totius & mundi fauſta precetur honos.
Hîc cœlum inſolito teſtatur gaudia plauſu,
Veſtiturque novo lætus honore polus.
Angelicæ cecinere tubæ. Sol lumine pulchro
Naſcenti puero præbuit ipſe facem.
Tu, Ludovice, Tagum ſi forti Marte fatigas;
Si parêre Tibi Bactra Thulemque facis:
Nos hîc Tartareum tantis Natalibus Orcum
Vicimus, & ſpolio cedit Avernus iners.
Ipſaque mors mortem patitur. Stat Janua vitæ
Noctes atque dies nunc adaperta piis.
Nec formidamus Stygio ſub gurgite pœnam
Amplius. In CHRISTO noſtra renata Salus.

Salve!

Digitized by Google

Salve! noſtra Salus JESU. Salve inclyta proles:
Magni Nate Dei, Cœlicolûmque decus.
Qui nunc nudus, inops, prodis de Virginis alvo,
Nobiſcum æterna pace & amore cois.
Ergò omnes tua nunc circum præſepia CHRISTE,
Plaudimus & cunis oſcula blanda damus.
Fac, ô Dive Puer, nobis cum Flamine Sancto,
Ad vitæ extremum vivere, ſemper ades.
Et Tibi, Mecœnas, ſuperet tranquilla ſenectus,
Curarumque expers, & ſine clade Torus.

Nobiliſſ. Ampliſſimoque Viro,

D. JACOBO à TEYLINGEN. IC.

J. V. D. Cos. Alcmariano Scholarchæ.
Kal. Jan. 1639.

NUnc ſua MECŒNAS, redit in Natalia JANUS;
Nunc ſacra nobis luce December abit.
Demigrat ſic triſtis hyems, tenuemque minatur
Canitiem terris exiguumque gelu.
Progreditur formoſa dies, cum læta ſuſurro
Mulcebit Zephyrus rura ſacrumque nemus.
Nos ubi triſtis hyems, & mors ſemel occupat umbris,
Non Ver, non nobis ulla Juventa redit.
Umbra ſumus ſtipulæque leves, ſpoliumque ſepulchri,
Ac mundi tantum ſcena, & inane Nihil.
Dii faciant! ſic tota ſiat non ſubdita Morti
Vita, ſed Ingenio ſit fuga parta tuo.
Et Tibi perpetuum ſit fas Heliconа tenere,
Cumque novem Muſis conſenuiſſe Seni.
Iſta precor JANI auſpiciis. Det proximus Annus,
Ex voto & meritis Fata venire tuis.
Vive diu faſceſque tene. Vis nulla nefaſque
Demetat Ingenii fila decuſque tui.
Corruat in caſum Babylon. Germania rurſus
Libera, conſpicuum tollat in aſtra Caput.
Et Belgas Pax læta beet, ſintque otia Muſis,
Dirorum & ceſſent prælia Terrigenûm.

Mars

Digitized by Google

Mars ſedeat ſuper arma ferox, ſatiataque bellis
Belgica, pacificis læta triumphet agris.
Et TU, TEYLINGI, poſſis ut Neſtoris annos
Vivere, & æthereas ſerus adire domos:
Cui ſummus ſe credit honos: rerumque poteſtas
Quem titulis donat condecoratque ſuis.
Hæc precor, eveniant! ut cum nos Alme reviſes
JANE, cadat ſacris victima digna tuis.

EPITHALAMIUM,

Ampliſſimo Viro,

D. AHASVERO à VIERSEN, IC.

Quæſtori Prov. Fr. Nunc illuſt. ac Præpot. DD. Ord. Ad Batavos Delegato.

Aëre tam blando, Veriſque tepentibus auris
Quis non Idaliam Cyprida blandus amet?
Et ſua candidulis ſubmittat colla lacertis,
Proliferique ferat ſemina læta tori?
Ceſſit hyems, gelidæ cœlo ceſſere pruinæ:
Nunc alium nobis ventilat aura Jovem.
Non Boreas Aquiloque truci circumvolat umbrâ,
Præcipiteſque Noti prælia fronte gerunt.
Pax habet Æoliam. Non claſſem triſtis Orion,
Arcturuſque ſuo ſidere turbat aquas.
Æquora tuta ſilent; taciteque ſtrepentibus undis,
Rara procelloſam verberat aura ratem.
In ſua cum Geminis redierunt cornua Tauri,
Et lætos aperit Ver geniale ſinus.
Nunc terris ſua vita redit, cœlique calore
Concipiunt animas pinguia rura ſuas.
Parturiunt Elementa ſimul, Naturaque rerum
Solvitur in fœtus luxurioſa novos.
Najades hîc, illic vitreas ad fluminis undas
Theſtylis in læto gramine paſcit oves.
Mollibus & Zephyris, gratiſſima Filia Veris,
Friſiacos pulchra veſte coronat agros.

Hæc

Digitized by Google

Hæc inter reſonat Volucrum concentibus æther,
Et limoſa ſuis rana coaxat aquis.
Adſpicis, ut petulans Cytherea invitet Adonim,
Detineatque ſuum mollis Eliſa Virum?
Omnia prætendunt vitæ ſocialis amorem,
Et nihil eſt, cui non jam ſuus ardor ineſt.
Dic mihi, SPONSA, tuos quid diſtulit hactenus ignes;
Cur venit in venas tam tibi ſera Venus?
Quæ blandum ſic Dipſas anus diſſuaſit amorem,
Et tanto fecit corda rigere gelu?
Dum ſua Triptolemus redimitus tempora ſertis
Præbet Amalthææ florea mella Capræ:
Et Ver eſt roſeum, viridesque imitata Napæas
Gramineo ducit ceſpite Nyſa choros.
Dum calet omnis Homo, noſtroque ardeſcimus igne,
Et ſequimur Venerem quiſque jugumque ſuum:
Uſque adeone ferox ſolum calcare recuſes,
Quod cognatus Amor monſtrat & urget iter?
An Tibi VIERSENIUS nondum inſpiraverat ignem,
Miſcueratque tuis oſcula blanda genis?
Qui nunc flammigeris urit tua pectora telis,
Et te blanditiis brachioliſque fovet:
VIERSENIUS ſolùm rutilis tibi deditus aſtris:
Solus, GEERSMA, tuos dignus inire toros;
Et tibi baſiolis tenerum penſare Pudorem;
Quod furor eſt, tantis non licuiſſe Procis.
VIERSENIDEN adamare docet tua, JISCKIA, Virtus;
VIERSENII eſt Virtus, JISCKIA Tu quod ames.
Hic Tibi Vis & Flamma fuit: quo Conjuge poſſet
Ipſa ſuum Juno diſſimulare Jovem.
Ille tibi vivum defudit in oſſa calorem,
Et primùm in thalamos Duxque comeſque fuit.
Prima viam tentas illo Ductore per umbras,
Et ſolvis timidæ vincla Pudicitiæ.
Hoc ſecura mali, Leges nunc diſcis Amantûm;
Quicquid ſub tenebris noxque toruſque tegit.
Quas Virgo laudare ſoles, nunc oderis artes,
Perſona nimiùm diſpare ludit Hymen.
Vere novo blandos ſic, JISCKIA, concipis ignes,

Et

Et grave post frigus pectore tota cales.
Tota Cupidineis incendis corda favillis,
Et pateris centum viva volensque rogos.
VIERSENIO dabis amplexus & candida colla,
Et quodcunque tori postulat officium.
Non illo poteris noctes horrêre nivales,
Non longas hyemes Icariosque Canes.
Purum nectar alit generosa in pectore Virtus
VIERSENII: Flammas visque virilis habet.
Hoc voluit Natura Parens sub Judice certum,
Quid valeat docto mista lepore Venus.
Quid pudor & niveo possint in pectore Mores,
Et Pietas animi Relligioque Fori.
Hîc etiam, tua se virtus ubi tollat in altum,
Invenit. Hîc illi Scena locusque datur.
Militat in vitium, sceleri contrarius armis
Vir tuus. In vitium Miles & Uxor ades.
Fortunati Ambo! quorum sub fœdere blando
Liberior nobis aura Fidesque redit.
Fata Deusque sinat, Vos, inter Thessala Tempe,
Aurea VIERSENIÆ ducite sæcla Domus.

Amplissimo Viro,

D. PETRO PAEU, Cos. & Senat. Alcm.

In obitum Uxoris.

JUsta tui luctus ratio, Clarissime PAWI,
Prô dolor! & toto pectore vulnus alis.
Dum pia Te CONIUX, nunquam reditura sub auras,
Deserit, Heu! Tanti fida ministra Viri.
Quæ, dum vita fuit, Virtutum plena trophæis,
In Batavis meruit non potuisse mori.
Fœmina, sed sexu major: quæ clara Sabinas
Æquet, & ingenium, Porcia prisca, tuum.
Pone modum lacrymis, Mecœnas, pone dolorem:
Naturæ legem turpe dolere viros.
Hæc Conjux mandata dedit: Tu rumpere noli
Ultima Conjugii pacta fidemque tui.

In

Digitized by Google

In Cœlis tua nunc UXOR ſecura triumphat,
Complexu in medio contuituque DEI.
Nec rurſum cupiat terris avulſa renaſci,
Et putrida mundi carne toroque frui.
Nos hominum furias inter ſtreperoſque tumultus
Fortunæ fluxas ſollicitamus opes.
Et mox Elyſias etiam tranabimus undas:
Omnibus eſt vitæ linea ſumma, MORI.
Pone tuis metas lacrymis, Ampliſſime PAWI,
Ingenio Fatum triſtitiemque doma.
Et nunc Aonias oculis dignare Camœnas:
Quod SCHOLA, quod Pallas Te quoque docta rogat.

Nobiliſſimo Viro,

D. JACOBO à TEYLINGEN. IC.

Cos. Senat. & Scholarchæ Alcm.

Kal. Jan. CIↃ. IↃCXLIII.

NUper Lucinæ ſacris pia Thura ferebam,
Quando poſt Septem denos illuxerat annos
Tertius à cœlo Titan. Nunc Annua mundi
Tempora, nataleſque tuos celebramus, JANE.
Utraque lux Vatum numeros & carmina poſcit,
Officiumque pium. TEYLINGO ſacra parantur,
Pierides, tantique Viri præconia cœlo
Sculpimus. Et ſeris ſignamus nomina faſtis,
Delicias, Thymbræe, tuas. Quo Conſule nunquam
Pœnitet Aonidum vario pede ducere campos,
Et famâ me tollere humo, nomenque vetuſtis
Addere imaginibus. Creſcit ſub Pallade laurus
Talibus auſpiciis, & circum tempora ſerpunt
Florentes Hederæ. Virtus antiqua, Fideſque
Hoc Authore ſemel Batavo ſe in pectore promit.
Felices! quando tales Reſpublica norit
Scipiadas, clarumque ſui diffuderit orbis,
TEYLINGO ſub vate, Genus. Quippe æmulus olim
Auſonius iterum cernit nunc Belga Catones,

Et

Et nova Palladias expectat purpura Musas.
Hoc unum restat: Virtus tua prorogat annos
In longum. Donec populos pax alma revisat;
Bellorumque satur mundus, sponte oderit arma,
Gradivumque patrem: Soli qui spargit utrique
Nubila, & Eoos turbat cum vespere fluctus.
Et Tibi, TEYLINGI, penso feliciter acto,
Usque decem decies Titan compleverit orbes.

Votum Novi Anni,

Ad Cl. Virum,

D. ADRIANUM SNELLIUM, Eccl. Alcm. & Med. Doct. *Kal. Jan.* clo. Iocxxxix.

STulta superstitio dum falsum Numen adorat,
Et Jano nunc vota facit, dum degener orbis
Desipit, antiquumque tenet: caligine pulsâ,
Cernere plus nobis fas est, qui Numine certo
Nitimur, in cassumque preces non fundimus unquam,
Eventu nec vota carent. Hac parte liramus
CHRISTIADES. Nil picta juvant ludibria trunci,
Nil Jano devotus Honor. Tu maxime rerum
Arbiter, alme Deus, nostræ spes una salutis (plex,
Unus amor columenque hominum. Tua Numina sup-
Et Nomen quicunque colit, non illius unquam
Irrita vota pudor, spes aut incerta sequetur.
Te solùm SERVATOR, opem, Te poscimus omnes
Auxilium sortemque bonam: Duodena per Astra
Dum Phœbus transegit iter, Mundoque reducit
Anni festa Novi. Major nunc nascitur ætas,
Et crescit cum luce Labor, vitæque propinquat
Terminus, ac subitò in senium labentibus annis,
Imminet exitio Mundus, patiturque Senectam.
Huc ades, ô SERVATOR, opem fer rebus in arctis,
Et Sponsæ succurre malis. Ecclesia, CHRISTE,
In casum stat prona suum, Satanasque minatur
Isacidum Gènti excidium. Trux Cerberus ipse

In-

Digitized by Google

ntonat, & fidos vocat in certamina Fratres,
uratas in bella manus. Conclamat ubique
Quas Erebo possit trahere in sua castra phalanges.
ddit se socium, & rutilis supereminet armis
ax tanti Hispanus belli Satanæque satelles,
doctus cumulare neces, & mittere Letho
nsontes. Tarpeia manus scelerumque ministra
errum igneſque crepat Babylon. Nil linquit inausum
nferno sacrata cohors, si perdere gentem
Et Christi delubra queat. Tandem adspice Sponsam
ponsetuam, miserere animæ tam dira ferentis.
Maturet vindicta Dei, Patrisque capesse
mperium. Tarde suspensi signa furoris
Compenset gravitate Deus. Satis impia Clotho
anguinis, & miseræ fecit dispendia gentis
Trux Babylon. Pleno manarunt sanguine rivi,
Et stragem jam terra stupet. Pro Marte cruento
Descendat Pax læta polo: sic oderit arma
Et rabiem Bellona suam. Sic aurea rursum
Teutoniæ, ac Batavûm nascentur sæcula terris.
Hæc sacrâ Te luce Deus, Janique Kalendis
Poscimus: Hæc nostræ solennia vota Camœnæ.
Et Tu, *Magne Virûm, Fama Clarissime* SNELLI,
Ut longùm supersesse queas, vivusque valensque
Inservire Deo: Variis erroribus actos
Lucrari CHRISTO, *& priscas damnare tenebras.*

In Nuptias,

Amplissimi & Consultissimi Viri,

D. JOANNIS GWALTHERI, J. V. D.

ET

CATHARINÆ JORRITSMA.

Sic Manes inter celebrat GWALTHERUS Amores;
Et sequitur tristes Vita Venusque rogos.
Sat tumulo mortique datum. Stat prona Dione
Dulcia proliferi condere jura Tori.

Connu-

Digitized by Google

Connubiis Lucina favet. Dat jura Cupido,
Et Mundi imperium nunc Erycina tenet.
Odit amor lacrymas & tristia funera: Lusus,
Oscula, Conjugii pignora curat Amor.
Sic facilè amissos reparabit Frisia Cives;
Et multò Aureus milite tutus erit.
Basia si cessent, nocturnaque prælia lecti,
Belgica præsidiis jam foret orba suis.
Tu primus post tot Mortes & funera, JANE,
Das risum Musis materiemque joci.
Consociat tecum pulchros CATHARINA lepores,
Virgo Leonini glōria prima soli.
Sic curæ cessêre ultra Garamantas & Indos:
Obtenebrant animum nubila nulla tuum.
Illius adspectu Pylius juvenescere posset,
Viribus & Tithon fortior esse suis.
Sic pudor & pietas oculis scintillat honestis;
Ambrósius tanto manat ab ore lepor.
Pugnat Majestas inter se & Gratia rara:
Agnoscit laudes vix Venus ipsa suas.
Fallor? an illa graves expugnet Forma Catones;
Et rigidus Mores stipes amare queat?
Hanc GWALTHERE, Deus jungit tibi fœdere Nympham:
Judicio possit quæ Venus esse meo.
Quod Paris Oenonæ, forti Briseis Achilli;
Æmonioque Duci Laodameia fuit.
Porcia quod Bruto; quod nostra Boëthia nobis;
Quod fuit Isaco casta Rebecca suo.
Hoc, Heros, CATHARINA Tibi, tot dotibus aucta;
Candore, ingenio, nec probitate minor.
Sic placitum Superis, Thalami qui fœdera jungunt:
In votum pronam Cyprida Sponsus habet.
Ibitis hinc tetræ, feralia Nomina, Mortes,
Et Thalamo quicquid triste nocere potest.
Odimus hîc Tumulos, invisaque spicula Lethes.
Tristia conjugii damna rependet Amor.

Alcma-

Digitized by Google

In
Auſpicatiſſimas Nuptias
Doctiſſimi & Præſtantiſſimi Juvenis,
D. CORNELII CORNELII ZEEWENHUSEN,
ALCMARIANI,
Utriuſque Juris & Philoſophiæ Doctoris, pridem Creati:
ET
Eminentiſſimæ Lectiſſimæque Virginis,
FLORENTIÆ du RIEU, Delphenſis.

MOx Patriæ Proceres ſublimius ire per altum
Spectârunt oculis Te, ZEEWENHUSE, ſuis.
Cum, coram ſacro Phœbi comitante Senatu,
Hîc canerent Laudes plena Theatra tuas.
Et miraretur tunc INCLYTA LEYDA Triumphos
Uni quos dederat Cura Laborque Tibi.
Hanc DUPLICEM tamen, & Gemmis, Auroque CORONAM,
Pieridum in Templis, non peperiſſe ſatis.
Viſa eſt in majus ſeſe Mens Ardua ferre,
Et non in Geminâ ſiſtere poſſe Togâ: (RORES,
Quam THEMIS & SOPHIÆ tulerant, ſic jure, SO-
Et, poſt tot Noctes, Sudor & Algor habent.
Converſa in VENEREM tota eſt ſententia Vati,
Et Paphiæ Muſis plus placuêre Deæ:
Quæ rigidas iſtas Cautes, & ſaxa Laborum
Hinc jam lenirent Melle & Amore ſuo.
Nulla mora eſt. Artes pridem qui noverat omnes,
Hanc etiam in prædam non minus Arte valet.
Exponit cur ritè Dolos & Retia; Solers
Quâ poſſit MITEM fallere parte FERAM.
Forſan, notus Amor facilè Huic veſtigia ſignat,
Et ſcit, quò tacitè ſenſus Amantis eat.
Ambages omnes fugiens, flexuſque viarum
Incurvos, tales promit ab ore ſonos:
Tu mihi Sola places Batavis, FLORENTIA, Delphis;
E multis, VIRGO, Tu mihi Sola places.

Digitized by Google

Tecum Ego pervigiles optem traducere Noctes;
Condere vel longos, Sole morante, Dies.
Tecum secretas Naturæ expendere causas,
Et Magni Tecum differere acta Dei.
Non potuit JUVENI infixas avertere Flammas
Jam dudum Fatis debita Virgo suis.
Et dat victa manus, Casto suffusa Pudore,
Jamque SUI cernit Nomina blanda VIRI.
Neve aliis posthac desideret Ignibus uri,
Quam CORNÉLIADÆ hoc Fœmite & Igne Sui:
O nimium Dilecte Deo! Cui, talibus Astris,
In Thalami Sociam, ducitur apta VENUS.
Et Cujus Lateri se nunc FLORENTIA jungit:
Unde SEEWENHUSII Floreat ipsa DOMUS.
Quæ totidem FLORES, FLORENTI in Stirpe, renasci,
FLORENS FLORE NOVO, viderit usque sibi.

cIↃ. IↃC. LXIV.

Clarissimo Consultissimoque Viro

D. JOHANNI CHRISTENIO,

Novo Illustris Amstelæ Sideri,

Professori Celeberrimo.

NObile Depositum *Amsteliæ*, *Christenius*, Urbis
Post Ancile sacrum, Batavûm se immiserat Aulæ
Solitus. Et cunctas, quas nox absconderat, artes,
Nunc, postliminio, rursum in sua sceptra reponit:
Multa ferens secum venientis commoda secli.
Inprimis veneranda *Themis*, tibi: & ultima nostris
Excita quæ terris, *Astræa*; Hoc, unica, Vate
Quæ salva esse potes, priscumque tenere Curule,
Et sellam majore Foro. ne Barbara tellus,
Ut quondam, Gothicumque chaos gens tota nefanda,
Servitio premat, ac Latias in pristina leges
Exilia ire volet. Quo tandem, Numine læso,
Occupet, heu! nostras vetus ignorantia terras.
Christeni, cœlo nobis delapse sereno,

Illam

Digitized by Google

llam age, quam Procerum votis ſpem rite dediſti,
Illuſtra totidem numeris, pulchriſque laborum
Exemplis & in acta refer. Patet *Orbis & Urbis*
Majeſtas, facile ad Solem quæ currit utrumque
In famam nomenque tuum. Quæque inclyta factis
Per populos terraſque novas, *de more vetuſto*
Purpureis veſtras violis dignabitur Umbras.

CIↃ. IↃC. LXII.

In Honorem

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri,

D. JOHANNIS à NYENBURCH, Cos. & Senat. Alcm. &c.

Cum, poſt ingentia in Patriam Merita,

Celſiſſimo HOLL. ET WESTFR.

ORDINUM

Collegio adſcriberetur.

SIc tua, NYBURGI, Pietas it Sidera ſupra,
Atque aperit cœli Templa ſerena Tibi.
Semper ad alta magis Titulis majoribus, urgens,
Et Populi applauſu Præmia ſumma ferens.
Quos merito Famæ titulos *Alcmaria* donat:
Non ignara, cui ſe ſacret illa Viro.
Primùm quæ tribuit Faſces & nomina magni
CONSULIS, ingenio munera digna tuo.
Totque aliis fruſtra ſperandos nuper Honores;
Obſequio & votis una parata tuis.
Nunc quæ Te niveo vectum ad Capitolia curru
Vult *Patria Summos* inter habere *Patres*.
Plaudimus his Vates Sacris, & Honoribus iſtis,
Nec fas eſt Muſis jamque ſilere meis.
Quæ fremuêre omnes certatim, Helicone ſub alto,
Signaque lætitiæ certa dedêre ſuæ.
Haud Dîs ignaris ipſis: quos noſtra THALIA
Moverat ad numeros, carmina docta, ſuos.
Quos omnes unus, Mecum, ſimul ardor habebat, Feli-

Digitized by Google

Felicem hunc multo teste probare *Diem*.
Magne VIRÛM! Tibi quam Spartam nunc credidit Æther,
Hanc orna *Verâ Religione, Fide*.
Exemploque tuo, quid possit vivida Virtus,
Cum totâ nobis posteritate proba.

cIↃ. IↃC. LXVI.

In Obitum

Reverendi Senis, Typographi Celeberrimi,

D. JOANNIS JANSSONII.

De Republicâ literariâ, immane quantum meriti.

AD

Clarissimum & Doctissimum Virum, Generum Mœstissimum,

D. J. ALMELOVEEN Ultrajectinum,

Ecclesiasten in MYDRECHT.

NOn vacat à Musis, prodire in funus Amici,
Et SOCERI comitem Manibus esse tui.
Vincula nos stringunt, & vis non una Laborum,
Invidet hoc pensum Sisyphus ipse mihi.
JANSSONIUM lacrymis istis ego prosequar absens,
Fas quibus est lacrymis illacrymare suis.
AMSTELII Proceres quos mors hæc proxima tangit,
Exequiis istis nunc sua thura dabunt.
Hi, totidem tædas inter totidemque cupressos,
JANSSONIO facient debita JUSTA meo.
Cui se devincit sæcli non unius ætas;
Sed mundi immensus, quem tulit ille, labor.
Nos TE, *Magne Senex*, ultra hæc humana, BEATUM
Dicimus, & fatis plaudimus usque tuis.
Quod non Herculeis sudans incudibus, hujus
In terris vitæ nunc patiâre jugum.
Sed, liber tandem curis, & carcere liber
Corporis, in cœli pulvere victor agas.
ALMERIÆ Cives, haud inficianda Minervæ

Nomi-

Digitized by Google

Nomina, Pieridum tangit & iſte dolor.
Suppliciterque Deum, per viſcera noſtri, precamur,
AMSTELA majoris ne ſit origo mali.
Et, tandem, ſtricto Batavûm cervicibus enſe,
Subſiſtat telis ANGELUS iſte minax!

cIↃ. IↃc. LXIV.

In

Triſtiſſimum Obitum

Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimi Viri,

VERNERI ab ENSCHEDE,

Eccleſiaſtæ Alcmariani,

Chriſtianæ Pietatis Exemplo Eminentiſſimi.

SIc iterum ABRAMIDÆ plorant ſua damna NEPOTES,
Et Mors MYSTARUM in Pulpita ſacra furit.
Quando nunc, nimiùm Fatis properantibus, Eheu!
Dux GREGIS, inter OVES, protinus Ipſe cadit.
ENSCHEDE, Divini Verbi tam NOBILIS AUTHOR,
Nunc ſubitò Vitæ terminat acta ſuæ.
Atque *opere in medio nondum vergente ſenectâ*,
Deficiens, Populum privat amore ſui.
Alternant ſic Fata vices. Modò, FASCIBUS Altis
Everſis, Spolium eſt Purpura & Aula potens.
Ut ſecura fides nuſquam, ſub fornice Cœli;
Aut hîc Terrarum in finibus ulla fiet.
Crediderim, ad totidem Manes, raptoſque Penates,
Sufficiat portas haud patuiſſe novem. (rurſum,
MAGNE DEUS, quid noſtra, precor, Te vulnera
Admonet, irata vellere cruda manu?
Atque ipſum, in mediis, Solem obſcurare tenebris,
Ut vix, in Batavis, ſit ſine nube, dies?
Sit ſatis Irarum. Spatiumque dediſſe furori
Sit ſatis. Hæc, flexo poplite, vota damus.
Nos vitam, ſine labe, tibi promittimus, ultrà
Nunquam fracturi, quam damus ore, fidem. SPON-

Digitized by Google

SPONSA tua ingeminans triſtes, hoc Funere, caſus,
HUNC ſibi præreptum luget acerba VIRUM.
Quem fidum lateri Comitem, de millibus unum,
Legerat, & verè viderat eſſe Pium.
Ac dignum meliore loco: tranſque Æthera vectum
In Thalamos raperet, contuitumque ſuum.
Hoc petimus, PATER OMNIPOTENS, ut Dotibus
Reſtituas nobis, Ingenioque Virum. (îiſdem,
Qui vitæ exemplo, qui ſacro munere Fandi
Eloquiiſque piis pectora noſtra riget.
Et longûm, Incolumis maneat Res tota Batavûm;
Pro noſtrâ & vigiles jugiter URBE Deus.
Tiſiphoneque ſuas quæ ſic gravis explicat alas,
Tartareis iterum nunc caput abdat aquis.
Sic pariter, REX MAGNE, tuas gradiemur ad Aras,
Et dabimus Templis maſcula Thura tuis.

cIↃ. IↃc. LXIV.

Illuſtri Viro,

D. GUIDONI PATINO,

Medicorum facile Principi,

Profeſſori Regio.

Hîc etiam in Batavis ſurgit ſublimius Oſtro
Regali, nomen, Clare *Patine*, tuum.
Et neſcis, quâ parte poli tua Laurea, Phœbo
Proxima, cum *Superis* debeat uſque coli,
Qui major terris ſubjectis, major & ortu,
Occiduoque die, tollis in aſtra caput.
Omnibus exemplum Medicæ virtutis & artis:
Cûi nec poſteritas viderit ulla parem.
Vive diu, *Patine*, Deo, Druidumque Camœnis,
Et Rex in longum Te *Ludovicus* amet.

Alcmariæ cIↃ. IↃc. LXII.
Kal. Julii.

EPI-

Digitized by Google

EPITHALAMIUM

In Honorem Nuptiarum

Præstantissimi Juvenis,

GELDOLPHI STUILINGH,

Et

Ornatissimæ Virginis,

ANNÆ SYMS,

DUm furit AMSTELIAS ad Ripas improba LETHE,
Et Mors per cunctas it violenta domos:
ALMERIÆ fervet Pulchri Certamen AMORIS,
Et finem hîc blandus vix Hymenæus habet.
Scilicet, Humano Generi ne Nomina desint,
STULINGI, tuus hæc Damna resacrit Amor.
Et vis Connubiis Cannarum avertere Cladem,
Ne Batavum in serâ Stirpe relinquat Honos.
Rem facis Egregiam, Patriæ nunc utilis Armis,
Quæ meritò grates debeat inde Tibi.
Nam si desineret nobis PIUS ARDOR amandi,
Unde sibi præsens fœneret Orbis opes?
In Chaos antiquum rueret mox Dædala Mundi
Machina, & hic frustra Sol daret ipse Diem.
De nihilo in nihilum redigi sic omnia spectes,
Et pulchrum hoc Tantæ concidere Artis opus.
Ut vix in Terris, Rerum qui tractet habenas,
Qui par Imperio & Fascibus aptus agat.
Ergò alacri studio, JUVENES, in Amoribus istis
Advigilet vester nocte dieque Labor.
Ut sua contingant sic supplementa NEPOTI,
Et VIRTUS habeat Pignora cara sui. (NANTI
Nos, THALAMO comites VATES, pia Thura TO-
Omine pro Fausto, Vota Precesque damus.
Et, quantum in Musis, Jovis hanc avertimus Iram,
Ut meliore POLUS Sidere rursus eat.

Digitized by Google

Et, pro Funeribus tantis, pro cladibus istis (MOR.
MAGNATUM, SPONSOS nunc novus urat A-
STULINGIque Faces, & Tædæ, Igneſque Jugales
ALMERIÆ revehant TEMPORA LÆTA ſuæ.
Et GENERUM & NATAM videat PATER Ipſe SENATOR
Hinc nunc PROLIFERI Lege coire TORI!

cIↃ. IↃC. LXIV.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. THOMÆ ab EGMONT

à

NYENBURCH,

Conſuli, Senatori, & SCHOLARCHÆ

Alcmariano.

SOl ruit, & noſtræ, *Mecænas*, Veſpera vitæ
Paulatim, FATO nil remorante, venit.
Et, quæ pars melior, Generoſæ mentis acumen,
Ingeniique decus non ſicut ante fuit.
Quando de nobis ANNI prædantur euntes,
Quæ quondam primæ grata fuere Togæ.
Sed, lucri eſt ſic poſſe mori. Sic denique dextro
Auſpicio, incipimus vivere, CHRISTE, Tibi.
Ut, cum deficiant ſqualenti corpora tabo,
Tunc mens hæc tanto robore major agat.
Longius à portu nam qui ſe credidit alto,
Naufragio queritur proximus eſſe ſuo.
Nos quoque, jam dudum procul à tellure remoti,
Mortiferas inter penè natamus aquas:
Ut moneat nos Hora, manu contingere ripam,
Et non tam longè credere vela Mari.
Paremus monitis, oculoſque ſub aſtra tenentes,
Sic fugimus Syrtes, Oceanique minas.
Oramuſque Deum, ut tacitis qui Ductor in undis,
Impactam in ſcopulos dirigat Ille ratem.
Nec nos Lethæis mergat crudeliter undis,

Antè

Digitized by Google

Antè caput victrix tollat in Astra SION.
Et nos sæpè tuas celebremus, JANE, Calendas,
Sitque domi Victor BELGA, foriſque tuus.
Aut fidâ coëat nobiſcum PAX Britannus,
Ac ceſſet triſte hoc: *Arma Virumque Cano.*
cIↃ. IↃC. LXVII. *Kal. Jan.*

Illuſtri & Excellenti Viro,

D. CAROLO PATINO,

Medico Pariſienſi.

Antiquitatum Scrutatori incomparabili.

IN *Morinis* etiam *Patinum Numen* adorat,
Ingenuam quiſquis Pallada fanus amat.
Jamque *ſuopet Natura Deus, Natumque, Patremque,*
Et dubium, primam cûi ferat illa facem.
Phœnices Ambo, ac famæ melioris amantes,
Et rarum ingenii Par gravitate ſui.
Hoc unum inventis *Guidonis Carolus* addit,
Ut veterum excutiat ſcrinia ſacra Ducum.
Et ſeſe in mediæ mittat penetralia Veſtæ,
Mireturque illic Cœlipotentis opus.
Ad quæ *Rex* illi veſtigia Regia ſignat,
Et vult *Atlante Hoc* munia tanta geri.
Plus auro, plus ære nites, plus vellere Phryxi,
Carole, dum *magni* rem facis ipſe *Jovis*.

Alamariæ cIↃ. IↃC. LXIX.
Kal Julii.

Digitized by Google

Ad

Nobilissimum & Prudentissimum Virum,

D. JOANNEM à NYENBURCH IC.

Consulem & Senatorem Alcmarianum, &c.

Cum Amplissimi Senatus authoritate Scholarcha designaretur.

NOn unus te mactat honor, famâ inclyte Consul,
Nec laurus meritis sufficit una tuis.
In plures penetras, jam dudum dignus, honores,
Officioque tuo celsior ipse venis.
Egregiis olim titulis viguêre parentes,
Antiquâ celebres Nobilitate Viri.
Tu fasces istos ultra, majoribus urgens
Auspiciis, graderis celsa sub astra poli,
Et, terræ à spatiis, Phœbi super ardua vectus,
Pieridum turbæ rite capessis ebur.
Salve, Magne Virûm! Decus indelebile nostrum;
Palladii salve, Clare *Scholarcha*, chori.
Et, post Herculeos humeris quos suscipis ausus,
Huic etiam Spartæ nobile subde jugum.
Nec tuus ingenuum hoc, post munia plurima, munus
Nunc quoque *Musarum* ferre recusat amor.

CIↃ. IↃC. LXV. *V. Id. Julii.*

Ad

Illustrem & Consultissimum Virum,

D. JOHANNEM BOURICIUM, Sup. Fr. Curiæ Senatorem.

Cum Librum suum de JUDICIIS *ederet.*

PAr quondam Superis visa est Romana potestas,
Majestasque illic extulit ipsa caput.
Et quot tunc Patres pulvino vidit Equestri,
Tot Rex hîc Pyrrhus credidit esse Deos.

FRI-

Digitized by Google

FRISIA ſic toto facies eſt orbe ſecundà,
Quæ nulli antiquo cedit Honore Togæ.
Gratulor Hos Patriæ *bis ſex ex ordine* Patres,
Queis populi ſeſe tam bene credit Honos.
Et Quorum Auſpiciis, tot noxia Crimina contra,
Ipſam illic Themidem Dî voluere loqui.
BOURICI tuus hic Splendor, poſt HECTORA Patrem,
Diffundit totâ ſe regione poli.
Quando novus ſolvis *Judex* Ænigmata Legum;
Et, quæ ſint *Partes Judicis*, Ipſe doces.

clɔ. Iɔc. LXV.

Gratulatio
Ad
Ampliſſimum Virum,
D. THEODORUM à VRYBURCH. Conſ. Alcm. &c.
Cum Illuſtribus ac Præpp. DD. Ordd. Holl. & Weſt. Fr.
Suffragiis Cataractarum Provinciæ
Senator præficeretur.

NOn ſatis eſt *Fontes* & *Flumina ſacra Sororum*,
Hactenus auſpiciis, *Magne Vir*, ire tuis.
Et *Patrum* cenſus intra tua tecta *tenere*,
Aut curare foris munia ſacra *Togæ*:
Palladaque & totum ſancto regere ore *Senatum*,
Almeriæque tuæ ſcribere *Jura Foro*:
Additur *Oceanum* curis frænare poteſtas,
Conſiliiſque tuis ponere *clauſtra Mari*.
Hinc, inde *Aggeribus* ruptis, jam latior unda
Ne formidatis exſpatietur aquis.
Illaque ſe mediis *Veſtæ penetralibus* addens,
Exitium pecori, ruricolæque ferat.
Salve, Magne Virûm! factare Nepotibus umbram.
O decus, ô Patriæ ſpes columenque tuæ.
Illud opus magnæ molis, magnique laboris.
Hoc tantæ felix ſuſcipe molis opus.
Studleri labor egregius, *Magnique Toparchæ* *
Conſilium, & *Soceri* mens generoſa mei, † Intre-

Digitized by Google

Intrepidos jungent humeros, onerique subibunt,
Hercule non uno ut stet gravis iste labor.
Illustres Virtute Viri, quos gloria cœlo
Extulit, his curis vos superesse diu.
Et Patriæ nostræ, dulces ante omnia fines,
Contra vim tumidi protegite usque *Maris*.

* *Nobilissimus Vir*,

D. JACOBUS vander MOIRE,

Dominus in Herencaspel.

† *Nobilissimus Vir*,

D. JACOBUS vander NIEUSTAT, *Cos. Alcm.*

Ad Illustrem Virum,

D. GUIDONEM PATINUM, Doct. Med. *Parisinum. Prof. Regium*,

Cum Epigramma nostrum in Nummisma Caroli filii, Regi legendum obtulisset.

SIc etiam ingenui vates plus tendimus ultrà,
Inque Jovis ferimur templa, Deûmque domos.
Pace tuâ, *Patine*, mihi laus evenit ista,
Et cum Rege loqui, copia, posse, datur.
Finitimis coram invidiam quod, forsan, habebit,
Nec tacito poterit lividus ore pati.
Quo, *Vir Magne*, tibi posthac ego thure litabo,
Propitias istum qui mihi rite Jovem?
Atque humilem Almeriæ civem Regalibus illic
Auribus imbellem dat resonare lyram?
Hoc pro Rege precor: felix Huic militet æther,
Et semper Reges maximus inter agat.
Pacatumque regat Proavûm virtutibus orbem,
Augusto nunquam, *Cæsaribusque* minor.

CIↃ. IↃC. LXIV.

Reveren-

Digitized by Google

Reverendo Clarissimo Viro,

D. JOHANNI KNYFFIO,

Annum Climactericum ingredienti

CIↃ. IↃC. LXVI.

TU nunc, *Chare Socer*, violentis febribus ustus,
Intra tecta domus semisepultus agis.
Nec potes officiis, nec sacro munere fungi,
Ingenii solitâ pro ratione tui.
Tanquam si sacris hinc hostibus undique pressus
Libera non aditu mœnia civis habet.
Ut Tarteſſiaco nostra hæc Urbs milite quondam
Cum circumventa est obsidione gravi.
Arripe materiem Fati melioris, & aude
Sperare in propriis hinc meliora malis.
Non semper lateri nostro gravis incubat hostis,
Aut mala de cœlo damna minatur Hyas.
Erepta est positis laqueis Alcmaria victrix,
Illam cum victus deseruisset Iber.
Tu quoque *Chare Socer*, depulsis febribus istis,
Corporis hoc ipso robore major eris.
Et cum solenni, Natalia sacra, triumpho,
Hinc iterum Auspiciis ingredière novis.
Mortiferumque Annum, multos qui misit ad Orcum,
Divinâ felix exsuperabis ope.

VIII. *Octobris.*

In Mortem

EJUSDEM.

MOrtiferum haud potuit transcendere KNYFFIUS
Illi qui Fato proximus annus erat. (annum,
Paullum ultra medium spatium provectus Iulî,
Cum magnæ Matri reddidit ossa suæ.
Viribus exhaustus nondum, nec flore senectæ
Maturus. Fato sed properante diem.
TERMINUS hîc hæsit vitæ. Nec fas fuit ultra
Pensa

Pensa suæ vitæ ferrea ferre pedem.
Sic sequimur, Natura, tuos, in pulvere, ductus,
Et, licet invitum, Mors sua quemque manet.
Magne Socer, satis in terris tua profuit ætas,
Canitiesque Tibi sic veneranda satis.
Octo in Lustra docens Divini Oracula verbi,
Exemplum, & raræ sedulitatis opus.
Almeria Cives, vosque inclyta nomina, *Musæ*,
Fatorum memores Illius este Viri.

Almariæ cIↃ. IↃc. LXVII.
XVIII. *Julii*.

Amplissimo Viro,

D. THEOD. à VRYBURCH, Cons. Alcm.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LXI.

Hic mihi non uno decurrit pagina voto,
In votum totus scribitur, ecce, liber.
Tota *Thalia* mihi *Kryburgi* in nomine furgit,
Et nasci hoc solo judice digna fuit.
Lumine quo nostris oculis, & ab axe remoto,
Sic etiam cupiam vix superesse mihi.
Utile sed Musis, neuter sua lumina claudat,
Et longum Patriæ vivat uterque suæ.
Vive animi pars magna mei, vive, Optime Consul,
Vivant *Vryburgi* Pignora chara domus.
Cunctaque præteritis vovi quæ sedulus annis,
Hæc, voveo, præsens *Annus* ut ista ferat.

cIↃ. IↃc. LXI.

Nobilissimo Prudentissimoque Viro,

D. JACOBO vander MOERE,

Domino in Herencaspel, &c.

Non Batavus tantum, *Mecænas*, fervet in armis,
Et contra Albionas fortia bella gerit;
Cernimus hîc etiam, quantum, terrâque marique,

LILIA

LILIA finitimis sint inimica Rosis.
Quæ nunc de Magno (faxit Deus Omen in istis!)
Ipso CHRISTOPHORO clara trophæa ferunt.
Speramus, Signa ista meus mox Belga sequetur;
Aut PAX, quæ bellis pulchrior, arva petet.

pridie Kal. Jan.
cIↃ, IↃC. LXVII.

AD

Rarissimi Ingenii, & Eruditionis Juvenem,

D. ROMANUM de HOOGHE, Amstelod.

Cum in celeberrimâ Lugd. Bat. Academiâ;
Illustri Jurisconsultorum Ordini adscriberetur.

SIc tandem Patres inter, ROMANE, Togatos,
Palladio Victor, Pulvere, Clarus ovas.
Inferiorque tuo nec quicquam *Nomine*, solùm
Excelsa in Batavis, *Arduaque* ipsa petis.
Nil animo vulgare unquam complexus & annis.
Gloria sed semper *Quem* sua tollit humo.
Almeria toties quod mirabantur *Athenæ*,
Quando mihi exemplum grande Laboris eras.
Et meritò potuit *Magnatibus* usque probari
Ingenium, ac Linguæ Suada diserta tuæ.
O Major Juvenum! Quem nunc *Plus* provocat *Ultrà*
Adgenitus veræ laudis, & artis amor.
Quem non Sirenes ullæ, Circæaque monstra
In sua, per vetitum, retia blanda trahent.
Non securus amor vitæ, sanctique pudoris,
Tramite nec rectô devius error aget.
Longè alias olim, Nobis Doctoribus, artes,
Convictu in sacro, qui benè doctus eras.
Quæ rursum in Terras de Cœlo *Astræa* revertet
Judice, & ad solitum *Curia* scandet ebur.
Amstelaque ipse suos rimabitur altius ortus,
Cæsareumque feret Celsa sub Astra *Caput*.
Da dextrum, *Pater*, Augurium; Da prospera signa:
Perpetuò ut *Laurus* floreat ista *Foro*.

Sub

Sub cujus placidâ convalle, & tegmine fido
Inveniat tutum sic *Themis* ipsa larem.
Et, quæ divitiis *Urbs Orbi* maxima, doctis
Vatibus hæc etiam maxima semperagat.

Ad Rev. & Cl. Virum,

D. PETRUM SCHACKIUM,

Eccl. Alcm. Past. Celeberr.

Cum illustrem Eccl. Hagiensis Vocationem magno & generoso animo recusasset.

Sic demum pietas & honesti gloria, *Schackii*,
In cœlum, â terris, te super astra tulit.
In Batavis quando nunc pulchram *Amaryllida* sper-
Et plus Alcmeria re juvat *Urbis honos*. (nis,
Totque Deûm, Procerumque domos, & tecta Potcn-
Infra res nostras ponere mactus amas. (tum
Dant istam mentem *Superi* tibi, Candide *Schackii*,
Quo mens non hominis, nec meus ardor agit.
Vota Precesque piæ fecêre hæc otia nobis,
Ac taciti virtus Numinis illa fuit.
Isacidæ cuncti lætantur munere in isto,
Postque graves nubes, visa renata salus.
Magne Deus, *Salymus* hîc pacem, delubraque serva
In longum, & tanti sit tibi cura viri.
Sub cujus linguæ eloquio, Suadâque potente
Finitimis cunctis turba superba fumus.

cIↃ. Ↄc. LXIII. *Idib. Feb.*

In tristissimum Obitum

Incomparabilis Viri,

D. JOHANNIS ANTONIDÆ van der Linden,

In illustri Batav. Acad. Medic. Facultatis Professoris Primarii.

Leida suum Nomen jam dudum æquavit Olympo,
Sub Geminisque sibi Sole Trophæa videt.

Sexcen-

Digitized by Google

Hexcentis plus clara Viris: Quos atra Cupreſſus,
Prò dolor! atque Erebi flebilis unda tenet.
Has dederat Laudes non unâ ex PALLADE Laurus;
Hâc propriâ Phœbi Laurus in ÆDE fuit:
Cujus tot Populi vitam duxêre ſub Umbrâ,
Hippocrateſque ſuum jactat & Ipſe Genūs.
LEIDA, tuum Nomen, par Immortalibus Aſtris,
Nunc iterum in Cineres cernimus ire ſuos.
Ipſos Magnates, & Summa Papavera quando
Falce manuque ſuâ Mors truculenta metit.
Et, poſt VORSTIADEM, Centum Caput Artibus il-
Nunc *Heros Novus* Tartara adire facit. (lud;
LINDANUM & Fato Batavis ſubducit iniquo,
Vultque ſimul Cunctas hîc periiſſe Deas.
Quis furor, ô Superi! Cognatis parcite, quæſo,
Numinibus. Semper nec Jovis ira premat.
COCCEJI vox Sacra docet, quam vulnere multo
Saucia Pieridum facta ſit inde Domus:
Cui tunc à Friſiis, ut primâ penè Juventâ,
Chara fuit tanti Fama ſtupenda Viri.
Si tibi nec ſatis eſt Lacrymarum, ô LEIDA: Dolorem
Hunc, inter Druidas, Sequanaque ipſe dolet.
PATINUS que, illic *Pater* &, *Natuſque* cruentis
Hæc Lacrymis cupient Buſta rigare ſuis.
Hoc agite, Æternas LINDANI Manibus Aras,
ILLIUS & Centum ponite Thura Focis.

CIↃ. IↃC. LV.

GRATIS

GRATIARUM ACTIO
AD
Optimum Maximum
IN COELIS DEUM.

Quando à truculentiſſima PESTILENTIA
Inclytam
CIVITATEM ALCMARIAM
Paterno ſuo amore liberaſſet.

cIↃ. IↃc. LVI. Menſe Novembri.

TAndem etiam longo ſolvit ſe Alcmaria luctu,
Auſpiciis, DEus alme, tuis. Iterumque fugatâ
Pieridum à templis, & noſtræ mœnibus Urbis
Tiſiphone, tantò nobis Sol gratior exit.
Et poſt fatales, quos Sirius hauſerat ignes,
Jam meliore meas exſpectant ſæcula Muſas
Omine. Dum puro ſalientem ſanguine venam
Ire vides; nec crudeli ſuccumbere Morti
Tot pecudum dulces animas, vivamque Tonantis
Effigiem. Cœli morbo quæ protinus orta eſt
Tempeſtas, ſatis incenſos depaſcitur artus,
Pabulaque infecit ſatis, atque incanduit æſtu
Inſolito. Nova Lux, totidem poſt funera & umbras
Exoritur ſplendore novo. Lethumque, Chaoſque,
Quæſitæque nocent nobis non amplius artes.
Stant vinctæ ſortes Fatorum, & ferreus ordo
Eumenidum. Stygiis nec jam caput altius undis
Alecto in lucem attollit, ſpargitque venenum
Interius. Squallet, cum Pollinctore, miniſter
Sandapilæ. Et, quicquid potuit ferale timeri
Antè Toro, Thalamique novas incîdere leges,
Sublatum ex oculis. Puro datur axe tueri
Felices Signorum ortus. Hyadaſque ſiniſtras,
Et ſidus, Saturne, tuum nil triſte minari.
Non Tellure gravem nunc exhalante Mephitin

Per

Digitized by Google

Per Populos, viruſque ſuum properantibus Aſtris
Laden novâ. Poſt tot lacrymas & Funera, rurſum
Neglectum reparare genus Thallaſſius urget.
Cum Superis tandem Pax eſt ſancita. Fideſque
Et probitas redit exemplis illuſtrior ævo,
Quàm nuper. Muſiſque ſacris convalle locatis
Picria, volet hinc majoribus ire per altum
Remigiis Pallas, virtutem atque addere factis.
Illa Dei vindicta fuit; Qui funere acerbo
Tot Batavûm egregias animas detruſit ad Orcum,
Et pœnâ graviore dedit, morboque fameque,
Oſſa minutatim tabeſcere. Cœlitus, inquam,
Diſtrictus pridem miſeris cervicibus enſis,
Qui tot fata tulit. Vitiis alimenta dediſtis,
Mortales; unde ira ſuas effudit habenas
In majus. Totumque Deum indignatio cepit
Acrior, ut tantos agitaret mente furores.
At nos, ô Batavi, primum, radicibus imis,
Si ſegetem juvet uſque mali, PECCATA NEFASque,
Eruere ex animis, Vatumque Oracula factis
Ponè ſequi, plus quàm clypeo ſeptemplice tecti
Jam ſumus, & Furias omnes ridemus ab alto.
Nec fugiet rurſum Teucer Salamina Patremque
Inde novus. Carpet ſua quiſque ſub arbore poma,
Et, recubans Fagi ſub tegmine, lentus in umbra,
Adſpiciet Cœlum ſolitis ſe ferre quadrigis.
Tu porrò PATER OMNIPOTENS, pia mœnia ſerva
ALMERIÆ. Procerum Faſces, populique ſalutem
Aligerûm defende choris. Ne, poſt grave Bellum,
Inſanamque Famem, Ætnæis ſe attollat ab undis
Peſtis. Et, incautum vitians contagio vulgus,
Aonias iterum, Pimplæo à vertice, Muſas
Ire procul mandet. Nos ſacras prêndimus aras
Relligione novâ. Stratique altaria circum,
Spondemus nivei divina tomacula porci,
Et volumus non eſſe mali. Tu, Magne Redemptor,
Terrarum Cœlique Sator, fac ire ſerenis
Auſpiciis, quos nunc Soles oſtendis ab alto
ALMERIÆ Populo, & PHŒBO vis eſſe ſalubres

Fac

Fac memores nobis animos, & gloria tanti
Vilescat nunquam meriti. Dum sidera current,
POSTERITAS hinc grata tuos agnoscat amores.
Et, quantò, factis nostris, tua munera, CHRISTE,
Sunt majora; Tua hoc etiam, quod comprobet aetas,
MAJESTAS tantò major celebretur in Orbe!

ALCMARIA TRIUMPHANS
De
PACE PUBLICA,
Celebratâ
Inter Potentissimum Hispaniarum Regem,
PHILIPPUM IV.
Et Illustrissimos Foederati Belgii
ORDINES,
Anno Reparatæ Salutis Christianæ CIↃ. IↃC. XLVIII.
5. Junii.

INcrepuere satis Mavortia Classica, Belgæ,
Et Regum sudavit ebur. Fœcunda malorum
In pœnam Bellona diu crudelibus armis
Intonuit, seros acuens in bella Nepotes.
Nulla salus, Gradive, tibi. Dehinc otia Rheno
Promittunt faciles Divi. Sat prata biberunt
Sanguinis, & rupit Balearica machina muros.
Sat dubios in se populos Discordia traxit;
Sat terrâ pelagoque in vulnera viribus itum est
Auriaco Hesperioque Duci. Nunc Ægida tristem,
Bellantûmque manus Batavo proscribimus Iaxe.
Nunc, quæ fera licet Tityrum respexit amantem
Libertas, famam seris annalibus infert:
Porrigitur tanti Regis dum Dextera nobis.
Et Pacem hospitiis & Fœdera jungimus ambo.
Cessêrunt sic arma togæ, Bætisque Tagusque,
Accipiunt lætantem animis genialibus auram.
Terribilesque olim galeæ, lituique, tubæque,

Loricæ,

Digitized by Google

Loricæ, clypei, metuendaque tela, fariſſæ;
Oſſa plena ſitu, Janum ſubiere recentem.
Auſpiciis, Auguſte, tuis. Fomenta malorum
Mittite ad Euganeos, placido nunc æquore, Patres
Hîc alter Pellæus erit, vincendus & alter
Hannibal; hîc Scythicum poſſis frænare Draconem
Caucaſeumque tuis ſubmittere faſcibus orbem.
Aut, ſi tantus amor belli tibi, Belgica pubes,
Ut nequeas generoſum animi ſedare furorem,
Fortiter in Vitium pugna, affectuſque rebelles,
Et nequam imperio motus parêre jubeto.
Pulveris hîc ſatis eſt ubi te præſtabis Achillem,
Hectoraque, & priſcas Heroum imitabere Lauros.
At, pia Poſteritas, non eſt Victoria tanti,
Quàm Pacis ſecura fides. Quàm Libera tandem
Imperia, Aſſertore Deo, Virtute parari.
Armorum cuncti ſaturi ſumus, inque Ferarum
Jam morem vixiſſe pudet. Pax una beatos
Efficit. Hæc Divûm nobis commercia donans
Ambroſiâ immortali animos & pectora nutrit.
Bella gerant alii. nos pulchra in regna locati
Cingimur in Batavis Ramo felicis Olivæ.

Nobiliſſ. & Ampliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONT à NIENBURCH,

Illuſt. ac Præpp. DD. Ordd. Holl. & Weſt-Fr. à Conſiliis, SCHOLARCHÆ, &c.
Kal. Jan. Ioc. XLVIII.

ECce laborantem Cœli ſub pondere Phœbum,
Et bis ſena ſuis ſuperantem ſigna quadrigis:
Ut, poſt Arctoæ glacialia frigora Brumæ,
Auſpicio nobis Zephyros meliore redonet.
Sic nos à ſimili Cœlorum ardeſcimus igne,
Et ſequimur Titana ducem. Para ætheris alti,
Mens Hominis, paullum divis divûmque labore
Inferior. Motus Aſtrorum imitamur agendo,
Et rapimur juxtà pennis. Quippe æmula virtus

Dat

Dat ſtimulos animis. Flammamque in pectore gignit
Ambitioſa fames, & pulchri fomes Honeſti.
Acta virum ſua quemque probant. Segneſcere probro
Ducitur, & longè requies proſcribitur omnis
A Batavo, invitoſque labor calcaribus urget.
Hîc, ô Magne Virûm, primas & pondera rerum
Prima tenes. Hic egregiis pia cura lacertis
Se exſerit, atque ingens ſudoribus area trita eſt.
Hîc nulli ceſſare datum. Labor actus in orbem,
Atque alia ex aliis curis mox cura recurrit.
Uſque adeò Imperii arcanum, faſceſque fatigant
Mole ſuâ Patriæ Atlantes. Fiducia regni,
Libertas, Populique ſalus cervicibus iſtis
Incubat. His tantum jugulis avertimus Hoſtem,
Et tot Naſſoâ numeramus in Æde triumphos.
Terrarum Cœlique Parens, quando impiger urget
Auſpicio nunc Phœbus equos, decumanaque ſurgunt
Æquora, & horrendo metuendi gurgite fluctus,
Felicem adſpira Batavûm conatibus auram:
Ut, cum ſole novo, nobis, cœlique juventâ,
Aurea Saturno ſub Principe ſæcla revertant.

Honori Nuptiarum
Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri,
CORNELII à TEYLINGEN,
Conſulis Alcmariani, SPONSI,
ET
Nobiliſſimæ Excellentiſſimæque Virginis,
HESTERÆ DE BYE,
SPONSÆ.
cIↃ. IↃC. LII.

ERgò jam lætos tua janua colligit ignes,
Teylingi, & Patriæ egregius contingis ovanti,
Dum, non Pellæo minor, in Capitolia ducis
Penelopen, victis rivalibus. Ac Tibi totum

Ilion

Digitized by Google

on expugnas: tanto defunctus honore
Superûm. Et quanquam lenta pugnâris arena,
ppositos rumpis scopulos, Alpemque nivemque;
tandem in media ponis vexilla Suburra.
Heroum Soboles! Drusorum à sanguine celso,
Batavi Imperii *Comitum* Natalibus altis
ai numeras Genus, hoc tali sudore paratur
higeneia Tibi. longa atque illustris Honorum
agina. Quæ juxta sordent vel Persica regna,
t Trifolinus ager, dictusque à Vimine Collis,
lysiisque suis tribuit quæ sanctior ætas.
Cætera plus toto Pactolo arridet, & auro,
uod Tagus, aut Indus fulvis evolvit arenis,
landiturque sui vitio mortalibus ægris.
)igna Jovis thalamo Conjux, atque altera Juno!
ro cujus merito ac titulis tot bella gerantur
n Batavis, decimumque potens Procus ambiat annum.
)igna, pios animi Mores Quæ in Imagine viva
Exprimat, & Veteres generosa in stirpe *Foresios*
Nobilibus Sponsi Proavis, & laudibus addat.
Hunc à cœlesti Genium nos traximus arce,
Instinctu, Natura, tuo. *Graviore catena*
In Venerem, & pulchros rapti Ganymedis amores.
Nec, certè, *in terris major custodia census,*
Tranquillique animi portus, quàm tollere dulcem
Hæredem, atque Toro totas effundere habenas.
Nullum Numen abest, si Conjux moribus æqua
Ducitur: ingenuum numerat quæ in Dote pudorem.
Cum Qua, Phœbe, Tibi liceat producere vitam,
Intactam vitiis: Secura & in otia nato
Cui sic obrepit non intellecta Senectus.
Has ultrò patimur Vates in pectore flammas:
Qui licet in blandis Musarum amplexibus ipsi
Nascimur, & socia semper cum Pallade soles
Dividimus. Cunctos Homines hac clave teneri,
Alma parens sanxit Venus: æterniſque Hymenæis,
Atque aliam ex alia generando ducere prolem.
Tale Tibi Sidus, *Teylingi*, eluxit Olympo, *Hesterno*,

Digitized by Google

Hesterâ, Diva potens. Quæ Famæ & Nominis alti
Materies augustâ tui est. Quæ Nectare plena
Iliaco, Hyblæisque favis, saturataque dulci
Ambrosiâ, in Sobolem stillabit roscida *Mella*,
Frugiferæ instar *Apis*. Quæ docta & sedula Mater,
Tu dum Jura Fori, Fasceisque & Sceptra tueris,
Perpetuò sacram servabit in Æde Minervam.

Nobilissimo & Amplissimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT à NIEUBURCH. *Illust. & Prapp. D. D. Ordd. West-Fr. Dep. Consuli & Scholarchæ Alcmariano.*

DUm Pater Auriacus ferro rem fortiter urget
In Morinis, iterumque sibi parêre coëgit
Hesperiam, & nostris longè de finibus arcet
Vulturium: Tu, *Nieuburgi Generose*, Potentes
Belgarum PROCERES inter pars magna, Senatum
Consilio curâque regis. Sic grandibus Ambo
Auspiciis clari, natique & rebus agendis.
Ille etiam pulchro Patriam custode tuetur,
Tarteſſique domat populos, qui fomite vivo
Accendit flammam: plenoque Æraria censu
NASSOO parat, & lituis alimenta ministrat.
His gerimus bellum auxiliis, totiesque triumphos
Molimur Belgæ. Felicius aurea muros
Perrumpit nebula, & portas à cardine vellit,
Quam ferri districta acies. Hac arte litamus
In Batavis, vilique animam mercede locamus,
Et Maurum toties pretio expugnamus & ære.
Hæc, Patriæ Patres, Gradivo cuditis arma,
Hæc Vos cura domi lassat. FREDERICUS in hostem
Depugnat, Martemque foris gerit. Integer ævi
Sanguis. at Heroum laurus sed carpitur annis,
Temporis immitis spolium. Visque improba lethi
Uno virtutes omnes absorbet hiatu.
Et nunc, Sole novo, moles operosa laborum
Incrementa facit: cumque Annis cura revertit

Præte-

Digitized by Google

Proceritis major. Sua quemque exorsa fatigant.
Auriacum Martis rursum furor armeque versant,
Et nova spes prædæ stimulat, num Vespere toto
Excussisse Tagum possit, sceptrisque Philippos
Exuere, & Batavo speratam inducere Pacem.
Te, *Vir Magne*, tui Fasces & Purpura cogunt
In majus laxare animum, curaque senili
Imperio populos regere & servare Quiritem
Innocuum, Musasque simul. Megrandia Vatem
Sollicitant; Phœbusque novâ cum luce laborem
Aggravat. Ascaniusque tuus formandus in artes
Ingenuas. Et, quod tacitum, *Vir Magne*, remordet
Nenhusium, solidas ac grandes reddere grates
Muneribus: quibus illustris tua dextera turget
In Thalamos Musasque meas. Da, CHRISTE Redemptor,
Proxima felici reparat quæ sidera Titan,
Sacidum populo sint prospera. Tuque mearum,
NIEUBURGI, columen rerum, & tutela Batavis,
Cum Nato & charâ longum Junone perennes.

cIↃ. IↃC. XLVI.

IN OBITUM

Nobilissimi, Amplissimique Viri,

D. CORNELII à SONNEVELT, IC.

Consulis & Senatoris Alcmariani, Senatus Maritimi

ASSESSORIS, &c.

Piissimè Defuncti Alcmariæ,

cIↃ. IↃC. LIV. XVIII. Kal. Febr. Æt. suæ LIV.

EHeu! sic iterum, JANI sub limine primo
Nobis, in Batavis, non Ilias una malorum
Nascitur à Cœlo. Superûm Vindicta parata est,
VULCANO hinc superante Domos, inde ÆQUORE Terras,
Humano generi certam properare ruinam.

Digitized by Google

Tanquam Bella parum BELGÆ nocitura geramus,
Et nusquam Auriacus sudet sub cassîde Mavors:
Securi, quâ clade foris, quibus undique Gentes
Dissideant inter se odiis, strepituque ferantur.
Plus patimur. Nostrique pares haud pressibus istis
Sunt humeri. Molem Alcides perferre recusset
Ipse operis tanti. Res & sub pondere desit.
Has lacrymas luctusque augent tua Funera nobis,
Et Batavûm Populo, Phœbique in vertice MUSIS,
Inclyte SONVELDI. Cui vix, plaudente Senatu,
TERTIA cum Lato concredita PURPURA Clavo,
Hîc nunc ponis opus, Cœlestem allectus in Aulam,
Atque alias, meliore Foro, formandus in Artes.
Magne Virûm! Tua Te PIETAS & conscia VIRTUS
Ultra orbis spatium longè provexit, & ASTRA
Nunc Cœli COGNATA facit comprendere dextris.
Tu nos, heu! tristi rerum sub cardine, CONSUL,
Deseris, ac fidum PATRIÆ subducis ACHATEM.
Qui toties Civem ingenuum, causasque Piorum,
Et Commune Bonum auxiliis & fortibus ausis,
Plus quàm Fortunas proprias, tractare solebas.
Discite, Mortales, Vitæ subducere summam,
Et vitiis purgare animos. Innataque culpæ
Crimina prætextu nullo, vel jure tueri.
HEROIS tanti Laudem & vestigia factis
Exprimite. Hoc sanctis pariter conatibus omnes
Unum agite. Hanc, deceat cunctos, his casibus ævi,
Prælucere FACEM, & Virtutem accendere Terris.
LAMPADA quam nobis pulchre SONVELDIUS HEROS
Prætulit, ac densâ septum caligine VERUM
A tenebris clarum in SOLEM Lucemque reduxit.

Digitized by Google

Ad Nobiliſſimum & Generoſiſſimum
VIRUM,
D. ANTONIUM STUDLER,
EQUITEM.
Bergarum in Kennemariâ Toparcham, &c.
Cum ad me Territorii ſui deſcriptionem miſiſſet,
cIↃ. IↃc. LV. prid. Kal. Octobris.

Hîc ſpectat medius viridi de ceſpite pulchrum
Naturæ STUDLERUS opus; Magnique Tonantis
Terrigenas erga magnum admiratur amorem,
Hîc de præcipiti, ſublimis in aëre, cernit
Undique ſaltantes lætos, ad Flumina lata,
Nympharum Satyrûmque choros. Hîc, vallibus imis,
Ludere capreolas certatim in pulvere Circi,
Et quicquid priſco majeſtas contulit ævo
In cenſum doteſque ſuas. Quò purius omnes
Ire Jocos, & delicias, ſine nube, videmus
Se toto laxare ſinu. Terrâque marique
Creſcit ubi cunctis ripis & littore, quicquid
Olim Mygdonius, Phrygiæ ſub finibus ipſis,
Alcinouſque ſenex Phæacum legit in hortis.
Non aliter quam ſi fœcundos purpura campos
Veſtiat, & multo Pactoli ludat in auro
Undique læta ſeges. Talem, ſub ſidere ſacro
Falcigeri quondam faciem Natura creatis
Addiderat rebus. Quando pulcherrimus ordo,
Et cœli radiantis honos miracula terris,
Auctoremque ſui fatali inſcripſerat ævo.
Cum faſtidirent ipſi ſua Sceptra Potentes,
Unius in Sylvæ contenti valle jacêre,
Immemores, Fortuna, tui. Longeque remoti
Ingenio à miſeris, natis circum Atria, curis,
Securum in vacuis degebant montibus ævum.
Inter Hamadryadum numeros, & carmina docta
Vatis Apollinei, lætos aut Phyllidis ignes,

Digitized by Google

Auribus arrecti. Nunquam meliore Theatro
Quisquam habitet prisco magnorum à sanguine Regum;
Aut grege Socratico: Quos mens atque ardua cœli
Cognitio vulgi tunc obliviscier artes
Fecit, & in Magnæ Matris detruserat Antrum.
Unus Musarum hîc dulcis secessus, & aula,
Ingeniique locus. Solito quâ pulchrius edat
Ipsa novum cœlo carmen demissa Thalia.
Certat ubi Pomona suis & Delia blandis
Muneribus; Facilisque furit per pectora Vatum
Aliger ipse Puer. Felici hoc cardine mundi;
Hospitioque Deûm, ne sola hîc Cypria secum
Exulet, & Tantas Dominas Spes fallat inanis
Conjugii, Prolisque labor cogatur in arctum.
Grande Equitum, STUDLERE, Decus. Qui vertice toto
Hîc supra es, Tituliſque tuis Augustior Ipse
In Populos das jura tuos; Batavûmque Salutem
Consiliis animoque regis, Defensor Honesti,
Hoc cupiam TE in Honore diu, Patriæque Tibique,
Usque etiam in seros vitam producere Natos,
Et Natos Natorum, & qui nascentur ab illis.

IN OBITUM
Reverendi & Doctissimi Viri,
D. JOHANNIS SNELLII,
Theologi Clarissimi.

Ecclesiæ Alcmarianæ Pastoris Vigilantissimi.

cIↃ. IↃC. LII. III. Kal. Sept. Æt. XLIX.

SIc iterùm irati miscent aconita Tonantes,
Et Superûm nos bella manent. Erebumque Chaosque
Cernimus in Batavos non unâ incumbere peste.
Armorum formido Foris, vis tanta nocendi,
Intonat horrendum, ac diversi partibus orbis
Glisci[illegible]

Digitized by Google

Gliſcit amor ferri, Fratrumque injuria gliſcit:
Invidia ſcelerum artifices ſtimulante Britannos.
Morborum formido Domi, Febriſque Fameſque
Incubat, & collo trahitur pars longa catenæ,
Curarumque cohors. Tanquam ſi gurgite vaſto
Oppoſitas rumpat moles, & littora latè
Indomitus Nereûs. Clademque aut funera paſſo
Romano, rurſùm Pallor ſua Templa reviſat.
Non aliter Batavo ſequitur de vulnere ſanguis,
Et nos in pœnas veteris trahit orbita culpæ,
Contemptuſque DEI; Pietas neglecta, Fideſque
Iſacidum, ac toties ferventi tincta veneno
Pectora, & in turpes admiſſa Licentia Mores.
Sancte Pater SNELLI, tua vis hæc enthea ſæpè
Eloquio profeſſa fuit, caſuſque futuros
Majeſtate manus pinxiſti ante ora Senatus.
Sed mens læva fuit, nec res eſt credita Belgis,
Cum ſolitus nigrum vitiis præfigere Theta.
In Peccata omnes miſeri, temone ſub uno
Currimus, & Recti vix eſt ſemunica nobis.
Luxuria incumbit terris, creataque ducit
Ambitio Magnatum animos, ceù fallere viſco
Docta, atque in prædam corvos ſuſpendit hiantes.
O quoties Populo tali regione viarum,
SNELLI, Dûctor eras! Quoties præcordia circum
Ludebas rectâ facie, ſtrictiſque lacertis!
Cornea ſed nobis tunc fibra, & ferrea durus
Corda ſilex habuit: Tripodes cum vera loquuntur,
Et Divinum aliquid præſagis Vatibus exit.
Sic ſapimus ſerò, & clypeum poſt vulnera læſi
Sumimus, ignari Fatorum ac Numinis iræ.
Virtutem nemo incolumem ſuſpendit in æquâ
Lance; ſed amiſſam ex oculis, cœloque receptam
Optat quiſque ſibi. Tunc vox eſt una: periſſe
Frontem de rebus, ſacrumque Helicona Minervâ
Deſtitui, ac ſteriles tantùm reſtare cathedras.
Matura eſt Vindicta DEI! Cœlumque ſiniſtris
Ominibus terrens, certi dat ſigna furoris
In mortale Genus. Sunt hæc præludia tantùm,

Digitized by Google

Auſpiciumque mali. Liquido quod Sirius ipſe
Nunc probat exemplo, dum lampade quaſſat Olym-
pum,
Et, ſine more, truces flagrat violentus in iras.
O SNELLI, nimium tua fortunata favilla eſt,
Securuſque jaces nimiùm! Dum colligis eſcas
Aure animiſque ſacras, & Divûm dogmata, coram
Jam CHRISTO Doctore, ſapis. Verumque Fidem-
que
Colluſtras oculis Virtutum in imagine vivâ,
Et malè diſcinctos hoc vitæ in carcere rides.
Manibus ex iſtis purum naſcetur amomum,
Et violæ; Famæque tuæ divina propago,
Semper laude recens, ævum tranſcendet & annos,
Cujus Candorem dudum deſiderat Æther,
Aligerûmque chorus. Priſco Cui pectus Honeſto
Incoctum fuit, atque Animus meliore metallo.
ALMERIÆ Cives, Dîs depellentibus agnam
Cædamus. Noſtrumque illud nunc vivere triſte
Emendet DEUS! Et Saturni temperet Aſtrum
Hactenus inviſum nobis! Sic flevimus urnam
Jam ſatis. Ambroſiâ in cœlis & nectare vivit
SNELLIUS. Hîc toto Quem nunc ex aſſe Beatum
Libertas facit, & civem tranſcripſit Olympus.

Digitized by Google

IN OBITUM
Nobiliſſimæ, & eminentiſſimâ Virtute
MATRONÆ
CATHARINÆ de GRAEF.
Ad Nobiliſſimum & Ampliſſimum VIRUM, *Meſtiſſimum Illius Conjugem,*
D. JOHANNEM à NYENBURCH, IC.
Conſulem & Senatorem Alcmarianum,
cIↃ. IↃc. LIII. Non. Sept.

HAs primùm nobis lacrymas & Funera fecit
Pleïas infelix. Aëris quæ nubibus acta
Triſtibus Agricolis ſolito torrentior exit,
Ac damnum commune creat. Quis dicere falſum
Solem auſit; veroſque etiam haud portendere luctus?
Quod non una probat Nemeſis; non una ſecuris
In cladem renovata ſuam. Flagrare videtur
In majus Vindicta DEI. Nec jam amplius uſquam,
In Batavis, nobis allucent Aſtra Saluris.
Atque utinam! tali non GRAVIA *tacta fuiſſet*
Sidere, Saturnumque ſuum ſenſiſſet Iberus.
Sic non atratos lugeret Curia Faſces;
Non ſua differret triſtis vadimonia Prætor;
Damnaretque Toros, & ſpem ſurgentis Iuli,
Nondum nupta viro, Virgo. Nam, Funere tanto,
Eheu! lamentiſque ſuis, miſeroque ululatu
Aonidum obſtupuêre chori. SOBOLEMQUE PATREMQUE,
Ac eadem charos involvit cura PROPINQUOS.
Non, SUANEBURGE, tuum, ſatis eſt, pro vulnere tanto,
Defleviſſe caput. Deerat præda altera, Magni
Illa Jovis Conjux, præſtantibus inclyta factis,
GRAVIA: cûi flavum ſecuit Proſerpina crinem;
Elyſiiſque dedit ſanctum in Convallibus ævum.

Digitized by Google

Magne Virûm, NEOBURGE, tui Solatia casûs,
A Sæclis Natura dedit. Quæ, Legibus æquis
Fatorum, à charo Pyladem divellit Oreste.
Et non perpetuò vult nos amplexibus uti
Felicis Thalami. Quin prima, & próxima Letho
Hora fuit, quando primùm nos sacra revinxit
Cortina, atque ausi fatalem scandere Lectum.
Spes etiam ampla Tibi, CONSUL, de CONJUGE tantâ,
NATORUM: Cui jam ludit non unus in aulâ
ASCANIUS, Parioque isto sub marmore vivit.
Esto animis factoque potens. Tua GRAVIA terris,
Et tenebris, nunc exul agit; Cœloque recepta
Sub pedibus calcat nubes. Et, imagine major,
Angelicas inter turmas, sacrosque Hymenæos,
Cum Superis lætos agitat gavisa triumphos,
Ac sine labe aliquâ jam PURA in LUCE refulget.
Dî! quantum est, cum nos, exempti hoc carcere mundi,
Implemus nostris geminos Virtutibus axes:
Et Morimur, vitæ tandem statione peractâ,
Exemplo, CATHARINA, tuo. Quæ, MAXIMA MATRUM
In Batavis, seros acuis PIETATE Nepotes:
Ac VETERIS nobis RECTI vestigia signans,
Ritè doces, quæ nos deceat sacra orbita Rerum.

Digitized by Google

In Secundas Nuptias

Ampliſſimi & Prudentiſſimi Viri,

D. ADRIANI SEVENHUSEN,

Cas. Alcm.

Et Eminentiſſimâ Virtute ac Familiâ Virginis,

MARIÆ CORENIÆ.

DUcere ſic plenam Curis, ſine CONJUGE, vitam,
Diſplicuit, SEVENHUSE, Tibi. Nec inertia talis
Faſcibus æqua ſuis. Multò magis ille Maritus,
Ac ſolidæ plus laudis amans, qui Numinis alti
Inſtinctu, medio è populo, ſibi divite Cenſu
Virtutum, & factis illuſtrem, ac nomine Avorum
Penelopen quærit. Cum quâ celebrare Tonantem
Obſequio majore licet. Partæque Salutis
Depoſitum rectâ tunc demum expendere lanee,
In Thalami Convalle piâ. Seu, nocte ſerenâ,
Complexus inter tacitos, & murmura blandi
Conjugii. Seù, quandò ſuos Sol lætior ortus
Extulit, & puro invitat nos menſa ſalino.
Ergò ſatis fuit in tenebris offendere Larvas
Nocturnas, ſolâque domo, & caligine claudi
Tænariâ. Satis in viduo jacuiſſe cubili
Tot mala perpeſſum, & falſâ ſub imagine rerum
Deſertos vidiſſe Lares. Satis edere planctus
Turturis in morem, Fatum lugentis amicæ
Comparis. In melius rapitur mens alta quadrigis
Æthereis: quando veteri mœrore ſolutus,
Nunc alios ignes tacito ſub pectore nutris,
Magne Pater Patriæ. Et ſacras CORENIA tædas,
Poſt dudum refides ignes, promittit amorum:
Imperiique volet tecum de jure paciſci.
Quæ virtute ſuâ priſcas imitata Sabinas,
Fœmineum exſuperat ſexum. Præclara Batavûm
Progenies, tantique olim Generoſa Parentis

FILIA, & in multas Magnatûm innexa Coronas.
Hæc pulchrâ nunc lege Tori sub mutua transit
Officia, ac toties natas circum atria curas
Leniet alloquiis, aderitque in parte laborum.
Altera Cornelia, à Superis dimissa secundis
Auspiciis. Soli tibi nubere digna Marito,
Sola tibi Fatis jam tot servata per annos,
Cuî nunc Gracchus eris. Neque enim sine Numine Divûm
Talia fas nasci nostris connubia sæclis.
Vox Populi, & sancti quæ vox probat ipsa Senatus,
Et totidem cupiant in tempora currere Vates.
AUGUSTI THALAMI! Vosque ô contermina cœlo
Nomina, & egregio nunc juncti fœdere Amantes,
Vivite felices, Canâ nive tempora sparsi,
In Pylios annos. Et, quod Natura negavit,
Terrigenis vitæ spatium, melioribus olim
Sideribus Vobis rutilus concedat Olympus!

cIↃ. IↃC. LVIII. Prid. Kal. Julii.

Gratulatio Nuptialis
Ad
Amplissimum Virum,
D. THEODORUM à VRYBURCH.
Cos. Alcm.
DE
FILIA SPONSA.

SIc VENUS alma tuos, VRYBURGI, ingressa Penates,
FILIOLIS blandum sub corde inspirat amorem
Conjugii. GENEROSQUE novos, spem Gentis adultæ,
Usque etiam in seros, istâ de Stirpe, Nepotes
Promittit, cum Dote piâ. Feliciter olim

AMSTE-

Digitized by Google

AMSTELA, dives opum, de Cœlo hos junxit amores,
Ut Patriæ, forsan, possit prodesse Saluti
Talibus auspiciis. Vos ô, quibus integra vitæ
In Batavo est Virtus, nunc his applaudite Tædis,
Et Procerum memori Thalamos signate lapillo.
Scilicet, haud nata est semper parêre PARENTI
Filia; sed tacito præsentit Numine ferri
Ad proprium se quæque VIRUM. Cum nubilis ætas,
Atque animi, jam præcipites in Libera Regna,
Excutiunt cervice jugum. VENTIDIA prima est,
Quæ Salamina suam quærit terrâque marique
Sub Ductore novo. Paribus quam passibus æquans
MARIA, mox iisdem ventis petet ardua Cypri
Culmina, GERMANA non inferiora sequuta.
Audaces Batavæ medium tentare profundum
Tethyos ignotæ! Nil sæva Ceraunia Ponti,
Æoliosque truces metuentes Sidere noctes,
Et quascunque minax Septentrio cominus umbras
Incutiat nobis. Sola hæc non cura fatigat
Molliter in dulci recubantes parte cubilis.
Nos VATES, pia turba, TORIS assurgimus iistis
Ingenui. Et, Superûm nutus ad vota vocantes,
ALMERIÆ geminas SPONSIS sacrabimus Aras.

CIↃ. IↃC. LIX. V. Id. Feb.

Digitized by Google

In Editionem Operum

M. TULLI CICERONIS,

Ex accuratissimâ editione

A. VIRI

D. CORNELI SCHREVELI,

Med. D.

Gymnasii Lugd. Bat. Rect.

NOn jam, Roma, tibi Linguæ facundia soli
Est propria, ac tantis rapis arma invicta lacertis
Antoni contra gladios. Sua præmia laudis
Inde etiam nostri pulchrè meruêre Batavi:
Una omnis jurata manus, gensque obvia factis,
Et sceleri, Catilina, tuo. Qui protinus omnes
In vitium armati; divino fulmine Suadæ
Rem gerimus, tonitruque pio per aperta volantes
Sternimus audaces hoc oratore Cethegos.
Salve Romuleæ decus indelebile Gentis,
Arpinas generose. Tuo qui munere fandi
Straviſti tot castra Ducum, forteſque maniplos
Ausonii per regna fori. Quo Vindice solo
Gaudet Libertas se purâ in luce renasci,
Ut cedant sic arma togæ, Victorque Senatus
Jam dudum belli furias exosus & iras,
Finitimos latè populos in pace gubernet.
Haud potuit noſtro majora SCHREVELIUS orbi
Scribere, quam ſummum SCRIPTOREM reddere luci
Majestate suâ, & Gothicas damnare tenebras
Eloquii splendore novo. Veterumque Quiritum
Consilia, ac tantæ miracula prodita genti
Ad seros etiam Batavûm transferre nepotes.

cIↃ. IↃC. LVIII.

Nobi-

Digitized by Google

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT

A

NIEUBURCH,

Illuſt. ac Potentib. Ordd. HOLL. & WEST-FR.

à CONSILIIS.

Conſuli, Senatori & Scholarcha Alcm.

SIc iterum in lacrymas Nobis orcheſtra parata eſt,
Mecœnas, lugentque ſacræ ſua damna Sorores,
Et Phœbi ſtat clauſa domus. Dum, CONJUGE raptâ,
Parte animi mediâ, triſtes proſternor ad aras,
Neſcius ipſe mei. Tanquam ſi Sidera cœli
In noſtros irata Torös, nec Funera nobis
Sat fuerit tunc prima pati. Nova vulnera reſtant
In cladem caſuſque meos. Flos ipſe Juventæ,
Et ſenii ſpes una mei, columenque meorum,
Heu! eripitur nobis NEOSTADIA. Tantis
Pulchra animi Matrona bonis; tot dotibus aucta
Virtutum, ut nulli Batavûm virtute ſecunda.
Hæc propria eſt, *Dilecta*, tibi data gloria rerum,
A Fatis victura tuis, ævoque ſequentum.
At nos tot ſcopulos inter, ſævaſque procellas
Jactamur miſeranda cohors, inhumataque turba.
Ignari, quid Fata parent, quod fulmen ab Arcto
Ingruat Europæ, gelidaque à parte Trionum
Quis furor in noſtras olim deſæviat oras.
Sorte ſuâ, forſan, læti, quos optima mortis
Conditio in tutam vallem, portuſque recepit,
Contra tot belli furias, Gothicumque Tyrannum.
Qualia fas miſeros monſtra exhorreſcere Belgas.
At tu, Magne Deus, Cujus ſtant omnia nutu
Æterno, fac me falſum nunc dicere Vatem
Iſta, precor. Nec, quæ Superûm ſententia menti

Digitized by Google

Firma ſedet, noſtris hanc ſit tenuare Camœnis,
Atque ultrò ſic velle Deos adſciſcere teſtes
Humanorum operum, Divinorumque potentes.
Nos votis precibuſque piis clementia cœlo
Numina Terrigenûm in partes, HAC LUCE, vocamus
Innocui. Ne tantæ animis Cœleſtibus iræ,
Utque faces iterum Bellorum, atque arma Gigantum
Experti, pulchrâ pro Libertate Batavûm
Non etiam egregium nobis ſuccurrat in armis
Velle Mori, & Patriæ depellere finibus hoſtem.
Sic poſſem lugere minus tot nomina charæ
ODILIÆ ſurrepta mihi, Batavûmque ſalutem,
Communeſque meo cauſas præferre dolori,
Privatoque Lari. Et, defenſâ fortibus armis
Relligione Patrum, melius ſperare ſiniſtris,
Et gaudere magis tot Regum inſontibus Aris.
Audiat hæc, utinam! Cœlum nunc auribus æquis,
Mecœnas, Soleſque novi nova gaudia noſtris,
Auſpicio meliore, velint portendere BELGIS!

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LIX.

In Conſulatum Quintum,

Ampliſſimi & Prudentiſſimi Viri,

D. THEODORI à VRYBURCH,

Med. D.

Senat. & Scholarchæ Alem.

VIII. *Kal. Jan.* cIↃ. IↃc. LIX.

I, Quintùm ALMERIÆ in Populos nunc accipe Faſces,
VRYBURGI, & Latum dimittens pectore Clavum,
Sic iterum Auſpiciis lætis Capitolia ſcande.
Quo cuncti gaudent famæ melioris amantes,
Et Phœbi quos tangit amor, Procul urbe remotum

Sed

Digitized by Google

ed Te ſola juvat Pacis tranquilla poteſtas,
:t tacito gaudere ſinu. Satur uſque laborum,
Jec plauſoris egens toties aulæa manentis.
Jno contentus, ſi publica ſcrinia tractes
nnocuâ puraque manu. Mars unde Leoque
lelgicus, in Gothicas poſſint plus ire ruinas;
:t Dani ſe tollere humo victoria felix
:n Cœlum pennis. Atque hinc, ingentibus auſis,
Libertas priſcâ ſe Relligione tueri.
Mecænas, Tu quos titulos & Nomina ſpernis,
Sume libens tamen, in Patriæ communis honorem,
Et regnato diu. Donec, Te Conſule nobis,
Ingenuas iterum Muſas reſpexerit Æther,
Nec ſacra erubeat Sylvas habitare Thalia.

Reverendo, Clariſſimoque Viro,

D. JOHANNI KNYFFIO.

Eccl. Alcm. Paſt.

SCHOLARCHÆ. *Kal. Jan.* cIↃ. IↃc. LI.

SIc Te noſtra SALUS, recubantem ſtramine duro
Vidimus, & naſci, *Virgine Matre*, Hominem.
Adventuque tuo Myſteria priſca tenebris
Eruta nunc *vero teſte probare Fidem.*
Magne DEUS! toti præbes miracula Mundo:
Nec fas eſt nobis Numina mente ſequi.
Naſceris in terris, quem non capit ambitus ullus.
Eſque Unus pariter FILIUS, atque PATER.
Ut *Genitor*, nutu cœlum terraſque creaſti.
Ut *Genitus*, Sathanâ victor ab hoſte redis;
Exſaturaſque tuas ſacris altaribus iras,
Nec vis ut pœnam ſentiat ipſe reus.
His pridem nobis Lux eſt Circenſibus actâ.
Hîc ſunt, quas cunas Spiritus intus alit.
Alters nunc Iſaï depoſcit pugna Nepotes,
Quiſquis ubi dextro prœlia Martè ſerat.
Deque ſuis vitiis Spolium exuviaſque reportet,
Quas, Pheretri, vobis mactus ovanſque ſacret.

Scili-

Scilicet, exurendus Homo vetus est, & amati
Criminis à nobis est resecandus amor.
Omnia cum CHRISTO nova sunt. Nova tempe
Fermenti veteris mica nec ulla manet.
Meta moduſque gulæ nequam figendus, & acri
Virtutem ſtimulo quemque docere decet.
Ipſe, Stygis Domitor, ponens præputia JESUS,
Fatidicum nobis prævius urget opus.
Et nos officium in ſeros protollimus annos?
Nos miſeri in medium ſtertimus uſque diem?
CHRISTUS ab octavâ carnem ſecat. Illius umbra
Nos ſumus. Hic noſtra eſt nocte dieque Pharus.
Huc ſolum, in Patriæ rebus Populoque regendo,
Collimare Hominem mente animoque juvet.
Huc, Thymbræe, tuæ Veneres, ſpectantque lepôres,
Pura per Hyblæum, qui niſi mella legis.
Hæc Suadæ vis magna tuæ, Doctiſſime KNYFFI,
Edocet. Hoc campo Lingua diſerta tua eſt.
Quo toties coram communis vapulat error,
Senſaque peccati conſcia civis habet.
O! utinam! tua ſic pateat Facundia latè,
Ut nuſquam Auſpiciis pullulet Hydra novis.
Cumque ſuis ANNIS ANIMI ad meliora recurrant,
Majeſtaſque DEI tempore major agat!

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. CORNELIO à SONNEVELT, IC.

Tertium Conſuli, &c.

SIc iterum Faſces mandat ſupremа poteſtas
Almeriæ, SONVELDE, Tibi Procerumque voluntas,
Et Populi favor in meritos aſſurgit Honores,
Obluctante ſuo fruſtrà Livore veneno.
Parta meis etiam non una eſt Laurea Muſis,
Talibus Auſpiciis. Et jam vicinus Apollo,
CONSULE TE, in cœlum lætis ſe applauſibus effert,
Auguſtumque diem ſignat meliore lapillo.

Magne

Magne Virûm, Tibi ſub nati Cunabula JESU
Hîc contingit Honos. Quando ipſa Altaria circum
Sacra facis, CHRISTUMque ulnis ſtringenſque lacertis
Olim promiſſos mundo grataris amores.
Credo equidem non iſta piis ſine Numine Divûm
Veniunt: Quorum Virtus & Præmia ſemper
Deſcripta in Tabulis Fatorum & cortice ſacro.
Tu ne delaras, *Mecænas* ſperne ſecures,
Ac Titulos, quos Fata probant. Illuſtrior unde
Per populos perque ora virûm diffundit Honores.
Unus, cum paucis, Patriæ Qui inventus Achilles,
Et par Imperio pulchris cervicibus Atlas:
Iſto diu felix porrò, & majoribus uſque
Auſpiciis animos magis in ſublimia tolle,
Delicium Phœbi noſtri, Suadæque medulla,
BONVELDI. Deus ex alto Tibi proſperet omne
Conſilium, quod pro Patriâ Patriæque ſalute,
Et cauſâ meliore capis. Te Conſule, rurſum,
Magne Heros, cœlo Batavis PAX alma reverſat,
Halcyonumque dies, atque aurea ſæcula Muſis!

cIↃ. IↃc, LIII. Kal. Jan.

In Triſtiſſimum Exceſſum

ILLUSTRIS VIRI

D. CASPARIS BARLÆI,

In inclyto

AMSTELODAMENSIUM GYMNASIO

Poëtæ ac Profeſſoris Celeberrimi.

AMSTELA, qui debes non uni nomina Ponto,
Hîc plorare tuum eſt. Trepidant formidine Lauri,
Et Phœbi nunc nutat apex. Non ſcæva Charybdis
Quod nocuit, Claſſemque furens in Littora Nereus
Egerit; aut Gemini Batavis Spes excidat Indi:
Sed, quod Tænariæ Solem abſcondêre tenebræ;
Quod, Cyrrhâ labente retrò, Reſpublica tota

Pieri-

Pieridum mutet, temeratâ Pallade, veſtem.
Hîc nunc fatales ſuperamus vulnere Cannas;
Hîc totus ſudat triſtes Parnaſſus in imbres.
Nec tantum Eous ſero cum Veſpere Ganges,
Aut Rhenus ſua Fata dolent: Sunt inclyta Regum
Nomina, quæ multum à priſco ſplendore remittunt.
Hîc plus Pyramidum ſacris, plus vellere Phryxi
Perdimus. Alternis non hæc Fortuna rependit;
Non Labor; Herculeis non ipſa Induſtria nervis.
Omnibus eſt numeris major jactura Minervæ,
Et Caſus, BARLÆE, tuus, Cui nulla Nepotum
Sæcla parem ſimilemque dabunt. Dum vita fineba[t],
Unus qui Sophiæ clauſiſti in pectore dotes,
Ac toties cedris, Auguſto & digna locutus.
Magne Virûm! Tua quis nunc per veſtigia tutus
Iverit, ac tantos Regum ſociârit amores
Cum Batavo? partoſque novo ſub Sole Triumphos
Totque Aquilas, tot Signa canet redivivus Apollo?
Naſſovioſque Patres in famam & ſceptra reponens,
Olim belligeros Martem proſcribet ad Iſtros?
Principe proſtrato Vatum, Victoria muta eſt,
Ac ceſſant oracla loqui. Gens Barbara, Belgæ,
Credimur, & pauci Aonidum læta arva tenemus.

cIↃ. IↃC. LVIII.

PIIS MANIBUS
Clariſſimi Viri,
PIERII WINSEMII, IC.
Hiſtoriographi Friſiæ,
Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſoris.

FRiſiæ, poſt Morinos Naſſõo ſanguine tinctos,
Non tibi flebilior luxit ab axe dies,
Quàm cum WINSEMIO, Sacrorum ex ordine Vati
Fatalem injiceret mors truculenta manum.
Et FAX illa Virûm, Lethæo exſtincta veterno,
Viſa eſt, ingenio deficiente, mori.

Hic

Hic nunc de medio Romanas ſuſtulit Artes;
Hic Phœbi clauſit poſt ſua terga fores.
Atque uno rapiens cœleſtes agmine Muſas,
Horrendo damnat Pulpita docta ſitu.
Fixque ſuæ Genti veſtigia nuda relinquit,
Poſteritas per quæ ſerpere tuta queat.
Hic Patriæ Æneadas vicinâ à morte reduxit;
Hic Proavûm pulchrè geſta legenda dedit:
Cum penè in noctem Libertas iverat atram
Friſica, & Auguſti conticuere Patres.
Cæſareis nec jam Trabeis ſe oſtenderet orbi
Amplius, Ingeniis Terra ſuperba ſuis:
WINSEMII hoc debes calamo, *Gens Inclyta*, Phœbo
Qui toties de Te digna locutus erat;
Et nunc fumoſa Lauros in imagine pingens
Reſtituit luci Nomina tanta ſuæ.
Hîc plorare tuum eſt plenis, ô *Friſia*, rivis:
Fulmine jam tacta eſt Palladis alma Domus:
Succedatque humeris qui Cœlum hoc fulciet Atlas,
Hactenus in dubio eſt, mens neque læva videt.
Nam poſt PIERII Manes, Triviæque ruinam
PIERIDUM ſæpimus turba Scholæque minus.

BRITANNIA FUGIENS,

DUCTU & AUSPICIO

Fortiſſimi ac Invictiſſimi Herois,

MARTINI TROMPII,

Summi Maris apud Batavos

PRÆFECTI.

VIderat ad Batavos portari è Colchide Vellus
ALBION, & dites fluctibus ire rates.
Metiturque oculis oneratas ære carinas,
Et ſpe jam dudum devorat iſta ſibi.
Noſtra, *ait*, hæc præda eſt, ponto quæ navigat: Arma,
Arma, Viri Fortes. Nos ea præda manet.

Quin

Digitized by Google

Quin agite, Ætnæi Fratres, Acheronta movete,
Et pro me Stygiis militet Orcus aquis.
Jamque faces, jam saxa volent; jam sulphura latè
Spargite: ne qua suo puppis ab igne vacet.
Sit furor in cursu, faciesque accensa feratur
In rabiem, & nullas sistat anhela neces.
Prisca Thyestææ redeant nunc fercula mensæ
Sanguine jam fuso nec satietur humus.
Immortale mihi est odium cum Gente nefandâ,
Jamque mihi Batavus CAROLUS alter erit.
Haud tulit ista animis æquis Dux TROMPIUS acer,
Pro Batavûm Populo pectora fida gerens.
Jamque videns procul Æmyliâ de Puppe Britannos
Hic secum magni differit acta DEI.
Invitatque sacras in Bellum & prælia turmas
Aligerûm, ut Patriæ cedat acerba lues.
Et nunquam Harpyis istis, pestique futuræ
Sit Spolium innocuus prædaque Belga suus.
Arma amens capit, atque oculos in sidera torquens,
O Dextrum nobis annue, NUMEN, ait:
Nos sumus antiquâ Batavûm de Gente Nepotes,
Et multùm sacris dedita turba tuis.
Classe veho mecum Socios, charosque propinquos,
Quos lucri ducit spes, & honestus amor.
Quos defensa novo Libertas objicit Hosti,
Et non irritat cœcus ad arma furor.
Vix ea fatus erat cœlo gratissimus Heros,
Cum subitus toto personat axe fragor,
Et mare velivolum ventis agitatur & undis,
Nostraque vix tuto remige Classis agit.
Terribilemque unà concusserat agmine Martem
BALCKIUS, & forti moverat arma manu.
Nos pariter flammis, & honestâ accendimur irâ,
Jamque subit solitus pectora laudis amor.
Hæc spectat mediis Morinus tranquillus in undis,
Galliaque hæc oculis eminus acta legit.
Certant Heroes Ambo furialibus armis,
Et dudum dubiis Victor inerrat aquis.
Donec TROMPIADÆ felix alluxerat æther,

Et

;t per cæſa virûm corpora facta via eſt.
ue ſuum Tameſin fugitivus BLACKIUS intrat,
ıſpiciis impar inclyte TROMPI, tuis.
ınc, & Batavûm Claſſes contemne, Britanne;
ıtque unâ ex pugnâ diſce LEONIS opus.

cIↃ. IↃC. LIII.

IN NUPTIAS

Nobiliſſimi, Magnifici & Conſultiſſimi Viri,

JOACHIM ab ANDREE, IC.

Equitis, Senatorii Ordinis per Friſiam Præſidis,

Et Nobiliſſimæ Matronæ,

; O P H I Æ de V E R W O U.

)UM Patriam infeſtat *Friſorum* gurgite vaſto
Nereidum violenta manus; Boreæque Notique
olides, Hœdique truces, & ſævus Orion
. Belgas nunc bella parant. Dum Pontus & Æther,
ıfenſi ob culpas hominum, ſuprema minantur
ıfelix Europa Tibi, nova Monſtraque Pyrrhæ.
ımque Ceres vaſtata undis, ſpes totius anni,
ggeribus latè ruptis; ac triſtè Colonos,
rlvanumque Patrem, Sata læta, boumque labores
î violant: Quando obſcurâ de nocte ſepulti
rorumpunt Manes, horrenteſque evocat umbras
domiti Rector Pelagi, mirabile viſu!
u, Priſcæ *Herorum* Decus indelebile Gentis
ndree, in Cyprii deſcendis Prælia Martis
: bellum Idaliæ Matri, feſtoque Hymenæo
ıdicis, ſed jure pio. Vir Strenuus inſtas,
c dudum refides ignes, deſuetaque tractas
.rma tori: albeſcenſque caput, Catonaque grandem
:xuis, ac veteres iterum crudeſcere pugnas
nſtituis. Quas non potis eſt exſtinguere Flammas
)ceanus, non triſtis Hyas, non fœta malorum
lluvies, vaſtumque ſuis ululatibus Æquor.
'is & Amor *Sophiæ* tumidos contemnere fluctus

Fecerat;

Digitized by Google

Fecerat; ut ſudum mediis convallibus Idæ
Ver ageret; lætumque daret benè conſcius Ales
Augurium cœptorum operum. Sic gnara futuri
Sophia, nequicquam cœli perculſa ruinis,
Pro tempeſtatum ſignis, pro fulmine diro,
Diluvioque tuo, Nereûs, egurgitat imis
Pectoribus dulci rorantia Flumina melle,
Verbaque, quæ rigidas doceant adamare Sabinas,
Et poſſint Pylio paulatim inflectere ſenſum,
Ut tantum non velle queat. Tu, Magne *Senator*,
Curia Cûi Primo *Friſorum* aſſurgit, & omnis
Aſtræa ſe credit Honos. Cui cuncta ſupellex
Aonidum veteriſque patent Myſteria Romæ,
Hîc etiam blando victus ſuccumbis Amori.
Conjugiique jugum, Judex, Parteſque Clientum,
Dum litem facis eſſe tuam, non Ipſe recuſas.
Magne Virûm! *Sophiæ* Titulos ſubſternis *Equeſtres*,
Ac rurſum ſecurus amas, poſt prima Dionæ
Fœdera: quæ quondam Lacheſis fœdârat iniquo
Funere. *Naſſovio* coram *Procerumque* Coronâ
Altera regna paras, Natiſque Ætate Senectâ
Exemplo vis eſſe Pater. Sic Friſica ſurgent
Nomina, & adverſum furias crudelis Erinnys
Supplementa dabunt numeroſâ in ſtirpe Nepotes,

AUSPICATISSIMIS NUPTIIS

Clariſſimi & Conſultiſſimi VIRI,

D. HENRICI DRUYF, J. V. D

Advoc. Senatoris Alcmariani,

Et Eminentiſſimæ Lectiſſimæque Virginis,

MARGARETÆ à TEYLINGEN,

Celebratis Alcmariæ CIↃ. IↃC. LIII. *Prid. Kal. Decembris.*

INtonet horrendùm ſtrictis mucronibus Orbis
Jam totus; tumidoque ruat Mavorte Britannus

I

Digitized by Google

Batavos: Nihil hæc faciunt ad *Pallada* noſtram,
Themidos Delubra tuæ, Doctiſſime *Druſſi*.
ctat Amor medio Belli in diſcrimine Leges,
Phœbum vult ponè ſequi. Lituoſque tubaſque
rribiles inter ſub caſſide nubere Muſas.
eſcit honor pretiumque Tori. Nec jam amplius ullam
nelope ipſa timet cumulatâ in morte repulſam.
cilicet, ad Cannas quæ nuper cæſa Juventus,
c nimium Pelagi crudelibus acta ſub undis,
onjugiis reparanda novis. Hæc cura fatiget
onidum meritò Myſtas, turbamque Togatam;
ecrepitique ſenis nunc oſſibus implicet ignem,
c dudum reſides animos incudibus aptet.
Druſſum hîc primùm non æquâ mente ferebat,
eucalionæos fluctus effervere rurſùm,
t Pyrrham chaos antiquum, nova monſtra, parare.
A Thalamo petit auxilium. Votiſque peractis,
Fit ſupplex, Lucina, Tibi. Sancteque precatur,
gregiam ut *Forma*, *Virtute*, & *Dote* Puellam
Sortiri queat, Auſpiciis & Numine Divûm.
Audiit orantem Venus. Et, Lectiſſima *Patrum*
Progenies, ſpes pulchra Tori, *Teylingia Nympha*,
Deſcendit Cœlo. Quæ Tecum jungere dextram,
O *Druſſe*, Qui rara tui ſolertia ſæcli,
Et miſcere Genus parat, atque incumbere proli;
Virtuteſque omnes uni ſociare Marito.
O Fortunatum, natum Te *Virgine* Tali,
Magne *Virûm*! Cujus tanto Fortuna paratu
Obſcævat multorum oculis, animiſque malignis,
Qui nunc non unâ Lauro Tibi Regna paraſti
In Batavis. Inde ad majorem iturus Honorem,
Et Trabeam, ac Faſces, raræ & faſtigia Laudis.
Mollibus in Violis currat modò lætior ætas,
Et ſemper calcate Roſas! Nova ſemper in orbem
Lætities redeat; Flos, & primæva Juventæ
Robora! Nec quicquam placitum interturbet amorem.
Uſque novo toties ſpumet *Vindemia Muſto*,

Ambro-

Digitized by Google

Ambrosiosque *Amici* Divino *Nectare* succos
Ducite, & à sacris absint absynthia Tædis!
Belgarumque unà Lauros & Tempora læta
Jam pridem signet Vates meliore lapillo!

NUPTIÆ THEOLOGÆ.

In honorem

Reverendi, Doctissimi, Clarissimi Viri

D. JACOBI TRIGLANDII

Ecclesiastæ Alcmariani Eminentissimi.

Et Præstantissimæ, Lectissimæque Virginis,

JOHANNÆ de MAREEZ

Celebrata Amstelodami CIↃ. IↃC. L.
13. *Decemb.*

DIvitias & Opes larga dant dote Parentes;
Cœlicolûm *Prudens Uxor* ab axe venit.
Tu nunc, *Triglandi*, Fortunâ ac conjuge felix,
Auspicio & Divûm mactus, utrumque tenes.
Plena Deo propiore Tibi nunc Ducitur Uxor:
Quam rigat Amstelii ripa beata Tagi.
Tanquam uni totum natura expenderit assem.
Virtutum & spoliis solus opimus agas.
Sed nihil est, Mundi exuviis extendere Famam,
Et vitam immanis ducere more Feræ.
Aut vegeto Herculeas jactare in Corpore vires,
Cùm pingit teneras purpura rara genas.
Quòd mollem candore nivem *Mareſia* vincat:
Cui par Sideribus fulget ab ore jubar.
Quòd Proavûm Genus, ac Titulos ostendat Avorum
Fortunæque Bonis aucta potensque sit.
Hæc Nihili, *Triglande* Pater. Pro tempore tantùm
Hæc tua sunt. Majus Corpore Munus habes.
Longè aliam Tibi promittit *Mareſia* Dotem,
Abramidæ qualem Diva Rebecca suo.
Quos non Tempus edax Census consûmit ab usu;

Ne

Nec ſecum Fati vis violenta rapit.
Hic Cœlo eſt oriundus amor: Tibi Pronuba major.
Hîc aliâ Genio ſternitur arte Torus.
Deſcendunt ſtatuæ in ſoboles, ſeroſque Nepotes,
Et quæ nunc Vobis plenior arca Foro eſt.
Hîc Pietas, hîc caſta Fides ſua fœdera jungunt;
Hîc una coëunt Myſtica Sacra jugo.
Effigies hæc, Chriſte, Tui eſt. Quando impiger urges
A Superis *Sponſæ* brachia ferre tuæ.
Scilicet, eſt nupſiſſe parum, ſi corpora ſpectes.
Plus eſt, Pectoribus nubere poſſe Deo.
Atque alios Noſtras Batavis procudere Matres
Aſcanios. Quorum ſurgit in Aſtra labor.
Tales ſunt *Vobis* Animi, Dilecta Tonantis
Nomina. Quos, Cœlo teſte, revinxit amor.
Et Thalami in lætos amplexus Pronuba ſervat,
Ut fœcunda legat Pignora uterque parens.
Alma fave, Lucina, Toro. *Mareſia* Patrem
Nuncupet, & *Latæ* Munia *Matris* agat.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONT à NIEUBURCH,
Weſt-Friſiæ Præſidi.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. L.

ERgò Cimmerias mundo proſcribimus umbras,
Et melior Batavis naſcitur axe dies.
Paulatimque fugam glomerans duodena per aſtra
Cynthius, ignivomos altius urget equos.
Moxque alium inducet rebus Natura colorem,
Vitaliſque Hominem Spiritus intus alet.
Cumque novo Phœbo vegetas intendimus alas,
Et nidum ſtruimus quiſque laremque ſuum.
Inflamus cuncti ardentes operique futuro,
Exemploque ſuo nos Elementa trahunt.
Cœlicolûm ſequimur normam. Labor actus in orbem
Pieridum ſacris, Agricoliſque redit.

Digitized by Google

Magne virûm, ſua dum properat per ſidera Titan,
Tu patere, ut properem ſolvere penſa tibi.
Officiumque animi grata celebrare Camœna,
Et facilem votis conciliare Deum.
Qui Te, quique Tuos, cunctis labentibus annis,
Soſpitet, & multo proluat imbre poli.
Unde etiam in vatum fortunas area major
Panditur, & noſtri creſcit mago Tori.
Tunc minus Almeriæ civem vixiſſe pigebit,
Cum mihi de veſtro conſtet amore magis.
Quo ſi Palladiæ turbæ nobiſque carendum eſt,
Ipſa mihi vitæ lux inimica foret.
Optatos igitur reditus age, Lucifer alme,
Et nos luce tuâ candidiore bea.

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. LUCÆ VINCKIO,

Eccl. Alcm. Miniſtro, Theologo ſummo.

CLare Vir, in Batavis dum te tenuere Tonantis
Auſpicia, & noſtri molliit aura ſoli,
Rem facis: ac nomen ſeris annalibus addens,
In tua Naſcentes facta ſtupere vides.
Almeriæ quod vincat amor, Tempe altera Belgis,
Et ſacer, antiqua ſede, *Sionis* honor.
Olim quæ mundo Nutricula clara virorum,
Ingenio & famâ nomina magna tulit.
Inter finitimos quæ toto vertice ſupra eſt,
Ingenitæ & multum nobilitatis habet.
Nos ubi Palladiæ, quantum licet, addimus arti,
Et Phœbo & meritis pars quoque magna ſumus.
Tu, VINCKI, divina animis & fulmine terres
Pulpita: Nos Muſis otia læta damus.
Quid tandem impellat Batavos migrare Quirites;
Aut alio tutum quærere ſole larem?
Hîc benè qui vitam colimus, Divûmque labores,
Et Mecœnati nomina grata ſumus.
Purpura Cauſidicum vendat. Me tangit honeſti

In

Digitized by Google

In parvo Titulus, convenienſque labor.
t tuus hîc magno ſub judice regnat Apollo,
Et potes Iſacidûm paſcere ritè gregem.
ſt aliquid vixiſſe ſibi, & majoris abollæ
Pondera, cum curis ſpernere poſſe Fori.
ılſerit hæc nobis porrò feliciter aura,
Et tandem his jaceant molliter oſſa locis!
ec nos pœniteat Rhenum & ſpreviſſe Sicambros;
Hîc ſtruere Almeriæ tecta laremque ſibi!

Reverendo Viro,

). ADRIANO SNELLIO, Med.D.

Eccleſiaſtæ & Scholarchæ Alcm.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. XLV.

Ic curas inter vitam glomeramus & annos;
Sic non eſt fluxi temporis ulla fides.
xtremuſque dies, quamvis non paſſibus æquis,
A tergo ſequitur corpora noſtra comes.
raſque tuos forſan mors interrumpet honores:
Ultima lux nobis craſtina forſan erit.
ıbula nos nati Letho ac ludibria Parcis,
Obviaque in vermes præda rogoſque ſumus.
ıterea vires animi protollimus ultra:
Et medio ludit Cymbula noſtra ſalo.
oc uno in terris & vîtâ nomine magni,
Quod nos fama ſuâ poſthuma tollet humo.
ec, quæ ſunt vulgo in votis ſolennia, nobis
Ullâ etiam in vivis parte placere queant.
ilities melior nos ſacrâ exercet arenâ,
Qui ſibi commiſſum quiſque tuemur opus:
u tibi juratam Suadâ mulcendo Sionem;
Nos Muſis animos erudiendo rudes.
uod facere, ô SNELLI, multos poſſimus in annos;
Haud falſum nobis juſſerit eſſe DEUS!

Digitized by Google

GRATULATIO

Ad Eminentissimâ Virtute & Doctrina Juvenem

D. GERBRANDUM BERCKHOUT,

In Illustri Academiâ Batavâ,

Sub Præsidio Nobilis & Magnifici Domini Rectoris

D. JACOBI MÆSTERTII,

J C. Equitis, Domini de Roosenburch, Misterton, &c.

De Utroque Jure Responsorum CIↃ. IↃC. LIII. *ad diem* XXVI. *Martii.*

DElicias quondam nostris, Generose, Camœnis,
BERCKHOUTI, & Priscâ de Nobilitate Parentum
Sideribus *Fax* orta novis, sic tollere Famam
Per Populos, perque Ora decet, majoribus usque
Auspiciis. Coramque Viris, Equitumque Coronâ
In mediâ, antiquum Decus ostentare Suorum.
Macte novâ Virtute! Tuis præconia Factis,
Et Lauros *Themis* ipsa parat. Jamque ire Togatos
Inter, & Augusti poteris pars esse *Senatus*,
Patritiâque olim claudes vestigia Lunâ.
Non Batavo licet esse rudi. *Plus* tendimus *ultra*
Successu magnorum Operum. Quippe ardua rerum
Ipsa Juventa sapit: Titulis minor ire recusans,
Et Sacris, Astræa, tuis. Capitolia surgunt
Altera, & hic nobis Decios Paulosque paramus
Nunc alios. Quales multos incudibus istis,
Et virtute suâ, finxit MÆSTERTIUS Heros.
Herculeâque manu secum Qui eduxit Olympo
Erigonen, pulchrosque docet sua Jura Nepotes.
Hoc felix Ductore paras committere pugnam,
BERCKHOUTI, stringisque ferox pro Fascibus arma
Defendisque Fori causas. Et pulvere ab isto
Sordidus, affectas animoque & viribus Aulam.

Digitized by Google

Et nunc ille tuæ Gentis, Dux TROMPIUS acer,
Albionum in Classem, tanquam Leo fervidus instat,
Marcellusque novus Spoliis exultat opimis.
Gratulor Ingeniis istis fortissima Divûm
Sectora: Libertas quorum sub Nomine gliscit
In majus. Tu Sacra domi, sub Pallade nostrâ,
Sitè colens, doctâ mulcebis voce Quirites:
Ille, foris Rem Belgarum à Livore Tyranni
Incolumem præstans, Victor, dabit Otia Terris.
Durate: adversi & Martis terrore carentes,
Pro PATRIA atque *Focis*, animam objectate furori.
Non dubium, causâ superis meliore litamus,
Et tandem, exuto Solio ac temone *Britanno*,
In Batavis nobis *Felix* alluxerit *Astræa*.

Ad Nobilissimum Juvenem,

GUALTERUM à LANSCHOT.

Cum in utroque Jure Lauro-Doctoralis insigniretur Lugd. Batt.

cIↃ. IↃc. LIII. 4. Id Julii.

OMnia dum sitè strictis mucronibus ardent,
Et geminus Bellis intonat axe polus.
Jasque pium nullo colitur sub Judice; Tu nunc
LANSCHOTI, pulchro protegis ore reos:
Visque Togam, Bataveque apium meruisse Coronæ,
Et non Ausoniis Patribus ire minor:
Ut, quæ in præcipiti casu stant Sceptra potentum,
Tu fulcire manu, consilioque queas.
Et vulgi studiis Astræam opponere totam,
Quando opus est rigidis Legibus, atque minis.
Talem Te decuit pro majestate Tuorum
Et me jam tacito Judice Talis eras:
Cujus in amplexum Themidos se oracula tandem
Sponte darent. Patria & cui benè credat onus.
Nec vatem fallit generoso pectus Honesto
Nobile. Centeno hoc gutture Fama probat.
Hoc unum in vivis optem, LANSCHOTE, Senatus

Digitized by Google

In Batavis ultrò Te sibi quærat Honor.
Pilea præludunt jam nunc & purpura: Equestres
Cum censu titulos mox Tibi scena dabit.

IN NUPTIAS
Reverendi & Doctissimi Viri,
D. HENRICI KYFTII
Ecclesiastæ Alcmariani Præstantissimi:

Et Eminentissimâ Pietate ac Virtute Virginis,
VENTIDIÆ à VRYBURGH
Celebratas Alcmariæ CIↃ. IↃC. LIII.
VI. *Id. Decemb.*

PRima Tibi CONJUX, Fatorum ex ordine, KYFTI,
In gremium Magnæ Matris concessit, Olympo
Jam civis. Plorare ultrà, Quos Juppiter æquus
Abstulit è terris, stulta est clementia. Major
Non debet dolor esse Viri, quàm Numina nobis
Et Natura sinit. Nil nostra hæc cura quietos
Sollicitat. Manesque pios haud tristia tangunt
Officia, & toties lacrymis adspersa cupressus.
Illi Cœlicolûm in mediis consessibus errant,
Afflati propiore DEO. Lucemque perosi
Mortalem, nullâ nostri ratione moventur.
Nobis in vivis quærenda est altera Vita
CONJUGIIS: ut non tacitè labentibus annis
Descendant statuæ Majorum, atque inclyta fama,
Nec veteres omnes pereant sine Imagine Lauri.
Macte animo! dignam Batavo moliris arenam,
Dum rursùm vis esse Pater, Doctissime KYFTI.
Hæredesque novos illustri à sanguine quærens,
Haud vacuum finis esse Torum. Qui *Virgine* pulchri
Nunc lætus, Titulos alios ac gaudia totâ
Mente agitas, *Sponsamque* oculis ac pectore signans,
Desuetos jam pridem animos, atque arma retractas.

Matu

Digitized by Google

Maturéque novos sentis penetralibus ignes,
Ac raperis flammam in mediam, atque incendia totus,
Ut primùm auspiciis dextris VRYBURGIA Virgo,
Et Virtus oblata Tibi Natalibus orta
Clara suis, nulli Batavûm Pietate secunda,
Aut Formâ, vel Dote minor. Quæ sola subire
Complexus est digna tuos, Magnique Tonantis
Ingenuum Mystam facere amplâ prole Parentem.
Quæ sola, ô KYFTI, tot nunc è millibus una,
Quam rapiant totidem Sponsi è complexibus istis,
Ni meliora DEUS Fatorum arcana gubernet.
I nunc & primas hinc jam oblivisce Tædas,
Magne VIRÛM. Spatiumque novo da ritè furori,
Et regnum sine fine para, non uniusævi,
Cum JUNONE tuâ, serâque in Stirpe Nepotum.

Nobilissimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH, *Cos. Alcm. &c.*

PLaudite Nierides: sua sunt natalia mundo.
Nunc bis sena novus sidera Phœbus init.
Incipiunt blandi Batavis procedere soles,
Et pede præcipiti præterit acris hyems.
Jam pariter dedimus Christi sacra oscula cunis.
Jam Pietas totum ferbuit igne suo.
Res ad vota fluunt reduci feliciter anno,
Auspiciumque sui non malè Janus habet.
Nam mediis rosa frigoribus violæque resurgunt;
Deque suo gemmæ palmite pene tument:
Ceu longæ hic nobis præludant gaudia pacis;
Ceu natura suis diffluat ipsa jocis.
Excessit Sors nostra fidem. Plus tendimus ultra,
Plurimaque in Belgas otia spondet amor.
Qui nunc non uni terrorem incussimus orbi,
Et Gades ultra nomina clara sumus.
Hic, *Frederice*, labor tuus. At Victoria major,

Digitized by Google

Si datur Auriaco ſub Duce pace frui.
Et ſemel inviſum Martem vincire catenis,
Turbidus ut nullo ſanguine Rhenus eat.
Sitque quies, Germane, tibi. Rurſumque rebellis
In ſua cum Carolo jura Britannus eat.
Pierides, vos hæc Divûm referetis ad aures:
Non ſemper Divis convenit eſſe malis.

Ad Nobiliſſimum Virum
D. JANUM ab EGMOND à NIEUBURCH, JC. &c.

Pro novi Conſulatus auſpicio A. cIↃ. IↃc. xLvII. Kal. Jan.

Cum mitterem varii generis Strenas.

ADſpicis hîc Muſis Felicia dicere Vatem,
Hîc fieri noſtræ jam bona verba Scholæ:
Ordiri ſacras iterum ſua penſa Sorores,
Et Phœbum officii quemque monere ſui,
Utque Deo Batavâ pro Libertate litemus;
Quàm nobis curæ ſitque Sionis amor.
Hîc lacrymæ rerum teſtes. Has elicit una
Non Lacheſis nobis, ira vel una Dei.
Quiſque ſuos patimur manes. Commune periclum eſt.
Iratus furias Orbis & Orcus agit.
Hic latè terris bellorum incendia flagrant;
Ignibus hîc ſævis æſtuat unda maris.
Civiles alibi lites dominantur & iræ,
Exitiis ardent templa forumque ſuis.
Relligio vili eſt. Terras Aſtræa reliquit.
Non alio colitur Faſque nefaſque modo.
Laudatur Probitas, Pax & Concordia mundo:
Repperit haud nullum Pax Probitaſque locum.
Hæc contra pugnat vates. Cœlum ire ſecundis
Auſpiciis, mentes & jubet eſſe pias.
Paxque larem inveniat, ceſſetque in vulnera ferrum,
Concordeſque animos jungat utrinque Deus.

Et,

Digitized by Google

Et, Quos jam Geminos involvit purpura FRATRES,
Incolumes nobis proximus Annus agat.

Amplissimo Doctissimoque Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

MEDICO.

Publ. Aer. Præf. & Senat. Alcmariano.

Cum SCHOLARCHA designaretur

Anno cIↃ. IↃc. XLV.

DUM pia *Nassovio* cura est defendere civem,
Et Patriæ tutum suppeditare larem;
Regnandique vices alternos fundere in annos,
Ut pax sit Batavis sartaque tecta quies:
Almeriæ Proceres *Ædem* reparare *Minervæ*,
Cumque novo Phœbi sidere, cura subit.
Hoc etiam magnum ad populi conferre salutem
Robur, & imperiis addere grande decus.
Omine se primus læto *Vryburgius* offert:
In quem Pieridum Musa reclinet onus.
Et, post Corenii fatum lacrymabile: cujus
Auspicio redeat Pallas honosque novus.
Sic Phœbi in seros fundunt se sceptra nepotes,
Succeduntque suis publica fata locis.
Jam nova lætities *Vryburgi* in nomine nobis
Nascitur, & Musas excipit alma *Trias*.
Felices nimium! si Defensoribus istis
In Batavûm liceat claudere fata solo.

Digitized by Google

Honori Nuptiarum
Amplissimi & Spectatissimi Viri,
D. THEODORI BAART,
Illust. Ordd. Fris. ad Comitia Deleg. & Prætoris:
Et Nobilissimæ Virginis,
VIBRANDÆ à BOOTSMA.

IN Batavis etiam format Cytherea Poëtam,
Et trans Oceanum cogimur ire pedes.
In causa est, *Baarde*, Frisiæ Pater inclyte gentis,
Ille tuus tantâ Conjuge lætus amor.
Quæ tot Majorum titulis ac luce superbit,
Perque sui memores exspatiatur Avos.
Bootsmâi facit illud amor, pronæque Dione
Auspicio thalami nobilitatus honor.
Ite procul, dixi, veterum præscripta Catonum;
Hîc aliud nobis, Mysta severe forum.
Hîc condit nova regna Venus, nova parturit aula,
Proliferusque iterum fœdera sancit Hymen.
Hîc jam desponsos exspectat Sponsa maritos.
Hîc non est Themidi; non tibi Conse, locus.
Nobilibus cunis & curis atria surgunt:
Frisiacis hîc est messis opima toris.
Quod poterit magni *Prætoris* Stemmata Fastis
Inferere, atque Togas continuare Togis.
Et spe sub blandæ pacis nova pignora Phœbo
Sufficere, & priscis reddere nomen Avis.
Emicet unde novus *Bootsmano* à sanguine splendor,
Heroumque magis conspiciatur Honor.
Felices Thalami! quos rara potentia Cœlo
Junxit, & in Patriæ distulit Æther opem;
Uno quo coëunt compresso ac fœdere, quicquid
Jungere Sors, Probitas, Dosque opulenta potest.
Sit longùm Spes illa tori, Par Nobile! Longùm
A Thalámis istis absit & atra dies.

Augu-

Digitized by Google

Auguror. En, Cygni bis ſex in nube ſerenâ
Candida lætitiæ ſigna dedêre ſuæ.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH,

Conſuli, Senatori, & Scholarchæ Alcm.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. XLV.

ADſpicis, ut læto rutilent nova ſidera cœlo?
Ut Phœbi reducis gaudia quiſquis agat?
Nec quemquam videas, quem lucis tædeat almæ,
Quique velet celeres ocyus ire dies?
Naſcimur hoc pacto cuncti, volumuſque renaſci;
Nec vitæ ſaturum ſera ſenecta facit.
Vivimus: & lucro eſt, quæcunque ſupervenit hora.
Sic vitæ quiſquis dote ſuperbus agit.
Vivere ſed *Chriſto* vita eſt longiſſima. Scenam
Si quis amat mundi longius, hoc nihili eſt.
Sic nunquam morière, Virûm ter Maxime: vitam
Qui Patriæ impendis Pieridumque choro.
Tu Pylios poſſis, *Mecœnas* vivere in annos,
Propitius nobis donet ab axe Deus.

Ampliſſimo Viro,

D. THEOD. à VRYBURCH, MED. D.

Conſuli & Scholarchæ Alcm.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. XLVII.

DUm Patriæ lætâ gratantur voce Quirites,
Et Divûm Batavis quiſque precatur opem:
Me pia *Vryburgi* pro nomine cura remordet,
Ac penſi immemorem non ſinit eſſe mei.
Nec ſatis eſt, aliis felicia ſæcla renaſci,
Utque ſuis Zephyris publica navis eat.
Nos pelagi immenſis etiam jactamur in undis,

Digitized by Google

Et procul à portu naufraga turba ſumus.
Vita mare infeſtum noſtra eſt: totieſque perimus,
Arte regat quaſſam ni cynoſura ratem.
Hæc Cynoſura, DEUS, quo vaſta per æquora Typhi
Tendimus in Latium, velaque læta damus.
Hoc ſarti tectique ſumus Ductore, nec unquam
Offendet ſidus, dira Lacæna tuum:
Quamvis ſe totam Pleias deſtillet in imbres,
Ætnæaſque ſimul jungat Erinnys aquas.
Mecœnas, nihil eſt, quod ſors portendit iniqui:
Navigat in tuto Belgica cymba ſalo.
Oſtendit terris rerum præſagia Pollux,
Inque ſuo Caſtor clarior orbe micat.
Et, poſt tot furias bellorum, ac turbida mundi,
Halcyonum nobis tempora Titan aget.

In piiſſimum Exceſſum,

Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimique Viri,

D. JOANNIS HENRICI VINCKII,

Eccleſiæ Woerdanæ Paſtoris & Scholarchæ Vigilantiſſimi & Primi.

XVII. Maji, cIↃ. IↃC. LIII. Defuncti.

SIc tandem ad paucos Pietas primæva revertit,
Caſtaque Simplicitas exulat orbe ſuo.
Deteriora manent infami ducta metallo,
Quæque ſuis vitiis impia turba nocet.
Angelicæ vox illa tubæ, vox plena lepôris,
Frangere quæ toties pulpita docta ſolet,
Nunc filet. Et denſâ circum caligine ſepta,
Humanum in terris damnat, & odit opus.
Magne Pater *Vincki*, Sanctorum hîc facta laborum
Meta tibi. Hîc vitæ eſt anchora jacta tuæ.
Et Superis viſum *Woerdæ* ſub mœnibus altis
Natorum in gremio claudere fine diem.
Emeritæ tanquam ſolatia pulchra ſenectæ,
Et vitæ in vivis præmia clara tuæ.

Digitized by Google

Qui per *Lustra Decem*, divini Oracula Verbi
Ritè docens, Columen grande Sionis eras.
Qui toties sacram missus *Legatus* ad *Aulam*,
Firmasti nostræ voce Salutis opus;
Nunc vitæ emensus spatium, & Circense Theatrum,
Dissolvi hoc fragili corpore sponte cupis,
Sic nihil in *mundo certum est mortalibus ægris*:
Sanguine Divorum squallet & ipsa Domus.
Nec lacrymis rerum tempestas sufficit una,
Insolitas ipso Sole stupente vices.
Hinc terrente novis monstris & fulmine Marte;
Inde gravi Letho concutiente toros.
Omnibus his major luctus: quando Æthere ab alto
In *Christi* sacros intonat ira Lares.
Et Divina tacent modulari Carmina Vates,
Inque suum cessant Laudibus ire *Deum*.
Tunc tenebræ incumbunt nobis non unius Orci;
Tunc tota est sacri fabula muta Fori.
Magne Deus! tuus ille labor, punire nocentes,
Et rursum à nobis grande fugare malum.
In Quo, ceu sacro Ancili, res nostra recumbit,
Et dubiis sperat *Belgica* rebus opem.

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. ADRIANO SNELLIO,

Med. D. & Oratori Theologo,

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. XLVII.

SNELLI, flexanimis eloquiis potens,
Docte & delicias nectaris Attici,
Rarumque dilectæ Sioni,
Socraticæ & columen Minervæ:
Dic, quo jam Batavûm res posita est loco,
Quò se insida semel vorterit alea?
Regumque secreti labores
Anne modum statuent malorum?
Accensus furiis mundus inhorruit,
Insanisque strepunt cuncta tumultibus; Ma-

Mavorſque fatalem ruinam
Chriſtiadûm populo minatur.
Maturum ſcelus eſt. Non Pietas, Fides
Incorrupta locum jam tenet amplius.
Dudumque mores priſci parentum
Ex oculis animiſque pulſi.
Sceptrorum Ambitio turpis adultera
Peſtem terrificam de Styge parturit.
Fraudes malignæ, Vis, Dolique
Interius vitiant medullas.
Quis pacem hîc feriet litibus aſperis,
Funeſtique rogum exſtinxerit ambitus?
Utroque Phœbi ſub receſſu
Continuis premimur procellis.
Hic in ſe validis Rhenus & Odera
Certant vulneribus. Danubius rapax
Illic malorum eructat Orcum
Gorgoneis furiatus armis.
In caſum Tameſis parte aliâ ruit,
Natique in patrio funere geſtiunt.
Cladeſque Fatorum ſiniſtræ
Deſpoliant miſeros Britannos.
O ſi Cœlipotens viderit hæc Deus!
Confringatque ſemel Palladis Ægida;
Pacemque componant Nepotes,
Auſpicio redeuntis anni!

In

Digitized by Google

In Obitum

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri,

ARNOLDI BARDESII,

Domini in Riſum, &c.

AD

Nobiliſſimum Filium,

GUILIELMUM BARDESIUM,

Convictorem ſuum.

QUantula res hominum; quantumqùe in rebus inane,
Hoc nos *Bardeſii* funera mœſta docent,
Et tantâ de ſtirpe rogus confunditur orbis
Talibus exſequiis ipſe pudore ſui.
Nunc coram, lacrymis qui prima exordia damnat,
Lucinæque atros increpat uſque dies.
Nec quicquam cui grande poteſt, magnumque videri,
Quod pretium vulgo grande decuſque facit.
Tu, *Guilielme*, recens redivivi *Patris* imago,
Cui Nemeſis tantâ mole relinquit opus,
Tot nunc in ſerie circumſpice Buſta Tuorum,
Et ſemper fluxi temporis eſto memor.
Fruſtra Nobilium titulis confidis Avorum;
Bardeſii fruſtra ſidera lambit apex.
Auguſtos etiam ſternit mors æqua penates.
Non regum celſas præterit iſta domos.
Una lege omnes Lethæa ad flumina cogit.
Pauperis & Crœſi divitis una via eſt.
Fabula mortales mundo ſumus: inque theatro
Ille ſuas partes ſuſtinet; ille ſuas.
Dos animi ſolùm, ac Virtus generoſa propago eſt:
Hæc nequit arbitriis ſubdere Parca ſuis.
Fundamenta locent alii Carthaginis altæ,
Pyramidumque ſtruat barbara Memphis opus:
Eſt Pietas longe ſupra. Vis major in illo eſt,
Quod laudem priſcæ Simplicitatis habet.

Quæ-

Digitized by Google

Quæque tibi toties vivus digeſſit in aurem
Cycnæâ, memini, tunc quoque voce *Pater.*
A teneris hæc diſce, Puer. Sapientia prima eſt,
Fortunæ dotes inter, amare Deum.
Magna tuis humeris ſe credit cura nepotum.
Credit *Lavinia* ſe tibi *Matris* honos.
Palladii tantùm tituli; formandaque nobis
Mens ſupereſt puri cognitione DEI.

Ad Inſignia Mauſolei
In Templo majore
ALCMARIÆ.

BArdeſii hic cernis fumoſâ in Stirpe *Coronas,*
Et partum antiquâ Nobilitate Decus.
Sed nihil eſt, jactare *Genus.* Nihil, eſſe Potentem:
Una eſt in cœlis noſtra *Corona Deus.*

In Triſtem Obitum
Ampliſſimi, Conſultiſſimique Viri,
D. CORNELII KINNEMA, IC.
Senatoris Friſii, Cognati.

EHeu! poſt toties temeratæ Templa Minervæ,
Hîc major flendi copia rurſus adeſt.
Rurſus Apollineos maculavit ſanguine Fratres
Æacus: & Patrum nomina Parca citat.
Pridem *Battingæ* mandavimus oſſa ſepulchris;
Gloria *Kinnemæ* jam cadit alma Domus.
Non aliter quam ſi rem parvam fecerit Orcus
Hactenus, & Spolio ſimplice victor agat.
Concidit auguſti Decus & tutela Senatus,
Kinnema; Patritiis uſque oriundus Avis.
Quo ſimul exſtincto, Pietas ſua vulnera ſentit,
Friſiaci grandis ſirque ruina Fori.
Poſteritas Themidem vix ut fulcire labantem
Poſſit, & antiquo Conſus honore frui.

Quis

Quis furor, ô Superi, Sellas damnare Curules?
In Patriæ ac toties ſtringere tela Patres?
allor? an, Ambitio, ſolâ hac mercede litabis?
Et nos ad pœnas mens quoque læva trahet?
i, quoties peccant homines, tua fulmina mittas,
Omnipotens: orbus protinus Orbis erit.
Quando ſortilegis oracula pandere Delphis;
Nec dabitur Phœbo Juſtitiaque frui.
ſiſte fugam, Deus! ex toto nec tolle Quirites:
Tu veteri nobis nomine, *Stator*, ades.
Pace, tua rurſum Cœlis Aſtræa revertat,
Ac tandem pœnas oderis ipſe tuas.
Jam ſatis in Batavis fatales planximus urnas,
Jam pedibus trita eſt triſtis arena ſatis.
Hoc optem: Soles alios atque Aſtra renaſci:
Unde novum repetat Friſidos Aula Decus.

Ampliſſ. Doctiſſ. Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

Medico Clariſſ. Cos. & Senat. Alcm.

SCHOLARCHÆ.

SIc abeunt nobis, poſitis cum Faſcibus, Anni;
Sic nihil hîc certum mobile tempus habet.
Prima dies melior, fatis felicibus acta eſt:
Quæ ſequitur, firmam non habet, hora fidem.
Sollicitas inter curas producimus ævum,
Alternantque ſuas ſpeſque metuſque vices.
Et brevis hîc vitæ ſummæ quod reſtat inani,
Hoc puncto minus eſt, par levibuſque notis.
Omnibus hæc miſeris ſcena eſt mortalibus una,
Hac lege in vitam venimus, hac morimur.
Auriacos eadem verſat fortuna triumphos.
Non aliqua hîc mutum purpura nomen habet.
Sceptra ſuos patimur manes. Fallaxque vetuſtas
Infido Regum turbine verſat ebur.
Ars tua, Phœbe, jacet. Sunt, nuda vocabula, Muſæ.
Ingenii ſenſim deperit ipſe labor.

Uno

Digitized by Google

Uno deciduos ſoles ſolamur honeſto.
Eſt, uni vitam vivere, vita, Deo.
Et mundi ſpreviſſe nefas; juſtumque fidemque
Inter opes animi conſtituiſſe ſui.
Quali, *Mecœnas*, Virtute & moribus ornas
Illuſtrem in ſerâ Poſteritate domum.
Ut Proavûm titulos titulis ingentibus æques,
Materiâ nunquam deficiente ſibi.
Optime *Vryburgi*, quo non mihi carior alter,
Vive diu tali nomine, vive diu.
Vive meis Batavis, & noſtris vive Camœnis!
Sæcula *Neuhuſio* ſic quoque læta fluent.

Reverendo, Doctiſſimo Viro,

D. ADRIANO SNELLIO,

Med. & Theol. Eximio.

NOndum, quam nuper Belgarum in tecta vocabam,
De Cœlo Pax alma venit. Nondum impius enſis
Totius Europæ lacrymis & ſanguine paſtus,
Deſiit iraſci. Nondum fatalis Erinnys
Faucibus Ætnæis peſtem intercluſit hiantem.
Eſt facies eadem rerum. Bella, horrida bella
Crudeli Mars ore tonat. Lituoſque tubaſque,
Et Phlegetontæis intincta aconita favillis
Deſpumare nequit. Quà paullum publica ceſſat
Tiſiphone prohibere metum, civilibus ardent
Cuncta rogis, ſocioſque lares diſcordia turbat.
Quando erit, ut poſitis miteſcant ſæcula bellis,
Ut ferri deſpecta acies in aratra colono
Cedat, & armorum, per terras, amplius uſus
Nullus erit, placitoque incumbat quiſquis amori?
Vovimus hæc toties ſancto modulamine Vates;
Sed Superis canimus ſurdis. Stant atria clauſa
Cælicolûm, & nemo votis accommodat aurem.
Ira manuſque Dei laxis graſſantur habenis,
Et vix in pœnam peccantum, & crimina noſtra

Indi-

Digitized by Google

Indignante polo, ſuffecerit Orbis & Orcus.
Alme Pater, tu nos oculis non adſpice ſemper
Sic trucibus. non ex merito tua fulmina mitte
In fontes. Tandem redit in præcordia virtus
Jam lapſis, meliorque animis ſententia ſurgit.
Exoriare, novum, poſt tot feralia, ſidus,
Sidera: quo Cœlis victrix Aſtræa refulgens
Chriſtiadûm blandâ componat Pace Laborem.

In Opus Theologum
Doctiſſimi & Reverendi Viri,
D. JOHANNIS BRUNONIS,
Eccleſiaſtæ Egmondani.

Hîc Solymæ pleno manant de fonte liquores,
Majeſtaſque DEI jam ſine nube patet.
Hîc digito Cœlum cœcis aperitur. & ingens
Chriſtiadûm ſeſe laxat arena gregi.
Recta via eſt, Lector. Pulſâ caligine, Verum
Cernimus, & ſolito purius aſtra micant.
Brunonis Pietas accendit lampada terris!
Illius & tenebras Suada manuſque fugat.
Jam nihili poſthac, faſtu turgeſcere inani;
Torque animum vitiis contaminare, nihil.
Caſta DEO mens eſt. Caſta hîc præcepta leguntur:
Tota ſuum laudat pagina caſta DEUM.
Sic etiam in nobis habitat mens ætheris alti,
Et pro parte aliquâ nitimur eſſe Boni.
Exemplo vixiſſe juvat. Non ſcire Tonantem,
Eſt ſatis. Hic totâ mente colendus erit.
Fallit enim ſpecies, & pulchra vocabula. Vitam
Emenda, ac magno finge Deoque parem.
Hîc te, *Bruno*, Ducem præſtas. veſtigia Patris,
Et Patruûm, & Fratris prævia mactus inis.
Vive DEO dignus porrò. Et, quæ prima juventus
Munia non confert, altera portet hyems.

cIↃ. IↃC. XLVI. Kal. Nov.

Reve-

Digitized by Google

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. ADRIANO SNELLIO,

Doctori Medico, & Theologo Inſigni,

SCHOLARCHÆ.

INtimis, *Snelli*, mihi chare fibris,
Vir Bonis Doctiſque ſimul probate:
Artibus centum, ſtudiiſque ſacræ
Tincte Minervæ;
Hoc precor Jani gelido ſub aſtro,
Numen ut curam capiat *Sionis*,
Poſtque tot caſus Solymæ, beatas
Protegat urbes.
Alma Pax terras iterum ut reviſat,
Et furor belli, tetricæque lites
Exſpuant omnem ex animis trifauci
Gutture peſtem.
In novum fœdus coëat Britannus.
Rexque civiles reprimens tumultus
Oderit Martem, revocetque priſcos
Mitis amores.
Belga ſub magni clypeo Tonantis
Caverit quicquam temere auſpicari.
Fluctuat ſæpe, inſtabiliſque Regum
Gratia fallit.
Tuque Batavûm, *Frederice*, curam
Fidus Aſſertor gere. nec remitte
Liberam gentem ſolitis tueri
Sedulus armis.
Et, Pater *Snelli*, venerande myſta,
Vive Tithoni bene ſoſpes annos.
Et manus vinclis Stygiis ſolutas
Collige *Chriſto*.
Voſque Muſarum dociles alumni
Creſcite in longum. & tumulo *Nehuſi*,
Fila cum vitæ Lacheſis reſolvit,
Spargite Flores.

cIↃ. IↃC. XLVI.

Nobi-

Digitized by Google

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT à NIEUBURCH, *Illuſt. D.D. Ordd. Belgic. Deput. Conſuli & Scholarchæ Alcm.*

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LIII.

QUem nuper Batavis felicem vovimus annum,
Hic totus Batavis triſtis & ater erat.
Omniaque in pejus, fatis ivere ſiniſtris,
Inque ſuo pretio victima nulla fuit.
Abſcondente caput Phœbo ſub nubibus atris,
Luxerit ut nobis candida nulla dies.
Eheu! quàm noſtris votis contraria Divûm
Numina! quàm vatum nil valuêre preces!
Et fruſtrà ſpes noſtra fuit. Cœleſtibus iris,
Immenſiſque ſcatet terra poluſque malis.
Ut merito poſſit vates diffidere rebus,
Ac dubitet, JANO teſte, vocare Deos.
Non aliter quàm ſi ſedeat mens omnibus una
Eruere Imperium, Belgica clara, tuum.
Et nos finitimis in prædam offerre Tyrannis,
Vt vix de Batavo fama ſuperſtes agat.
Non uno ſerpente malo per viſcera noſtra;
Sive domi ſpectes tempora, ſive foris.
Hinc in barbariem hoſpitibus vergente Britanno,
Inde parum tuto in fœdera, fortè, Tago.
Emiſſæque omnes ſtygio de gurgite peſtes,
Quæ Libertatis Pilea noſtra petunt.
Incumbis, Saturne, gravi quoque ſidere terris,
Et vix eſt aliquâ liberâ nube dies.
In thalamo ut cupiat non jam nova nupta cubare,
Qui nunc plus aloës, quàm ſibi mellis habet.
Et non, ut quondam, delectet tempora Muſis
Addere, & Ingenii pandere vela ſui.
Sidera promittunt ſe cuncta adverſa Batavis,
Et ſordent toto nunc Helicone Deæ.
Haud aliter, quam ſi phialis fatalibus ortis,

Hîc

Digitized by Google

Hîc verum inveniat ſeptima plaga locum.
Fatorum ſeries, æternis vincta catenis,
Ducta ſuis urnis nomina magna citat.
Nec requiem à Nemeſi faciunt tot funera paſſim,
Cum mors in cunctos ſtringat avara manus. (cem
Nec dum omnem explevit numerum Proſerpina. Fa-
Librat adhuc. Belgis multaque reſtat Hyems.
Crediderim, Polus in rabiem converſus & Orcus,
Deucalionæas uſque minetur aquas.
Et centum pariter concurrant agmine Curæ,
Sitque minor furiis Juppiter ipſe ſuis.
Sola tua eſt noſtris oculis hîc obvia Dextra,
OMNIPOTENS. Solus Tu medicina malis.
Tu potes adverſos evertere funditus Hoſtes,
Et facere, ut pœnæ deſinat iſta Trias;
Et rurſum in fractas vires, animoſque labantes
Hinc ſolito melior ſanguine vena fluat.
Da Pater augurium, & cœlo res adſpice noſtras!
Sic ſatis Iſacidum fulmine tacta Domus.
Tuque meæ fidum Columen, *Neoburge*, Salutis
Ipſum canitie Neſtora vince Senex!
Et malè fundatam, Pelago turbante, Carinam
In portum fidâ ducere perge manu.
Ut nulla ad Rheni ripas admiſſa Celæno
In Batavos ſtrictis unguibus ire paret.
Et nos hinc alium faciat tranare ſub axem,
Stant ubi Sarmatico flumina vincta gelu.
Barbarieſque tuas Muſas exſtinguat & artes,
Ut careant tuto Numina noſtra Lare.
Diî prohibete nefas! Nobis gravis alea jacta eſt,
Multaque terribilis damna minatur Hyas.
Et formidandâ Belli vis ſurgit ab Arcto,
Belgica quo, Cœlo ceù foret icta, ſtupet.
Et triſtem, avertat niſi ſumma Potentia, cladem
Libertas metuat Relligioque ſibi.
Exoriâre aliquis poſt tot fatalia, Phœbus,
Sidera, & in vatum ſit magis ore fides.
Ut, quæ fœdifragus nobis nunc Marte minatur
Albion, hæc illi proxima Bruma ferat.

Et

Digitized by Google

nos in tutum Aonides pacemque recepti,
Tollamus magnum celsa sub astra DEUM.

IN OBITUM

Clarissimi & amicissimi Viri,

MARCI ZUERII BOXHORNII,

Eloquentiæ & Hist. Prof. Ordin.

LEIDA, tuos luctus & tristia fata dolemus,
Non tantum Belgæ unanimes Heliconis in umbrâ,
lutatâ nunc veste domi. Commune sepulchrum,
OXHORNI Manes, & gloria vatis adempti.
lterius dolor iste suas exporrigit urnas.
ongè ultra Rheni ripas, à Gadibus usque
uroram & Gangem, tractus se mittit in omnes.
lec sarcire potest facilè hæc dispendia quisquam
n Batavis. Licet ista diu desueverit auris
sse rudis. Tantum est, Latias penetralibus imis
xeruisse artes, & pulchro munere fandi
ttoniti toties moderari fræna theatri.
Magne Virûm! tua nos quando facundia traxit
n scenam, visi à terris sublimius ire
n cœlum, & plus quàm digni mortalibus ausis.
sse Aquilas, Regum volucres, in nubibus altis,
ngenio attollente alas sub lactea cœli
Heroum spatia, Elysiis contermina campis.
Nunc altâ nos nocte premi testatur Apollo
nfandum ipse dolens. Post hæc incommoda, *dixit*,
BOXHORNIque obitus, nemo se tantus in æde
Palladiâ, tanto dignum jactabit honore.

CIↃ. IↃC. LII.

Amplis-

Digitized by Google

Amplissimo, Clarissimoque Viro,

D. THEODORO VRYBURGIO,

MED. D.

Consuli, & Senat. Alcm.

SCHOLARCHÆ.

ECce senescentis Lux ultima transiit Anni,
Et novus exacto nascitur orbe dies.
Scilicet Æterni nihil ut speremus Amantes,
Et fati quisquis sit memor usque sui.
Computet inque diem, quantum non auferat hora
Quæque sibi, & facies omnibus una, MORI.
Nos tamen in Divûm leges peccamus & aras,
Justitiæque sacrum non benè gliscit opus.
Atque Animus vitio non uni præbet arenam,
Et ruimus fræno liberiore nimis.
Cur meritò accensa est flammis vindicta Tonantis,
Eluat ut nostrum peste, vel igne scelus:
Annonæque graves immittat ab axe procellas,
Terribilisque suis stagnet Avernus aquis.
Sed, facilis DEUS in veniam, mitisque vocari:
Qui frustrà nostras non sinet ire Preces.
Quare, *Mecænas*, nova dum primordia lucis
Annus agit, votum suscipe vota, precor;
Et Nobis Musisque fave. Clariumque tribunal
Fac multò in majus, Te duce, surgat opus:
Vryburgique Domus sit vero nomine *Asylum*
Virtuti, & sacris, Phœbe diserte, tuis!
Larga DEI bonitas, plenoque opulentia cornu
Affundat gravido commoda multa sinu!
Angelus observet sacri vestigia gressus,
Ne trepidum lædant asperа saxa pedem:
Ut Gallina suos alarum tegmine pullos
Protegit, & plumis pignora parva fovet.
Sit privata DEO, sit Res Huic publica curæ,
Stetque Fides firmo Relligioque loco!

Nulla

Nulla ſuis viduet peſtis cultoribus urbes;
Nulla foris turbent jurgia, nulla domi!
Lectus ſit luctus expers! Secura dolore
Mens vacet, & firmi corporis hoſpes agat!
Unde tuæ accedant anni ſpatiumque ſenectæ,
Et vitam reſecet non niſi ſera dies!
Mens corpuſque ſuo fungantur munere! Mentem
Vis divina regat; gaudia corpus alant!
Aonidesque meæ thyrſo ſtimulentur honorum,
Et ſuus ex merito Vatibus adſit amor.
Almeria ſe tollat honos quoque Nomine veſtro,
Et ſe finitimis utilitate probet!
Aureaque à cœlis nunc illi ſæcla recurrant,
Sitque diu Muſis hoſpita blanda meis!
Et ſacras illic teneat *Vryburgius* Arces,
Inque DEUM laudes plurimus ore canat.
Ut Tali vigeat Patrono nobile Verum,
Et Virtus teneat ſartaque tecta Larem!
Et pia poſteritas numeret non una Triumphos,
Gratenturque ſibi talia Sceptra SCHOLÆ.

Kalendis Jan. cIↃ. IↃC. LIII.

Ad Cl. & Reverendum Virum,

D. JOHANNEM KNYFFIUM,

Cum Auſpiciis Senatoriis SCHOLARCHA deſignaretur,

cIↃ. IↃC. LVIII. Kal. Mart.

EXcipit Aonidum nutantem KNYFFIUS axem,
Et rurſùm ſacra ceſſat in Æde dolor.
Jam nova lætities Latias diffuſa per arces,
Majeſtaſque ſuum priſtina ſervat ebur.
Nondum effœta ſuos fœtus Natura negavit;
Aut pejora ſibi dant Elementa locum.
Antiquâ Nobis Soboles gravitate revertit,
Par Tripodum ſacris, dignaque forma DEO.
Quod docet Eventu feliciter alea jacta,
Inque Tuam, KNYFFI, Dextera Scena Domum.

Digitized by Google

Nos faciles Musæ tantis assurgimus ultrò
Laudibus, & multo teste probamus opus.
Dii porrò auspiciis faveant! Dii Cœpta secundent,
Inque tuos adsit copia plena Lares.
Plurima cœlesti Sapientia stillet ab ore,
Ut nostram posthac Pallada totus ames.
Illud Amicitiæ Nomen vicinia debet,
Et tecum in CHRISTO fœdus, amorque DEI.
Longùm habeat multùm Lachesis quod torqueat a Te,
Stamina nec nigro vellere facta sient:
Ut sub præsidiis istis Ecclesia crescat,
Et caput ingenuum tollat in astra SION,
Huc aderis, Prætexta tuis in vota Camœnis,
Perque Deûm pulchras pulpita sparge rosas.
Prævius exemplis, ac sacro percitus œstro,
In plausus primum jure Poëta feror.
Ilicet augustæ fulgens super æthera tædæ,
Et ventura Boni sidera Castor habet.

Reverendo Doctissimoque Viro,

D. MARTINO BRUNONI,

Eccl. Alcm. Past. Vigilantiss.

SCHOLARCHÆ.

QUam facies mutata Tori! quàm Conjuge nulli
Jam furor, & priscæ deperiere faces!
Pro vitæ consorte piâ, pro jure mariti
Antiquo, tristi pocula felle bibo.
Et totus feror in lacrymas; noctemque diemque,
Funestos planctus anxius inter ago.
Flebilis auroram video lucescere vates,
Vespere cum sero nil nisi flere meum est.
Febricitant omnes mecum, mea cura Camœnæ,
Aonidumque minus fervet in æde labor.
Ad mutos affixa lares nunc fistula mœret,

Pi-

Priſtinaque Ingenio vena Venuſque deeſt.
ic ſumus ergò pares animi cruciatibus ambo,
Et patimur Nemeſin quiſque jugumque ſuum:
nius afflictos recreat fiducia CHRISTI,
Vulnera qui ſolùm noſtra levare poteſt.
il deſperandum eſt miſeris, qui fulmine tacti:
Sæpe etiam offenſi lenior ira Dei eſt.
ic poterit tandem & precibus miteſcere cœlum,
Et ſolito Ambobus lætior ibit die.

cIↃ. IↃC. LI.

IN NUPTIAS

Doctiſſimi & Præſtantiſſimi Viri,

D. GERBRANDI SCUTTERI, V. D. M.

Et eximiæ lectiſſimæque Virginis

MARIÆ KNIIF,

Celebratas Alcmariæ, cIↃ. IↃC. LVI. Kal. Julii.

ERgò nunc geminis Spoliis, *Scutter* triumphas:
Nec peperit ſimplex præmia tanta Labor.
Uno conflictu *Junonem* & *Pallada* ſubdis,
Cumque *Dijs* dextro prælia Marte ſeris.
Hoc equidem Herculeo eſt animo tolerare laborem:
Hoc eſt invictis regibus eſſe parem.
Ingrederis primum ſacri Delubra Tonantis,
Daſque operam ſtudiis demeruiſſe Deum.
Inde novas curas, ſubitumque Promethea quæris,
Qui lateri Sociam formet, & orſa Toro.
Omnia conceptis reſpondent Sidera votis;
Et dubium eſt, Spes ſit, Sparta vel ipſa, prior.
Hic in te blandos SPONSÆ miraris ocellos:
Quâ, Pylius, viſâ, non volet eſſe ſenex.
Quæ portum dabit, ac feſſis erit anchora Muſis:
Altera conſiliis Porcia, Brute, tuis.
Illic te Patrum in Chriſto Venerabilis Ordo Accipit,

Digitized by Google

Accipit, & tantis Teſtibus acta probas.
Non unâ Te ſorte reor, *Senator*, beatum:
Hæc qui te circum gaudia rara vides.
Adde, quod ingenti, *Socer*, tibicine fultus;
Fortunæ & nondum ſcena peracta tibi.
Hoc poteris Typhi infames vitare Charybdes;
Hoc rectum vitæ carpere tutus iter.
Molirique animo, quod ſero veſpere famam
Augeat, & pleno Numine donet opes.
Abramidæ Soboles! Authorem agnoſcite tanti
Muneris, & mundo luceat alma Fides.
Inque Deum Aſſaraci Domus inclinata recumbat;
Ac Pietas Thalami regula prima ſiet.
Et, quos de cœlo dederit Lucina Nepotes,
Hi magnum enarrent Cœlipotentis opus.
Exemploque Patrum ac Soceri, labentibus annis,
Conſpicua tollant laude ſub aſtra caput.

Solatium Funebre

Ad Ampliſſimum Virum,

D. HENRICUM DRUYF, JC.

Super immaturâ morte

Chariſſimæ Conjugis

MARGARETHÆ à TEYLINGEN.

cIↃ. IↃC. LIV. Septembri.

SIc tua lætities, ô Præſtantiſſime *Druvi*,
Conjugio in primo parva breviſque fuit.
Nec datur à pulchrâ fieri Te Conjuge Patrem
Sæpiùs, & ſeris addere nomen Avis.
Orbatus vitæ Sociâ, ſolamine rerum
Tantarum, recubas triſtis inerſque toro.
Jamque tuæ Themidi, puro quæ lumine nuper
Fulſerat, exorta eſt nubibus atra dies.

Mun-

Digitized by Google

Mutavitque faces nobis aversa Deûm mens,
Et spatiis iîsdem non benè fertur Amor.
Disce, meo exemplo, lacrymas abstergere tristes,
Fatorum & legem ferre, patique Deum.
Et noli adscriptam Superis mortalibus ulnis
Amplecti, ac thalamum rursus inire tuum.
Noli divinos illi cum Numine nexus,
Et cumulum tanti vimque negare Boni.
Cœlicolûm noli clausam Convallibus illam
Posse iterum tecum lege coïre tori.
Plus cœlo terrâque tenet tua *Margaris* illic,
Quæ meliore suo fœdere juncta Deo.
Omnibus extricata malis, curisque soluta
Omnibus, & nullo pondere pressa suo.
Tota sui juris. Nos, tristi in carcere carnis,
A tergo sequitur longa catena mali.
Nos rabies non una Fori, lisque una fatigat;
Pluribus objecta est nostra carina vadis.
Frænandus dolor ergò tuus, *Clarissime Druvi*,
Et mens non curis attenuanda suis.
Qui fulgere vides stellas & sidera supra
Jam Tibi *Teylingæ* nomina chara tuæ:
Cujus Virtutem cœlestis buccina in omnes
Protinus hinc terras Famaque voce canit.

Digitized by Google

IN NUPTIAS

Ampliſſimi, Clariſſimique Viri,

D. PIBONIS à DOMA, JC.

Illuſt. Fr. Ordd. à Secretis, SPONSI.

ET

Eximiæ Eminentiſſimæque Virginis

JOSINÆ ab AYSMA,

SPONSÆ.

Celebratas Leoverdiæ XIX Kal. Feb. CIↃ. IↃC. LV.

FElices Thalami! Quos nunc, Leowerdia, coram
Adſpicis. Auſpiciis attonita ipſa tuis.
Maxima *Friſorum* duo Lumina, Fœdera lecti,
Aſcaniiſque ſuis regna futura parant.
Doma revertentes Cytherææ colligit ignes,
Et viduas noctes odit, amatque toros.
Qui, ſatis in Patriam curis & pondere fractus,
A Venere & dulci Cypride poſcit opem.
Nec ſua perpetuum vult tempora tradere Conſo,
Nec torpere gravi corpora plena ſitu.
Sæpe valedicens ſtudiis, ſine fine, moleſtis;
Iratus Themidi ſæpius ipſe ſuæ.
Jam fruſtra Batavas Orator miſſus ad oras,
Pro populo ſolitus tantus & ore loqui.
Omnibus his Titulis & Famâ & honoribus auctus
Non animus requiem ſufficit ipſe ſibi.
Deerat ad rerum ſummam nova purpura, JUNO
Altera: quæ priſcos mox repararet Avos.
Quæque Fori lentas curas leniret amando,
Et ſua mixta jocis oſcula blanda daret.
Nupta Senatori magno, felicibus aſtris,
JOSINA eſt oculis obvia, Sponſe, tuis.
AYSMANA de ſtirpe ſuos quæ conſpicit ortus,
Et rarâ Ingenii dote fideque valet.
Friſiacas inter toto quæ vertice ſupra eſt,

Pro-

Digitized by Google

Provocat & cunctas pectore & ore Deas.
Altera Penelope meruit quæ jure vocari,
Ipsaque vel Latio Porcia nupta Duci.
Andromacheque sui amplexus subitura mariti,
Et Grajas superans Romulidûmque nurus.
Pierides, Vos hæc Divûm referatis ad aures,
Multaque Tarpeio victima cæsa cadat.
Rara avis in terris, si Quintilianus ametur;
Cumque suâ felix Pallade juncta Venus.
Concurratque simul cum sanguine stemmatis alti
Mens generosa Domi, Famaque pulchra Foris.

APOTHEOSIS

Amplissimi & Prudentissimi Viri,

D. JOHANNIS LAURENTII CLOCK,

Consulis & Senatoris Alcmariani,

Nuper Illust. ac Præpp. DD. Ordd. West-Frisiæ Præsidis.

Anno cIↃ. IↃc. LIII. IV. Id. Augusti Æt. LVI. piissimè Defuncti.

Ad Doctissimos & Præstantissimos Juvenes,

D.D. LAURENTIUM & JACOBUM CLOCKIOS,

S.S. L.L. Candidatos

FILIOS MOESTISSIMOS.

TAndem etiam ordinibus Divûm, tabulisque Silentum
CLOCKIUS inseritur CONSUL. Primaque Senectâ
Maturè se tollit humo; sacrumque Salutis,
Mitè Noti, Boreæque truces, pelagique procellæ
Cuncta dolent, prêndit portum, securus arenæ:
Nobis in tenebris ac multâ nocte relictis
Inter mille minas Fatorum, atque Æquoris undas.
Quos circum non una Canis, non una Charybdis

Digitized by Google

Nocte dieque ſonat, vivis animata favillis.
Hinc in perniciem noſtram, cum Veſpere ſero,
Albionum populo ferrum lethale parante;
Inde metus alios, Superûm flagrantibus iris,
Trudente in Belgas Mavorte, aliaque Chimærâ.
Felix ille Virûm! Spiſſæ qui Pleiadis ignem,
Saturnumque, gravem Populis, evaſit; & ævi
Tempora, quæ nullo dici potuere metallo.
Hoc unum Patriæ civi, Sceptriſque Potentum
Vulnus grande facit: quod, poſthac, LAMPADE cæ
Exſtinctâ, involvet ſeros caligo Nepotes.
CLOCKIADÆ, Juvenes Ambo, lectiſſima Muſis
Nomina: Quos VIRTUS, ævo rariſſima noſtro,
Et PIETAS facit Hæredes in Facta PARENTIS
Inclyta, non iſtas lacrymis puerilibus urnas
Spargite. Plus Famæ Vobis ac Nominis alti
Naſcitur à Fatis. Rerum prudentia majus
A Tumulo pretium capit, ac illuſtrius exit,
Jam fractâ demum Invidiâ, vulgique furore.
Sed, rara in terris Avis eſt, hoc tempore Ferri,
Qui plenus propiore DEO, ſe devovet iſtis
Exemplis, Tantumque HEROA imitatus agendo,
Emeritis unà poſuit cum FASCIBUS annos.

Ad Nobiliſſimos Conjuges,

D. JOHANNEM à NIBURCH, IC.

ET

CATHARINAM de GRAEF.

EPITHALAMIUM.

ERgò non uno, *Niburgi*, Marte triumphas,
Laurea Victori nec ſatis una Tibi.
Auriacum juxta ſpoliis incedis opimis:
Atque etiam feſtâ fronde revinctus ovas.
Hic Libertatem ſed duris aſſerit armis,
Proque Aris Batavûm bella Fociſque gerit.
Ultrices aquilas in campum immittit apertum

Sau-

Digitized by Google

Saucius; Heroo & sanguine tingit humum.
Tu glomeras Cyprio facilem in certamine Martem;
Nemo ubi vulnificâ cuspide læsus obit.
Nec rabidos inter sanguis profunditur hostes;
Nec fera præcipites asperat ira metus.
Vidimus *Asiacam* toties flammâm inter & ignes,
Cominus audaci stringere tela manu.
Sæpè acie in primâ caput objectare periclis,
Inque trucis Mauri Mœnia ferre pedem.
Tu non in *Gravis* crudos offendis Iberos,
Vincenda aut fortis non Cataracta tibi.
Non te sollicitat Tungrorum in limine Mavors,
Objiciuntque suas Pergama celsa minas.
Securus Tu bella geris, sub Matre Dione:
Quâ non tam gravis est in statione labor.
Nequicquam horrescis commisto sulphure glandes,
Iliacosque times tristis adire rogos.
Non pelagi hîc rabiem pateris, nec Oriona sævum,
Emissamque hyemem, Parrhasiosque notos.
Vincula non tergo sentis, quæ barbarus hostis
In Batavi quondam libera colla tulit.
Hîc alius carcer validâ te compede stringit:
In quo festivo carmine ludit Hymen.
Hîc alius longè venis calor æstuat imis;
Hîc tincta Idalio spicula melle volant.
Missile non ferrum præcordia & ilia scindit,
Hîc dulci morsu saucius urit amor.
Sæpius in multam vigilas ad lumina noctem;
Sed servat nullas dura catena fores.
Sponte patent vobis sacræ penetralia Vestæ;
Non opus armato hîc milite; sponte patent.
Blanditiis pugnas & divite munere fandi:
His Juno vinci dotibus ipsa queat.
O si *Nassovio* pronus sic militet æther,
Præbeat ut Batavis Bætica terra jugum.
Aut coëant Morini nobiscum fœdere pacis,
Accipiatque novum Flandria jussa Ducem;
Quam tibi confectum facile est sine sanguine bellum,
Et manibus cessit *Gravia* victa tuis.

Gravia

Digitized by Google

Gravia plus totâ quæ ſenſum inflectere *Gandâ*
Poſſit, & ingenii dote placere ſui.
Non fuerit vobis tanti aut Romana Sacerdos
Ilia, Penelope totque petita procis.
Illa dies aderit, quando ſe Ganda Batavis
Junget, & Auriaco nubere victa volet.
Gravia ſed vobis Una eſt pro mille triumphis,
Nec ſpolium Belgis grandius eſſe poteſt.
In Quâ ſolus habes, quicquid formoſa Lacæna,
Andromache quicquid contulit alma viro.
Sic voti reus, ex toto præferre Maritum
Incipis, & ſocii condere jura Tori.
Poſthac proliferi fructus capturus amoris,
Gravia quos utero mox tibi plena dabit.
Primitias Thalami dulces, & clara Parentum
Nomina: dilectæ poſteritatis opus.
Hoc faxis, Pater omnipotens: in ſera Nepotum
Sæcula *Niburgi* fama ſuperſtes eat.

CIↃ. IↃC. LIV.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. THOMÆ ab EGMONT à NIEUBURCH, *Conſuli, Senatori Alcm. &c.*

SCHOLARCHÆ.

EHeu! chara meæ ſub terras ivit imago
Conjugis, atque animi portio magna mei.
Nec jam felicem referat Sol aureus ANNUM,
Nec nitido nobis Lucifer axe redit.
Sola ſepulchrales umbras, atraſque cupreſſos,
Et querulos planctus Præfica mœſta canit.
Nec ſeram in noctem, viduo cum turture, ceſſo
Deplorare mei triſtia fata Tori.
Hîc antiqua meis oculis occurrit imago;
Sed fruſtra ſolitus pectora verſat amor.
Illic à tacito crudeſcit vulnere vulnus,
Cum video Thalami Pignora flenda mei.
Optima Conjugii dos eſt in Conjuge caſta:

Quâ

Quâ non in terris pulchrius exſtat opus.
Quæ pretioſa tibi rerum quando abſtulit urna,
Jactura eſt opibus maxima facta ſuis.
Omnia tunc uno pereunt ſolatia fato,
Et pars eſt noſtri ſic quoque rapta rogis.
Cumque Viri toties animum dolor anxius urat,
Inflammetque ſuum bilis & ira jecur:
Uxor amans lepidâ demulcet voce Maritum,
Blanditiiſque ſuis tædia cuncta levat.
Hæc Thalamum, hæc dulces Furiis opponit amores,
Fortunæque ſuæ fidere pulchra monet.
Hæc animi ſedans motus, tumidaſque procellas,
Docta ſupercilium ponere ritè docet.
Immortale Bonum in terris, Par Nobile Amantum:
Quorum mens eadem vultque, negatque eadem.
Digna Jovis ſolio facies, primoque Parentum
Concubitu! quando nullus adulter erat.
Omnibus his careo, careo, dum Conjuge Vates,
Et viduo, ah! jaceo triſtis inerſque Toro.
Nec ſupereſt horum quicquam, quo perfruar unquam,
Marmore ſub duro res mea tota jacet.
Quando mens fracta eſt curis ac Pallade crebrâ,
Nemo mihi curas, Pallada nemo levat.
Stant circum atrati teſtes, mea Numina, Muſæ:
Quæ domini toties condoluere vicem.
Flebilis eſt rerum ſtatus & Fortuna mearum.
Qui non Dilectâ Compare, ut antè fruor.
Nenhaſius pro parte ſui jam mortuus errat;
Parte ſui vivus Numina veſtra canit.
Diſſimilem Tibi, *Mecœnas*, precor, Optime, vitam,
Utque niſi ſerò, pocula noſtra bibas.
Exemploque meo, Fatis Junone perempta,
Heu! nimium triſtes experiare vices.
Ambo florentes animis ad Neſtoris annos
Vivite: & in Batavis tam ſupereſte diu,
Donec ſera dies, infantiaque altera vitæ
Uſque etiam in canis viderit Aſcanium.

cIↃ. IↃc. LI. Kal. Jan.

Digitized by Google

NUPTIÆ MEDICÆ.

In Honorem Clariſſimi & Ampliſſimi Viri,

JOANNIS GESTERANI, Med. Doct.

Archiatri Alcmariani.

Et Lectiſſimæ Præſtantiſſimæque Virginis,

GERTRUDÆ NYROP.

Celebratæ Alcmariæ CIↃ. IↃC. LI.
VII. *Kal. Jul.*

SIc ſatis eſt, *Geſtrane*, Tibi, per Apollinis artes
Exeruiſſe caput. Sacrumque in corde furorem,
Cum centum ingenuis ſimul abſorpſiſſe Camœnis.
Tempus erat, nullas Galeno impendere curas,
Hippocratemque tuum duris vincire catenis,
Et requiem ſperare domi. Pro Febribus atris,
Pro tot Morborum agminibus, triſtique veterno,
Excellentem animo Thalamis inferre Maritam.
Quæ, Phœbi ſanata manu, curaque fideli,
Optatam Phœbo mercedem ab Amore rependat:
Oſtendens jam ſponte ſua penetralibus Ignem,
Devotumque caput Sophiæ. Sic ritè Machaon,
Poſt tot pyxidulas, & tot præcepta medendi,
Penelopen meruit, vigilatis Præmia Muſis.
Felix, ô nimiùm felix, *Nyropia*! Cujus
In Fundum atque Larem ſcandit fumoſa Batavûm
Progenies. Tantis Titulis innixa Potentum!
Cujus in amplexu liceat ſperare ſalutem.
Corporis, & lentas olim proſcribere Febres,
Thymbræo jam Patre domi. Qui temperet æſtum
Frigoribus modicis, pendatque examine venam,
Haud fallente manu. Caſtum diſcinge Pudorem,
Et nova regna para. Dictum, *Feliciter*! Ipſo
Nil malè tentatum, *Geſtrano* Judice, peccas.
Non eſt, quod metuas Syrtes in parte Cubilis,
Arcturique minas, Cœlo ſpondente ſerenum.

Ad

Digitized by Google

d latus archetypum cernis vigilare Cleanthem
Noctibus, & longè fines custode tueri,
nsidias scelerum contra, osoresque superbos
'onjugii. Hic cæcas doctus vitare Charybdes,
'ærarioque lacus, & spissæ Plejadis ignem.
one supercilium; curas jam pone, Virago
faſcula. Tota tibi servit Natura paratu,
t prorsus secura jaces. Ubi vipera nullo
'elle nocet, spargitque suum locusta venenum;
ed, puras in amore Rosas ac Lilia spondet
rcitenens, pulchrosque Toro Lucina Nepotes.

PAX BRITANNICA,

CELEBRATA

Cum Celsissimis & Potentissimis

FOEDERATI BELGII

ORDINIBUS.

cIↃ. IↃC. LIV.

Hic iterum Belgæ Unanimes excussimus arma,
Et Populus gemino Victor in orbe sumus.
Atque omnis longo solvit se Patria luctu,
Et Tellus nobis liberaque Unda patent.
Auspiciis tandem Cœlo melioribus ortis,
Et non incertam PACE probante Fidem.
Cognatisque damus Dextram, post Bella, *Britannis*,
Et Batavis spondent Dii meliora meis.
Mantis nunc Furiis in dulcia gaudia versis,
Et Patria solitos ingeminante jocos.
Ferro lituo & clangore tubæ, proque Ægide torva,
Quando Threïciam pulsat Apollo chelyn.
Tempora, quæ niveis Vatum signanda lapillis,
Et, Saturne, tuo sidere digna forent.
Nunc rursum commune Forum est, Pars ultima mundi
Et, quà se pandunt littora, Belga habitat.
Navitaque, adspectans in cœlo lætius Astrum,

Digitized by Google

Mox Pelago curſus liberiore dabit.
Remigliſque ſuis Terras permenſus & Æquor,
Jam cum Sole novas invenit uſque domos.
Deerit hîc nunquam nobis Neptunia proles,
In ſobolem Oceano deficiente prius.
Quaque rates ierint, ſemper Palinurus in undis;
In medio ſemper gurgite Typhis erit.
Alteraque hîc Argo, ſi non in Colchide vellus,
Ingentes alio ſidere quæret opes.
Officiis poſthac nobis certantibus ultrò;
Ipſo etiam ſenſu depereunte mali.
Felices Animæ! quibus hæc commiſſa poteſtas,
Et Quorum hîc uti Diî voluere manu:
Ut varias liceat ſub eodem Numine terras
Viſere, & antiqui jura tenere fori.
Perque vagos orbes ſolitas extrudere merces,
Et rurſum lætis puppibus ire foras,
Omnibus hinc odiis procul, & crudelibus armis,
Quæque animos lites concutere ante ſolent.
Dulcis Amicitiæ nobis redeuntibus Aſtris,
Et nebulas Phœbo diſcutiente ſuas.
Quando perpetuis jungentur Fœdera Dextris,
Oſculaque æterni pignus amoris erunt.
Et, cum Marte, ſimul verborum injuria ceſſat,
Primaque Lethæis acta dabuntur aquis.
Fœdifragus nobis nec jam amplius audiet ANGLUS;
Imperii aſt Socius, parſque ſalutis erit.
Materies exhauſta mali eſt. Furor Iraque mentes
Deſtituunt. Priſcos PAX ſubit alma Lares.
Et juxta Pietas graditur ſucceſſibus æquis,
Inque ſuo rurſum fulget honore Themis.
Omnia ſub dulci PACIS cognomine gaudent,
Una quæ Tameſin lege Tagumque ligat.
Sic Libertatis, ſic Relligionis avitæ
In Batavis uno gloria nata die.
Tu nunquam Batavæ Fidei diffide, Britanne:
Fuco omni, ac tacitis Gens caret illa dolis. (ſus;
Haud quemquam Batavus per fraudem fallere do-
Nec mentituro decipere ore reos.

Quæ

Quæ nova finitimi populi jam monstra putarent,
Extres in Fastis prodigiosa foret.
Totus amans Fidei, totus defensor Honesti;
In Socios totus Relligione pius.
Sic utrinque redit sacra in præcordia Virtus,
Et Pax ingenua nititur ista Fide.
Majorumque Decus, posthæc, terrâque marique
Pulchrius hoc tantò tollet in astra caput.
BELGICA, quæ gemino præbes miracula Mundo,
Et tot concilias Sceptra, Jovemque Tibi:
Non hinc in Titulos, nomenque exsurge superbum,
Aut solito cristas erige more magis.
Sed, servare modum rebus jam disce secundis,
Atque unum in cœlis suspice mente Deum.
Qui Libertatem, qui firmâ Rupe Sionem,
Alteraque in Batavis Pergama celsa locat.

Piis Manibus

CLAUDII SALMASII,

EQUITIS, &c.

QUid Phaëthontæis pennis nos credimus Astris?
Quæque negata homini est, tendimus ire viâ?
Scrutamurque omnes Cœlique Erebique recessus,
Et quæ non oculus, mens neque læva videt?
Talis eras, Tu SALMASI, mirande repertor
Tot rerum; sæcli gloria prima tui.
At nunc se spatiis istis levat altius Æther:
Discis ubi tandem grande Tonantis opus.
Et Natura suas aperit Tibi plenior Artes;
Jamque DEI auspicio, doctior esse potes.
In Manibus sic Terra fuit, Mundique Theatrum:
Nunc etiam Cœli celsa Theatra vides.

cIↃ. IↃC. LIII. *Idib. Octob.*

MANES

MANES TROMPII,

Summi Maris apud Batavos

PRÆFECTI.

NASSOVIOS inter medius nunc TROMPIUS ei
Cumque istâ Heroum vivit ovatque manu.
Nec poterit totus crudeli occumbere Letho,
Quem sua sic Virtus plurima ad Astra tulit.
Qui toties Victor spoliis fulgentibus Hostem
Exuit, & Batavis anchora sacra fuit.
Consiliumque dedit *Patribus*, frænare superbum
Regnatorem Asiæ, terribilemque Tagum.
Et pridem Pelago sævos in bella Britannos
Sollicitos fecit ducere corde metus.
In Quo tot Deciorum animas, forteſque Camillos
Scipiadasque suos Belgica nostra legit.
Cujus mors nobis ne nunc præsagia portet
Tristia, Diî, vestris ô prohibete sacris.
Nam post Auriacos Manes, & Funera tanti
Principis, hic nobis altera dextra cadit.
Quem potuere truces Atlantem jure timere
ALBIONES, tantis insula fœta malis.
Vivere pro Patriâ pulchrum est, & stare in arenâ;
Sed, plus, pro Patria est, tam bene posse MORI.
TROMPIUS exemplo est. Qui quantus vixerat ante,
Nunc etiam tantò funere major obit.

cIↃ. IↃC. LIII. IV. *Id. Aug.*

PIIS MANIBUS

Illustris Viri,

DANIELIS HEINSII,

EQUITIS, &c.

LAmpada sic aliis nunc, HEINSI, tradis: &, ipsis
Jam fastiditis Artibus, Astra petis.
Hîc Qui tot coram spectas illustria vatum
Nomi-

Digitized by Google

Nomina, & Aonidum celsa Theatra Scholæ.
uæ plus nunc recreant animos, quàm prisca Quiritum
Pagina, & invictæ gloria tanta Togæ.
hereum hîc oculis melioribus adspicis orbem.
Græcia jam tota est, totaque Roma nihil.
rnis adorandum nunc sacrâ in valle Tonantem,
Quoque Authore semel nostra renata salus.
benè, post pulchrè partas in imagine Lauros,
Istâ cûi liceat Spartâ & honore frui!

cIↃ. IↃC. LV. *Mense Martio.*

IN NUPTIAS

Doctissimi & Præstantissimi Viri

NTONII DANBURG;

In Insulâ Texaliâ V. D. M.

Et Lectissimæ Præstantissimæque Virginis

OHANNÆ BATEMANS.

Celebratas Leidæ cIↃ. IↃC. L. *Prid. Non. Septemb.*

Nter Nereidum turmas, regnâ invia Musis,
Asperaque horrendis littora fœta Notis,
icaluit sacræ Veneris DANBURGIUS astro,
Et nil, quàm Thalami pignora remque studet.
ltera molitur Generis cunabula nostri:
Dignum opus Auspiciis, Pyrrha, & amore tuo.
EIDA Vale: Tuus hîc Cyprio nunc percitus œstro,
Longè alias animi ventilat igne Faces.
unc tua Majestas, hic spretâ Pallade, languet;
Pieriæ & dudum deperiere Deæ.
lon juvat Auriaci, ceu quondam, cura Lycei:
Quo pulchrum Ingenii sæpè probavit opus.
ola sibi totum poscit BATEMANNA Maritum.
Nec fas hîc aliis Vatibus esse locum.
ola in Hyperboreis, trans Ponti littora, arenis
ANTONIO ire comes vult BATEMANNA suo.

Sola

Digitized by Google

Sola Sionæis factura Nepotibus umbram,
TEXALIÆ gelidas molliet igne nives.
Hoc Neptunicolæ facili risere sacello,
Ipsaque mox partes Tethys amoris aget.
Nil malè peccatum est. Sunt hæc prima otia nobis
Hoc ritu Ascaniis conditur aula novis.
Sæpè Dionæo sub Sidere pulchrior aura
Nascitur, & sudor Pallada major habet.
Cum tandem in tutam vallem descendere Sponsa
Cœperit, & voti culmen adeptus Hymen.
INSULA mox alias toto canet æquore leges,
Nec semper Boreas Basia blanda finit.
Ad solitas quando Musas DANBURGIUS ibit.
Jamque aliâ ducet Fœmina pensa manu.
Et multùm attoniti magna ad Mysteria Divûm,
Cernetis tumidas hîc PHARAONIS aquas.
Utilitas hæc prima Tori, servire Tonanti,
Et non à monitis degenerare piis.
Hoc vobis Cynosura fiet, PAR NOBILE Amantum
Sive iter, in dubiis, Vesta vel Unda dabit.

IN HONOREM
Eximii & Doctissimi JUVENIS
D. ADRIANI SCHAGEN
Cum Publice
DE
JURE EMPHYTEUTICO disputaret.

UNÂ, SCHAGENI, nuper Vertigine Civem
Te dedimus. Populo ritè favente Tibi.
Nunc majore Foro liber dominaris, & Aulæ
Pondera subtili pendis ab ingenio.
Mature in Cœlum raperis conamine pulchro,
Et Magni Spartam, PATRIS ad instar, agis.
Desudas totâ depalleſciſve Cathedrâ,
Ne juxta Trabeam destituantur Opes.
Aut careant seri Consulto & Lege Nepotes,

Qui

Quo Batavis Pyrrhæ monstra redire queant.
Ihare Deo Juvenis! geminis Virtutibus auras
Dum prêndis, Corpus, ceu leve, serpit humi.
Et priscæ rursum Leges in Honore ferantur,
Et benè sit Latio, Mens tua pulchra studet.
Quæ Te prima suis rapuêre incendia flammis,
Hæc animi rapiant interiora magis.
Ne nunquam Labor impediat cursum ante furorem,
Ingenuis Comes est Mentibus iste Furor.
Ecce Tibi è longo Capitolii in parte reductâ,
Arte laboravit quam THEMIS ipsa, TOGAM-
Pileaque & Lauri ramos, cum principe Gemmâ
Sardonyche, & Dotem Cypridos, atque Fori.
Nunc SCHAGENI, & Martem generosus in armis
Exerce. Hîc oculis obvia præda tuis.
Hîc totus cataphractus ades. Sub Pallade nostra
Spiret amor, nostro Numine tutus erit.
Vix primæ cecinêre tubæ, nubesque remota
Orchestræ, emicuit lætior axe dies.
Doctoresque omnes, Proceres Certaminis hujus,
Talia Nassoviis intonuêre Scholis:
Legibus assertis, Astræâ Virgine salvâ,
Inclyta SCHAGENIO parta Trophæa manu.

cIↃ. IↃC. LI. *Prid. Kal. Mart.*

IN OBITUM

Reverendi, Clarissimique Viri,

D. MARTINI BRUNONIS,

Eccl. Alc. Ministro eminentissimo, &

SCHOLARCHÆ.

VIx aperit lætis Titan successibus annum,
Et sua tranquillus jubila Janus agit:
Aoniam in multo luctu sol adspicit Ædem,
Et rursum tristis nubila Phœbus habet.
Sic nihil est aliquo nobis sub sidere tutum,
Mixtaque sunt raris gaudia nostra jocis.

Sic

Sic subscribendum est ultrò cœlestibus iris:
Qui scenæ tantùm nomina muta sumus.
Incerti, cùm manè diem lux aurea promit,
Quid certi humanis vespera sera ferat.
Ecce DEI Mystam nobis nox abstulit una,
Optârunt toties Quem mea vota Senem,
Et supereſſe diu in laudes & Palladis artes,
Ingenuumque suo vertice ferre jugum.
Invidit Batavis trux istas Præfica Lauros,
Et tanti Superis Sidus abesse Viri.
Ad meliora citant Cherubini pulpita Vatem,
Jamque alia in cœlis Hic Face dignus erat.
Semper ubi Aligerûm turbæ sese arduus infert,
Et Divûm nectar pleniùs ore bibit.
Hic tenues umbras rerum ac discrimina doctus;
Illic immensi conspicit acta DEI.
Cernit adorandos sine fuco ac fœnore census:
Unde procul partes dissimulantis erunt.
Hîc alios animi Pietas benè computat annos;
Hic vera apparet jam sine nube Fides.
Cumque DEO augustos agitat Collega triumphos,
Quando Erebi coram vincula fracta videt.
Agnoscit nullas ubi prisca insania sordes,
Nec sibi consuetum crimen adulter amat.
Hinc lacrymas procul, & luctum proscribimus o-
Hic nihil infandum mens generosa sinit.
Isacidûmque pias animas hic purior aula
Excipit, & carnis non grave lassat onus.
Huc graderis nunc, BRUNO Pater. Securus ab omni
Et rugâ, & maculis, Terrigenûmque dolis.
Huc sese geminis Candor tuus explicat alis;
Discis ubi pulchrum Cœlipotentis opus.
Et, quæ non homini Mysteria prendere fas est,
Hæc nunc sunt oculis obvia cuncta tuis.
Eheu! chara Tui periit pars altera nobis;
Altera pars melior succubuisse nequit.
Cujus ab excessu claudenda est janua Musis,
Et multò sapimus docta Lycæa minus.

cIↃ. IↃC. L.

In

In

Natam, bonis Auſpiciis,

FILIOLAM,

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Spectatiſſimo VIRO,

D. D.

ORNELIO à TEYLINGEN, JC.

Conſuli Alcmariano,

ET

Weſt-Friſiæ Præſidi, &c.

ERgò tenes, TEYLINGE PATER, plus Colchide totâ,
Quando nunc pleno nectare MELLA bibis.
Securus, quid GALLUS agat, quid fœdera PATRUM
In Populi Pacem conſtituêre foris. (mnes,
CÆTERA nunc MATER plauſus ſupereminet o-
Magnanimûmque Ducum ſub pede calcat ebur.
FILIA dum Thalamo tanto, ſpes ſera NEPOTUM,
Naſcitur, & PRISCIS Nomina *reddit* AVIS.
Atque novos BATAVÛM COMITES jam Regna reſurgunt,
Nobilitaſque ſibi plus placuiſſe poteſt.
Gaudeat ipſa, licet pulchrâ LATONA Diana,
Et Niobe longè ſpreverit iſta VENUS:
Sic TEYLINGA ſuos cœlo nunc jactat Alumnos,
Et felix Superas provocat Ipſa DEAS.
Argumenta ſuo properans Generoſa MARITO,
Baſia poſt toties ingeminata Toro.
Hoc unum Vates opto penetralibus imis,
Omine ſit lætO FILIA nata ſuo.
Et PATER & MATER, congreſſi hoc ſæpè DUELLO
AUGUSTA repetant Nobile STIRPE Genus.
Unde ſuos Batavi fructus & Gaudia carpant,
Poſteritaſque ſibi non niſi MELLA legat!

Ipſis Kal. Julii. CIↃ. IↃC. LVII.

Ad

Digitized by Google

Ad Reverendum, Clariss. Doctissimumque Virum,
D. CHRISTIANUM SCHOTANUM. V. D. M.
S. Theol. Professorem.
Cum Illustrem FRISIORUM Gentem
Perpetuâ Historiâ illustrasset.

SIc iterum nobis Majestas Gentis Avitæ
In scenam titulo splendidiore redit.
Frisia, Nobilium Genitrix tot clara Virorum,
Protenus à terris tollit in astra caput.
Schotani Auspiciis feliciùs exit in altum,
Qui pridem in multâ nocte latebat, Honor.
Et tandem Populo inventus par Scriptor & Author,
Quo veteri redeat fama decusque Togæ.
Scilicet haud tanti, Annales terrâque marique
Scribere: ubi vatem copia dives alit.
Trojugenûmque Duces tabulâ jactare capaci;
Vel totum in Grajos se penetrare sinus.
Hîc rem Cimmeriis tenebris involverat atra
Caligo, & prorsus copia nulla fuit.
Omnia quæ, postliminio, majore cothurno
Ad numeros cernit currere quisque suos.
Nec dubium. Sera hæc olim lætabitur ætas,
Frisia quod vestrâ sic eguisset ope.

CIↃ. IↃC. LVII. *Kal. Jun.*

Ad Doctissimum & Præstantissimum Juvenem CHRISTIANUM CONSTANTINUM ROMPFIUM,

Magni BOHEMIÆ REGIS, & Celsiss. PR. AUR. Archiatri Filium.

Cum in Acad. Lugd-Bats.

MEDICINÆ DOCTOR renunciaretur, CIↃ. IↃC. LVII.

Rgò iterum, *Auriaca* mediis confessibus Aulæ,
Tergeminis Spoliis *Phœbus* onustus ovat.
ictoresque novos suus in certamina pulvis,
Et plus quàm Phryxi velleris urget honor.
OMPFIus, æternæ *Lauri* succensus amore,
Conciliat Superûm Sceptra, Jovemque sibi.
ec patiens humiles inter reptare myricas,
Libera Pegaseo fertur in astra gradu.
t nunc Phyllyrides nunc & Podalirius alter
In *terras* Batavo visus adesse redux.
, quas Divini *Genitoris* ab ubere traxit,
Artibus his aliis utilis esse queat.
c paribus Proavûm vestigia passibus æquans,
Et Medicâ Medicum Gente Domoque ferens.
tritius sanguis, quo nunc non percitus œstro
Prisca *Palatini* nomina sacra refers!
t Decus & Famam non uno Teste mereris,
Attonito in laudes protinus orbe tuas.
lagnus *Eques* tanto applaudit *Studlerus* Honori,
Et partem Auspiciis vendicat inde suis.
ui pulchrum *Ascanium* docto sub pollice, & isto
Artificis Ductu vult minus esse rudem.
t nos de Cyrrhâ Vates assurgimus illis
Ultrò etiam Titulis, Ingeniique bonis.
ſerque quaterque illos Felici dicimus Astro

Pro-

Digitized by Google

Progenitos: Quorum sic benè surgit opus.
Et coram Phœbo, Patriæque Atlantibus ipsis,
Qui poterit plausus ritè probare suos.
Diis, ROMPFI, curæ pietas tua. Nobile tantis
Inceptis olim cœlitùs omen ineſt.
Diî porrò inflamment sacrum penetralibus ignem,
Unde tuus multam sentiat æger opem.
Et, quæ sub Magno LINDANO, & *Patre* Cleantha,
Hauserat Ingenii Spiritus ille, probes!

In auspicatissimos Natales
Illustris & Generosi Viri,
D. ANTONII STUDLER, *Equitis*
Bergarum in Kennemaria Toparchæ.
Ipsis Idibus Augusti CIↃ. IↃC. LVII.

PLaudite nunc dulces nobis ante omnia Musæ,
Threïciamque meus pulset Apollo chelyn.
Jam nova progenies cœlo prognascitur alto,
Et, *post Lustra Decem*, lætior annus adest.
Studleri natalis adest nunc Cæsaris ipso
Sidere, & *Augustis Idibus* ille venit.
Plausimus hîc omnes animis atque omine lætо,
Et fuit ex totâ Candidus ille dies.
Consedêre Duces pariter de Stirpe Batavûm,
Et flos de mediâ Nobilitate Virûm.
Gracchorumque piæ Matres, & Porcia nobis
Altera. Brute, tuæ spes rediviva Togæ.
Libantes auro pateras & pocula cuncti,
Ut Patriæ felix cesserit ille dies:
Quo nunc formoso Daphni tua sacra parantur,
Officiisque tui tot famulantur agri.
Talem sæpè diem exoptat *Studleria* Proles,
Et *Valckenburgii* mens Generosa sibi.
Unde facem novus Ascanius succendere possit,
Et vetus in Batavis surgere rursus Honor.
Quali nunc opus est, inter tot nubila, Luce,

Frigor

Digitized by Google

rigore non unâ nocte tegente diem.
vite præluſtres Animæ. Vos vivite longùm,
Eburonum ſoboles, Nomina celſa Virûm!
vite, & in ſeros tranſmittite Sceptra Nepotes,
Exhilarentque pios Annua Liba Lares.
primis, *Studiere* Puer, ne vellere nigro
Incîdat vitæ ſtamina Parca tuæ.
d, quæ de Lauro fuerat Tibi nexa Corona,
Nectatur capiti crebra Corona tuo.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro,

THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH,

Illuſtribus ac Præpotentibus Belgii

Ordinibus à Conſiliis, & SCHOLARCHÆ.

Ita omnis, retrò nobis proaviſque peracta,
Vallis, & innocui ſanguinis ara fuit.
nguine Libertas Belgarum exordia ſumpſit,
Inque ſuo, major, ſanguine, facta, natat.
nguine creverunt lauri, crevêre Triumphi:
Hoc uno Populis fama decuſque ſumus.
t nunc, *Chriſtiade*, lacrymarum claudite rivos;
Nunc crudele ſuo ſanguine ceſſet opus.
dimus Arma, Viros. Melius nunc omen, Oliva, eſt.
Bellorum ſtudiis eſt quoque Belga ſatur.
xcute nunc alios Phœbi de pulvere Myſtas,
Et, pro tot lituis, jam lyra docta ſonet.
uæque diu rigido ceſſerunt otia Marti,
Hæc iterum cedant otia, Muſa, tibi.
lajus opus moveant Proceres conamine ſacro,
Atque alio fortes prælia Marte gerant.
ltera Pallas ovet victrix; proque Ægide torvâ
Fulgeat antiquâ conſpicienda Togâ.
ANus ſigna dedit, Mecœnas. Numine veſtro,
Et reditu, ſpondet proximus Annus opem.
lea mutata eſt. Cecidit bene teſſera, Phœbe,
Militiæque tuæ gloria major erit.

cIↃ. IↃc. XLIX. *Kal. Jan.*

Digitized by Google

Ampliſſimo, Prudentiſſimoque Viro,

D. THEODORO à VRYBURGH,

Med. Clariſſ.

SCHOLARCHÆ.

ERgò Sauromatas ultra Thulemque remotam,
Finibus à Batavûm miſimus arma procul.
Alteraque Auguſti redierunt tempora Muſis,
Et fœdo torpent, Mars, tua régna ſitu.
Nunc agimus toto Belgæ, Gens Libera, Mundo,
In Terris nullo nos cohibente metu.
Amſtela Danubium bibit, & nunc Rhenus Iberum:
Cunctaque jam priſcâ littora lite carent.
Quaque rates ierint, plauſus de puppe ſequuntur.
Nulla per offenſas navigat alnus aquas.
Vincitur centum validis Bellona catenis,
Et dolor, & rabies, intus & ira fremunt.
Cuncta domi tranquilla; foris tranquillaque cuncta,
Et Pax auſpicio candidiore placet.
Attendit pia vota Deus. Paciſque ſereno
Mulceri Iſacidûm pectora mœſta jubet.
Felix Belga nimis! poſſis ſi commoda mente,
Fortunam ex æquo ferre patique tuam.
Si, quoties nobis reparat ſua ſidera Titan,
Cædatur toties victima grata Deo.
Et nos hinc olim ne ſæcli injuria tanti
Arguat ingratos immemoreſque Boni.

cIↃ. IↃC. XLIX. *Kal. Jan.*

Gratu-

Gratulatio ad

Illustrem & Nobilissimum Virum,

D. CHRISTIANUM MOLLIUM, JC.

ET

Potentissimi Principis Electoris

BRANDENBURGICI

AD

Præpotentes Foederat. Prov. Ordines

LEGATUM, &c.

SIc Te, Magne Virûm, Phœbi clementia cœlo
Extulit, & merito donat honore Themis.
Qui tot Virtutum spoliis incedis opimis,
Fascibus intentus consilioque Ducum.
Et nunc ad Batavos dignus, lanugine primâ,
Brandenburgiaci Principis ore loqui.
Nunc coram *Auriaco* secretas pandere voces,
Multaque in Ameliæ fundere verba sinum.
Omine se ostendant terris ut cuncta sereno,
Et populo Regum concilietur amor.
Mactus ades nobis, Procerum Fax inclyta, MOLLI,
Pectoris ingenii dote fideque potens.
Mactus ades faustusque. Et claram in Conjuge stirpem
Illustra Ingenii nobilitate magis.
Sic fiet, Tua quæ Virtus cum *Principe* crescit,
Unà cum Batavis crescat amorque tuus.
Et plures hederæ circum tua tempora serpent,
Nec satis in Lauros unus Apollo fiet.
Magne *Socer*, dabit illustres hæc fama Nepotes,
Excipietque tuas hinc nova palma fores.
Majorum Decus, & tituli cum laude resurgent
In majus, vires sufficiente Deo.
Principis optatus felix modò prosperet æther,
Labaturque suis Odera lenis aquis.

cIↃ. IↃC. XLVIII.

Digitized by Google

Carmen Funebre

In Obitum

Nobiliſſimæ Matronæ,

DODONÆÆ à TADEMA

Ad mœſtiſſimum Conjugem,

D. PIBONEM à DOMA, JC.

Illuſtrib. Friſ. Ordd. à Secretis.

SIc etiam tangunt feralia Numina Muſas,
Et patimur thalami vulnera quiſque ſui:
Pro ſolitâ Lauro foribus funeſta cupreſſus
Imminet, & lacrymæ mœſta per ora fluunt.
Pierideſque ſuam mutant in funere veſtem,
Et ſua non tantum Friſia buſta dolet.
Certatim glomerant Nymphæ, velut agmine facto,
Ad deplorandum fata viceſque tuas.
Materies ſumus indoctis doctiſque per urbem,
Et flendi officium ſacraque quiſquis agit.
Atque utinam! noſtri facies non iſta doloris,
Ut quoque jam laceret publica cauſa comas.
Tutius eſt oculos alienis paſcere damnis,
Et fontem proprii præteriiſſe mali.
Multaque vicinis narrare pericula rebus,
Cum tua tranquillis cymbula ludit aquis.
At nunc, heu! noſtris patet iſte doloribus ictus,
Neuter & offenſi tutus ab igne Jovis.
Doma Dodonæas tacitus ſpatiatur ad aras,
Et ſecum queritur triſta damna miſer.
Nec, veluti quondam, Batavam cum conderet Albam,
In Patriæ cauſas ore diſertus agit.
Neuhuſii thalamo divina *Boethia* rapta eſt:
Cujus non uno fulmine tacta domus.
Sic pariter Vates; pariter lugemus amores,
Infanduſque ſubit mutua corda dolor.

Hoc

Hoc uno tantum felices: Aethere in alto
Quod sua possideat pignora quisque tori.
Eia nunc cum CHRISTO genialia gaudia vitæ
Carpimus, & partim cælica turba sumus.

cIↃ. IↃc. LII.

Amplissimo, Clarissimoque Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

MED. D.

Ærarii Præf. Cos. Senat. Scholarchæ Alkmar.
Kal. Jan. cIↃ IↃc. L.

SIc Tibi *Mecœnas*, rursum Respublica, Fasces,
Credit, & Auriaci nomine Consul ades.
Utilis imperiis, & rebus natus agendis,
Ingenio meritis conveniente Togæ.
Bellua multorum capitum sic arte regenda est,
Quæ didicit tantum fræna modesta pati.
Judicis hîc ratio & prudentia laxat habenas;
Hic Legum adstringit vincula dura magis.
Ure, seca, & pœnas multorum crimina poscunt:
Sæpè etiam Judex munia Patris obit.
Heu! quam difficile est normam servare Catonis,
Et non obliqua flectere vela manu.
Sed jus fasque pium dubia non pendere lance,
Legitimumque reo sistere cuique forum.
Hîc multum Themidos fallit prætextus inanis;
Hîc quæsita vetus sportula crimen habet.
Incumbunt multi gazis oriente petitis,
Negligiturque animi cultus, honorque Dei.
Sejanos veteres quoque noster parturit orbis:
Unde minor feritur gloria, Druse, tibi.
Hæc nova jam facies Batavis, regnare per artes,
Et priscam fuco dissimulare Fidem.
Oderit hæc hominum portenta & monstra juventus,
Matureque suum discat amare Deum.
Hic fasces, *Tu Mecœnas*, & lumina præfers,
Virtutem ut solio splendidiore loces.

Nos

Digitized by Google

Nos eadem ingredimur macti vestigia laudum,
Nec Musis nostris ista negata via est.
Nulla mora est. Tu nunc, Titan, felicibus Astris
Annum aperi, & magnum confice lætus iter.
Ut pariter Phœbo meritum instauremus honorem,
Nosque Deo dignos posthuma fama ferat.

HONORI NUPTIARUM

Amplissimi, & Doctissimi Viri,

D. ANDREÆ SCHAGEN. STEYN, JC.

Advoc. & Scab. Alcm.

Et Lectissimæ Solertissimæque Virginis,

MARIÆ à MOLENVLIET.

Celebr. CIↃ. IↃC. LI. VI. *Kal. Sept.*

AUrea dum nostri nunc Sæcula vivimus ævi;
Dum PACIS fruimur tranquillo sole Batavi,
Bellaque Arausiadum felicia damnat Iberus, (rit.
SCHAGENIUS Pulchram Thalamis Amaryllida quæ-
Nec natus vult esse Sibi: tantumque futuri
Temporis angustos reditus impendere Musis.
Cum charâ consorte Tori, cum Conjuge blanda
Partiri vult dona Deûm. Auspiciumque salutis
A Face Virginea, Venerisque ordirier astris.
Consultò facimus: Si quando est rara voluptas,
Illam non unus rabido sub dente gulaque
Conclusam teneas. Poscit boletus amicum,
Fercula nec quis solus amat. Cum surgit orexis,
Da convivam aliquem jucundi in parte laboris.
Non sapit iste cibus, quamvis mihi tubera mittas,
Si sale, si socia caream lepidoque sodali.
Viderat illa THEMIS, vacuum indignata cubile,
Cum Nympham egregia Virtute & moribus æquam,
De meliore luto finxit cui pectora Titan,
Adjunxit casto lateri: Quæ carmine docto,
Alterniisque tuam recreet concentibus aurem.
Tunc dixit Dea: SCHAGENI, post ritè subactam
Pallada

Digitized by Google

Pallada, post tot sudores, MOLEVLIETIA Conjux
A Fatis promissa Tibi est. Ut Jurgia Baldi
Temperet, ac lentos curarum sopiat ignes,
Et rarò sine Lite Forum. MOLEVLIETIA Mater
Ingentes promittit Avos, nidumque loquacem,
Cum locuplete penu. Geminos sic jungit Amantes
Ipsa Themis, tædasque probat. Revirescite, Lauri,
Præ foribus, postesque novis ornate coronis,
Pierides. Nubit Virgo, Zonamque relinquit.

Ad Nobilissimum Virum,

D. CORNELIUM à SONNEVELT, JC.

Cum à Musis Alcmarianis vicinus salutaretur,
cIↃ. IↃC. LIII. *Kal. Maji.*

SIc tandem ingrederis magni penetrale FORESTI,
Illustrem & titulis vis habitare Larem.
Vicinosque Deos, patulâ sub Apollinis umbrâ,
Visere, & ex toto demeruisse Tibi.
Gratulor augustos, SONVELDI Clare, Penates,
Et desideriis Tecta petita tuis.
Gratulor Aonidum sacris, quod limine in ipso
Hic *iterum* antiquâ sede FORESTus agat.
Mutatoque sui jam tantùm nomine, priscâ
Virtute inveniat nostra Minerva Virum.
Sic nil perdidimus. Nobis FAX altera nata est,
Et SOL auspicio candidiore redit.

IN HONOREM
Præstantissimi & Doctissimi Viri-Juvenis,
D. PETRI à SANEN,
Cum in Illustri Academiâ Geldro-Velavica,
J. U. D. *salutaretur* cIↃ. IↃC. LIV.

PIlea sic redeunt sacris augusta Camœnis,
Pristinaque in solito Laurus honore viret.

Digitized by Google

Jam, procul à terris, Armis trans Æquora vectis,
Ejurante suas Marte Ereboque faces.
Quando Pieriæ nunc stringunt arma Sorores,
Inque suo sudat pulvere sacra THEMIS.
Et Mars in lingua est. Et habet sua castra Minerva;
Jamque aliâ prorsus Bella movenda manu.
Nec trux Alecto Furiis, aut anguibus Hydra
Natum de sæva Colchide virus alit.
Incude hîc aliâ formamus, Apolline, Vates;
Hîc pulchrè causas Tribonianus agit.
Hic pluteos cernis voce ac subsellia frangi,
Eloquiisque audis Rostra diserta suis.
Pro streperis Belli lituis, proque ære corusco,
Sardonychem doctas irradiare manus.
Aonioque Patres celsa ad Capitolia ferri
Sublimes in Equis, conspicuosque Togis.
Desiit Ira suos intendere Civibus enses;
Desiit in Batavis & ferus esse furor.
Aurea PAX pulchrâ conglutinat omnia lege:
Quæ nostras iterum spes jubet esse ratas.
Sic meliùs multò PHŒBI pugnatur arenâ,
Tristis ubi fuso sanguine nemo litat.
Nemo telorum jactu demittitur Orco,
Altera vel circum Pergama raptus obit.
Hæc coram ingenuo ac forti nunc SANE, Sicambro
Bella geris, Spoliis usque superbe tuis.
Marcellique instar, prædâ jam mactus opimâ,
Cæsareâ primus Victor in Arce sedes.
Unde serenato Cœli Te sidere multus
Servat Honos Patriæ, Consilioque Patrum.
Haud mora. Sume Togam, & Dictatorem indue felix.
Fortuna Auspiciis militat ipsa tuis.

Digitized by Google

In falsò denunciatum mihi OBITUM,
Clarissimi Viri,
I. WERNERI ENSCHEDE,
Ecclesiastæ Alcmariani desideratissimi.

Pensa Dei, magno sibi nunc Atlante peremptò,
Isacidum tristes personat ore domos.
Flebilibusque modum numeris apponere nescit,
Impositumque sibi non bene ferre jugum.
Ingemit, ac flexo tendens cum poplite palmas,
Gloria quò nostri prisca recessit! *ait:*
Quò nunc se veterum abstrusit facundia Patrum?
Quò fugit, sociâ cum Pietate, Fides?
Religioque, Pudor, Divûm reverentia, Mores
Ingenui, & Virtus quóve tulere pedem?
Decrat adhuc rerum summæ, raptandus ad umbras
ENSCHEDE, primævæ Simplicitatis Honos.
Flos Virtusque Virûm! Cujus vis enthea labris,
Eloquiisque inerat vox quoque digna Deo.
Rara Pudicitiæ veteris vestigia restant;
Rara avis in terris, ENSCHEDE qualis erat.
Dixerat; & Lacrymis humectans grandibus ora
Almeriæ Populos Fata notare jubet.

cIↃ. IↃc. LII. *Kal. Sept.*

Amplissimo Viro,
D. THEODORO à VRYBURCH,
MED. D.
Consuli & Scholarchæ

ERgò iterum Brumæ longas post terga tenebras
Linquimus, & puro fidere Phœbus adest.
Deque suis rursum laribus nidóque loquaci
Dulce sonat Veris nuncia carmen: Avę.
Quale tuus quondam Carmen FORBETUS amabat,
Cum solita ad turres ista rediret avis.

Digitized by Google

Illa eadem cœlo nobis gratissima venit,
Nunciat hybernos dum procul ire dies.
Pieridasque meas stimulis majoribus urgens
Palladis auspicio fortiùs ire jubet.
Quod toties factum vestro sub nomine, CONSUL:
Anchora Qui studiis una, decusque meis.
Unum addo Vates votum, per sacra Thaliæ;
Neuhusii melius fas habitare Deas.
Quod facilè est: Tecti si tantùm pervius usus,
Et vicina meo Bibliotheca Toro.
Cætera sunt Lauris nostris & Apolline digna,
Et mea non uno marmore fulta Domus.

cIↃ. IↃC. LIII.

In Auspicatissimas Nuptias,
Generosi & Fortissimi Juvenis,
D. JACOBI ab OUDESTEIN,
PRO-CENTURIONIS,
SPONSI.

Et eximiæ lectissimæque Virginis,
CLARÆ BASS,
SPONSÆ.

Celebratas Alcmariæ cIↃ. IↃC. LII.
XII. *Kal. Augusti.*

QUis Furor iste novus, lituos animare tubasque,
Et medio, in Bellum, tempore Pacis agi?
Ut tam crudeles flagret Neptunus in iras?
Ut Batavûm Classes Aequora tota citent?
ALBIONUMque metus Procerum se misceat Aulis,
Pergama quo possint ipsa timere sibi?
Detestata piis nunc matribus arma, QUIRITES,
Sumere, Vos Pietas religiosa vetat.
Tessera nos eadem sancti devinxit amoris,
Una Salus geminos jungit, & una Fides.

Vulne-

Digitized by Google

Vulneraque in charos quæ mox properanda Britannos,
Civibus illa forent vulnera, Belga, tuis.
Hæc melior BELLONA, Viros quæ parturit Orbi;
Quæ Phœbo Lauros donat, & arma Togæ;
Quæ Generi Hæredem, ſeriſque Nepotibus annos
Prorogat, & PRISCO STEMMATE cudit Avos.
Qualibus in Morinis fas eſt pugnare fariſſis:
Cum nulli hæc noceat miſſa fariſſa manu.
His, OUDESTENI, Te nunc præſtabis Achillem
Auſpiciis: pulchro & prælia Marte feres.
Speratamque aciem, & ſacram luſtrabis arenam:
Olim quam tanti fecerat ipſe DEUS.
Nullus ubi circum Thalami tentoria miles;
Nec ſua turbatus Nereus arma quatit.
Sed, CLARA attollit Vexillum, & Caſtra tuetur:
Et partes pulchrè Martis Amantis aget.
I nunc, & felix animam committe DUELLO:
Argumenta Viri Nox dabit una Tibi.

In Conſulatum Tertium

CL. VIRI,

D. THEODORI à VRYBURCH,

Med. Doct.

cIↃ. IↃC. LIII.

ITe leves animæ, turpis quas ambitus urit,
Et prece quæſitus per mala raptat honor.
Ingenui non eſt, Solium prenſare per artes,
Perque nefas ſacram ſollicitare Togam.
Hoc eſt Imperium in Populos Civemque tenere,
Quando Te Populus Civis & omnis amat;
Atque ultro ad Faſces & Dictatoris Honorem
Publica Majeſtas eligit ipſa ſibi.
Ut nunc in Geminis oſtendit FRATRIBUS Æther,
Quos Patriæ ad Clavum Curia ſponte vocat.
Quod rarum exemplum eſt ſæcli pejoris & ævi,

Digitized by Google

Quo pudor exſtinctus, fugit & alma Fides.
Præluſtres Animæ! priſcis cognata FORESTIS
Nomina, qui facti de meliore luto,
Vos primi in ſacris ſemper Circenſibus eſte,
Et Titulo meritos ornet Equeſtris Honor.

Reverendo Viro,

D. JOANNI KNYFFIO,

Eccleſiaſtæ Alcmariano & Scholarchæ.

VIderat intrepidos animos, fera corda Gigantum,
Plenaque peccatis pectora noſtra DEUS;
Inſolitiſque hominem, veluti communis Erinnys,
Criminibus nocuas conſcelerare manus.
Cur meritò, offenſis juſtis, accenſus ad iram
Omnipotens, in nos cælitùs arma parat.
Et, totis nobis caſtris contrarius urgens,
Haud uno in pœnas fulmine & igne furit.
Hinc ſtagnante ſuo paſſim Mavorte cruore,
Exitium unde ſibi Belgica tota timet.
Inde novas peſtes promente incudibus Ætnâ,
In furias ipſo non Acheronte ſatis.
Parte aliâ trucis Oceani ſurgentibus undis,
Quæ feriunt vaſto Carbaſa noſtra mari.
Non ſecus ac Superis ſit viſum exſcindere Belgas,
Olim tam forti Nomina parta manu.
Et Libertatem, titulis felicibus auctam,
Totam de Batavo tollere velle Foro.
Quæ mala ne ſerpant progreſſu, ac latius errent,
Oramus Vates ſupplice voce DEUM.
Ut cum SOLE novo, rabies ſubſidat Averni,
Exſtinguatque ſuas Numinis ira faces.
Et, pro Funeribus totidem ac formidine rerum,
Exoriare, tuo lætior orbe, dies!
Abſterſis tandem ut lacrymis, poſitoque dolore,
Sic iterum ſolito more Triumphus eat.
Tuque DEI referens laudem & præconia, KNYFFI,
Grateris Batavis aurea ſæcla meis.

Pridie Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LIII.

CL. VI-

Digitized by Google

CL. VIRO,

D. HENRICO BRUNONI,

Pro-Rect. Hornano.

TUneſtos nobis Hornano à littore manes
Mittis, & officii vis meminiſſe mei.
Sic pulchrè, ſic ritè facis: Qui Funera chartis
Illinis, & Batavos diſcere Fata jubes.
Non aliena meis ſunt hæc quoque ſacra Camœnis,
Cui toties cinis eſt, & Chelys illa domi.
Exequiiſque piis, ingenti & honore ſepulchri
Proſequor inſignes Palladis arte Viros.
Quos inter primus Genitor tuus. Inde caterva
Mox alia, & noſtræ plurimus urbis honos.
Sic, Clario, Nos, teſte, pares. Paribuſque litamus
Auſpiciis Vates, turbaque caſta ſumus.
Hoc Xenii mittis Tu munere funera nobis,
Quod Tragici exemplum, nobile Vatis opus.
Materiâ informi, verſuſque à matre rubentes
Nos damus, Almerius qualia Phœbus amat.
Hoc ſacra Vobis ſint hæc donaria Strenâ,
Annuaque in votum verba preceſque cape.
Qualem in tabulis hîc Mecœnatibus Annum
Apprecor, eveniat talis & iſte Tibi!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LIII.

Amplissimo Viro,

D. PIBONI DOMA, JC.

Ad Comitia Belgic. Ordd. nuper

LEGATO,

Cum de Rectoratu Leovardiano mecum amicè diſſereret.

FRuſtra Tu me, DOMA, vocas ad Friſidos oras,
Conatus fruſtra eſt omnis, amorque tuus.

In Batavis nobis benè jam fundata carina eſt,
Reſque meas iſtic anchora firma tenet.
Invenies alios, quibus hæc eſt debita Sparta,
Per tot luſtra vocat quoſque petitus Honor.
Non ego præreptum veniam ſua Sceptra merenti,
Qui nunquam in partes ambitione feror.
Nec me, ſi vellem, ſinat hinc migrare Thalia,
Currentique viam nemo manumque daret.
Et licet invitus Patriæ prohiberer arena,
Sic tamen adverſùm cuncta Elementa forent.
Sideribus quoniam toti conſuevimus iſtis,
Et nos hîc pleno nectare Muſa rigat.
Aonidaſque meas ubi nunc bis ſeptimus Annus
Reſpicit, & civis per totidem Aſtra vocor.
Quo quoque ſub cœlo fœcundi Pignora Lecti,
Jamque meæ coram CONJUGIS oſſa lego.
Et forſan nobis, tandem vergentibus annis,
Promittunt alias Fata Venuſque faces.
Deſine velle meos transferre huc, DOMA, Penates:
Quò nec me Batavus, nec ſinit ire DEUS.

Kal. Jul. cIↃ. IↃC. LIII

Doctiſſimo & Præſtantiſſimo Juveni,

LAURENTIO KEYSER,

ALCMARIANO BATAVO,

CUM

Juris Utriuſque Doctor Salutaretur,

A

D. DANIELE COLONIO, JC.

& Profeſſore Ordinario.

Ann. cIↃ. IↃC. LIV. XXVI. *Octob.*

SIc iterum nobis, poſt ferrea tempora Belli,
Aurea de cœlo nata Minerva redit.
Et LAURI fœcunda ſeges, ſub Pallade noſtrâ,

Digitized by Google

In medio Batavûm gliſcit ubique foro.
octorum & tam turba frequens, & meſſis opima,
Ilias ut ſæclo non ſatis una fiet.
t, certò credam, naſci compendia rerum,
Et brevior Muſis inde reperta via.
anc in Te nuper, CÆSAR, radiare Coronam
Vidimus, Ingenio digna trophæa tuo.
ui noſtro patiens te fingi pollice, pulchrè
Nominis ad famam præſcia ſigna dabas.
lus ſatis eſt Legum Batavis, ſed Legibus æquam
In Batavis vitam ducere, Roſtra volunt.
rande animi & pretium eſt, Virtutem extendere factis,
Et ſervare ſuam ſic ſine labe Togam.
Exemploque ſuis præferre Nepotibus arma,
Quæ tibi tranquillum dent ſine labe Forum.
Nec tibi *perluces*, dicatur, *Cretice*; nec te,
Nec mores animi vita probata probat.
CÆSAREAS ſemper Leges & Jura tueri
Convenit. à rectis moribus orta Themis.
Singula quæ noſtros jubeam retinere Quirites,
Hæc, ſpero, exemplis ſingula, CÆSAR, ages.
Pergite ſic, *Mafti Juvenes*; ſpes inclyta noſtri
Temporis, ac ſeræ *Poſteritatis honos*.
Sub Quorum Auſpiciis & Ductu ALCMARIA major
Audit, & Invidiam noſtraque Pallas habet.

S. P.

Reverendo & Doctiſſimo Viro,

D. ANDREÆ WINCKELIO,

Nunc V. D. M. in Eccleſ. Nordenſi.

SCire tuâ refert, pars ô fidiſſima noſtri,
WINCKELI, valeam quod benè, quodque mei:
Sic tibi conveniat benè ſi cum Pallade ſacrâ,
Gratia, pro meritis talibus, eſto Deo.
Nos agimus veſtri memores in Apollinis Æde,
Inque meo fixum pectore Nomen habes.

Friſia

Frisia sed Fratri nuper nova vulnera fecit,
Cujus nunc turbat mors inopina lares.
MARGARIS ad manes concessit & ossa Parentum,
Subjectam & pedibus morte resignat humum.
Cernit ubi charam cognatâ in valle Sororem,
Angelicos inter læta recepta choros.
Sic mecum primos terris mandavit amores,
Et gemitum vidui turturis instar agit.
Pangite, Pierides, nobis lacrymabile carmen:
Bis videt exstinctas janua nostra faces.
Bis spolium Fatis vivi sumus, inque dolores
Sic pariter Fratres nos, comitesque sumus.
Hoc inde exemplis moniti, ut meliora sequamur,
Observetque suos præfica nostra dies.
VIVERE nam nostrum nihil est, quàm tramite certo
Naturæque modo discere ritè, MORI.

Eo tempore Idib. Febr.
CIↃ. IↃC. LVI.

Doctissimo Viro,

D. NICOLAO JUNGIO. V.D.M.

Affini suo. tertiâ Prole Patri.

Sub excessum Fratris.

INgemit ad tristes dum Frater Conjugis urnas,
Tu Thalami, Affinis, gaudia lætus agis.
Et pro funereis epulis, atraque Cupresso,
Tu, Pater, Herculeâ tempora fronde tegis.
Dispare sic Fato miseris mortalibus ævum
Ducitur, & mutat fors malefida fidem.
Nullaque tam præbet faciem Fortuna serenam,
Cui non mille notas imprimat una dies.
Hunc oriens spectat natum felicibus astris,
In solium & magni surgere sceptra Jovis.
Illum Tarpejo modò fulmen dejicit unum,
Inque suo rursum pulvere mœstus agit.
Nil certum sub sole vides. Regumque Ducumque
Nomina nec Fati libera sorte sui.

Nasci-

Digitized by Google

Naſcimur, & morimur, ſic mundi lege receptum.
Felix! ſi vivas, ut moriâre pius.
Hoc unum, quo Chriſtiadæ nos tollere in aſtra
Poſſumus, & noſtri non meminiſſe mali.

cIↃ. IↃc. LIII. *Idib. Mart.*

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT, à NIEUBURCH,

Illuſtr. & Præpp. Holl. & Weſt-Fr.

Ordinibus à Conſiliis.

Senatori & Scholarchæ Alcmar.

QUando erit, ut noſtris Muſis, NEOBURGE, reverſas,
Et precer, hîc coram, proſpera multa Tibi?
Quæ nunc, diviſi ſpatiis, per rura, per undas,
Ignotis toties ſcribimus uſque viis?
Lenta mora eſt, SOLEM hunc noſtrâ quæ avertit ab urbe,
Et Phœbo ſpargit nubila, lenta mora eſt.
Menſque reformidat, rebus quoque lentiùs actis,
Ne res tam *lentâ corruat iſta morâ*.
Triptolemi poſſes, utinam! conſcendere currus,
Cumque tuis totidem jungere Martis equos.
Ut, Te venturo, Vates feliciùs Aſtrum
Exortum hinc Muſis viderit eſſe ſuis.
Ne, forſan, veteris veniant faſtidia Daphnes,
Aut placeat Virtus ſic minus ipſa ſibi.
JANE, tuum ſupplex precibus nunc Numen adoro,
Ut bene ſic vortat Vatibus iſte dies.
Et, cum Sideribus cœli ſolennibus, unà
Pulchriùs attollat PALLAS in aſtra caput.
DICTATORque meus tandem NEOBURGIUS adſit,
Qui levet Auſpiciis otia noſtra ſuis.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LVII.

Ampliſ-

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

MED. D.

Consuli & Scholarchæ Alcm. &c.

SIc, Fato exemptis Nobis, & limine mortis,
Auspicio Phœbus candidiore redit.
Jamque dies, alterque dies succedet. & orbi
Ipsa suo tacitè tarda senecta venit.
Felix! qui toties Annos felicibus actis
Terminat, & puras tollit in astra manus.
Conscius ipse sibi de vitâ haud turpiter actâ,
Et non neglectâ Lege & Amore Dei.
Seu Caveæ in medio sublimes tractet honores,
Ut Populo leges scribat, & arma foro;
Seu, commissâ sibi privata negotia curans,
In tacito secum vivere solus amet.
Felices illi! quorum sic vita peracta est,
Nullius ut vultum tinxerit inde pudor.
Sed, per Virtutum gradiens vestigia, turbæ
Sacrilegæ nunquam turpe sequutus iter.
Omnibus his major, tantoque beatior, ille est,
Qui, cum Sole novo fortiùs ire volet.
Atque operi cœpto perfectum inducere honorem,
Omnibus ut maculis mens animusque vacet.
Quod fieri ut possit, *Mecœnas*, Numine dextro,
Pro solito nobis faxit amore Deus!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LVII.

Reverso

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. JOANNI KNYFFIO;

Eccl. Alcm. Past. Pr.

SCHOLARCHÆ.

VIta hominis tenuem facilè evanescit in auram,
Ocyus ut forti missa sagitta manu.
Nec quicquam sub solè manet, tibicine firmo,
Quod non falce suâ Vespera sera metat.
Exemplo satis usque docet quæ proximus Annus,
Qui tot Terrigenûm busta necesque dedit.
Et nostrûm pleni jam circum tempora cani,
Quæque suos vultus ruga senilis arat.
Unica Fatorum spes est, si, lampade vitæ
Exstinctâ, hinc medius tollar in astra Poli.
Semper ubi vivam curâ securus ab omni,
Et mundi his nebulis, invidiæque minis.
Da rectos nobis animos, Deus Ætheris alti,
Ut cum Sole novo, spes ea certa siet.
Nec malè defunctis nobis, sub Apolline, penso,
Detur inoffenso sic pede posse Mori.
Quandocunque placet. Sive hic sit terminus Arvis,
Seu plures hyemes jusserit ire Deus.
Semper ad excubias, & Classica sacra, parati,
Et non difficiles carnis inire viam.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LVII.

MAR-

Digitized by Google

MARTINUS BRUNO
REDIVIVUS.

Ad Clarissim. Parentem,

D. JOHANNEM BRUNONEM

Eccl. Egmond. Post. Vigilantiss.

Sic pridem pietas BRUNONUM prisca revertit
In terram. Et cineres ultra, sæclique senectam
Una Domus toties videt incrementa suorum.
Semper prole novâ felix, si deficit una:
Unde iterum novus alterius de funere Phœnix,
Et virtus se tollat Avûm. Cunabula læta
Quod tua nunc coram testantur, JANE. Parentem
Fleverunt omnes nuper super æthera Nymphæ,
Et communis erat luctus gemitusque Batavûm,
Hac in morte viri. Rursum, felicibus Astris
Ecce, Parens nunc alter adest. Redivivus ad auras
MARTINUS redit, & rursum se gaudia promunt
Aethera per purum. Salve, Pater inclyte, Salve
Tali prole, Pater! Patrem qui in sceptra reponis,
Alternis iterum imperiis, Fatoque Sionis.
Aurea lux! Mater quâ MARIA talia carpit
Poma sibi, donatque viro. Marcescere nunquam
Digna Arbor: seris factura Nepotibus umbram,
Quam non tristis hyems, rapido non Sirius æstu
Exuret; sed quæ fœcundâ in margine ripæ
Protrudet plures isto de stipite fœtus.
Tu, MARTINE, tuum numera meliore lapillo
Natalem, & felix hanc vitæ ordire Palæstram,
Exemplo magnorum Atavûm, clarique Parentis.
Isacidûmque sacro thyrso percussus & œstro,
Hinc in divinas laudes adolesce Tonantis:
Ut tibi commissum possis perferre laborem,
Ac firmis supereſſe oneri cervicibus Atlas.

Ex tempore post paroxysmum febrilem
CIↃ. IↃC. LII. III. Non. Octob.

Digitized by Google

Ad Illustrem & Generosum Virum,

ANTONIUM STUDLER, Equitem,

Teparchiam Bergensem, &c.

ustris Bergarum Heros, Vir digne Batavûm
Nomine, & antiquo stemmate digne tuo.
)c pro te supplex, redeunte ad limina Phœbo,
Jam Superos omnes oro, Deumque precor:
tdleri auspiciis ut Res stet Publica felix,
Atque hinc in longum floreat ista domus.
quâ spe nobis nunc promittente Nepotes
Cernimus *Iulos Ascaniosque* tuos.
vite, *praclustres Anima*, melioribus astris,
Ac toties soles hinc reparate novos.

cIↃ. IↃC. LXIV.

Ad Ingenuum & magnæ Spei Adolescentem,

OANNEM à NYENBURCH,

Primum lapidem ponentem

PORTÆ SCHERMERANÆ:

Cujus Avus

CORNELIUS à NYENBURCH,

A. cIↃ. IↃ. LXVIII, Cum

GUILIELMO I. PR. AURIACO,

Defendendæ Rel. & Libertatis ergò,

In exilium abiit. Bonis suis omnibus, per sævitiam Ducis Albani, quando parere Tyranno nollet, Fisco addictis.

Qui ab Anno cIↃ. IↃ. LXXII. *ad* cIↃ. IↃ. I. XXVIII. *summis Reip. curis præfectus, Urbisque Alcmarianæ Senator, plurima in Patriam beneficia exhibuit, & tempore obsidionis, Auspicio* PR. AURIACI, SONOYO *Duce, ad aperiendas Cataractas, quo hosti fuga maturaretur, missus*

Digitized by Google

missum Legatum. Quod cum feliciter effectum, Hispanum velut Panico terrore correptus, urbem deserit. &c.

NUnc alia in Batavis Rerum se pandit imago,
Et meliore manu Sceptra tenere licet.
Quàm tunc, Albani Imperiis cum templa Laresque
Afflictum toties subdere visa caput.
Et nulli in tutâ pacem convalle tenere,
Fasque fuit Vero Thure litare Deo.
Nunc Patriæ invictas Belgæ prætendimus aras,
Mœniaque in cœlum tollere & astra licet.
Quaque Duces erant rabidi, sævæque secures,
Illic nunc rigidi se posuêre duces.
Almeriæ dudum Musæ quòd teste probârunt;
Pallade non unâ clara potensque domus.
Quæ super Hispani tumulis, super ossibus albis,
Marmore nunc ipso splendidiore locat:
Hæc si *Abavo*, NEOBURGE, tuo fas cernere coram,
Dic, age, nunc illi hæc gaudia quanta forent!
Teque sibi nasci, post tot jam sæcla Nepotem,
Qui sibi defensâ mœnia in Urbe struat?
Ille exul patriis, cum *Principe*, sedibus errat,
Fortunæ & patitur plurima damna suæ.
Maluit & duris, pro tempore, cedere Fatis,
Ac Spolium fieri, dire PHILIPPE, tibi;
Quam Libertatis, quàm Relligionis avitæ,
Non etiam pariter jure & amore frui.
Majorum exemplo, qui pro virtutibus ipsi,
Proque bonâ causâ stantque caduntque simul.
Et cupiant, dulces animas deponere Letho,
Ante, Fides, quàm te sit violare datum.
At tu pro fractis opibus, PUER, exilioque Tuorum,
Portarum illustri in Limine ponis opus.
Nomen & ipse tuum seris annalibus addis,
Unde etiam invidiam Barbarus hostis alat.
Nec vicisse volet circum sese oppida tanta,
Quæ, post se victum, pulchriùs arte nitent.
Grata Deo est Pietas, titulo quæ gaudet Honesti,
Et stat pro muris pulverulenta suis.

Nec

Digitized by Google

ec metuit medias perrumpere Marte phalanges,
Ut benè sit Patriæ, Civibus atque suis.
meria Auspiciis meritò se Nominis hujus
Devovet, ac Stygiis non ea merget aquis.
ique Abavus quondam, Auriaco cum Principe, fugit,
Illius effugiet nomen & umbra rogos.
eptæque domus gazæ, tot pondera rerum,
Ibunt in majus pondere pressa suo.
: totidem in natos, Patriæ benè gesta salutis,
Gloriaque æternos durat ad usque dies.
i nunc, NIBURGI, nunquam obliviscere tanta
Facta Patrum, atque *Abavi* pulchra Trophæa tui.
io *fine* non unquam Victoria nata fuisset,
Et victo nobis Hoste triumphus eat.
ijus ad imperium sese effudère paludes;
Quas ferus haud potuit ferre patique Tagus.
irtesii sic arma Ducis, Jovis ira repressit,
Et gens in Batavis Libera facta sumus.

cIↃ. IↃc. LXI. *Ibid. Octob.*

Nobilissimo Amplissimoque Viro,
D. THOMÆ ab EGMONT à NYENBURCH,
Scholarchæ Alcmariano.
Et, post emeritos multorum Annorum
Maximos & HOLL. & WEST-FRISIÆ
Honores, Cupientissimâ Plebe,
Domum revocato,

ET

IN CONSULEM ELECTO.

QUàm bene, NYBURGI, quod, post tot Lustra revertas
In Patriam, ac propriis sedibus Hospes agas.
Nec Te subducas Musis, Helicone relicto,
Aut nos destituas Consiliisque tuis.
Tutius ALCMARIÆ se Res & CURIA habebit,
Princeps

Digitized by Google

Princeps si nobis Ipse SENATOR adesi.
Nec tam præcipites metuendi fatibus Austri,
Et, forsan, dubiâ tristis in urbe furor.
Quando discordes animos, nova jurgia, vulgus,
Arcanique serit semina mille mali.
Ac capitum infelix tot nobis pullulat Hydra,
Lethiferusque omni Scorpius orbe latet.
Sospes ades, NEOBURGE, novo cum Sidere JANI,
Et Tecum PACIS fer bona multa domum.
Sospes ades CONSUL toties; non unius Anni;
Stetque patrocinio nostra THALIA tuo.
Omnis in Adventum PROCERUM chorus explicat ulnas;
Et porrecta Tibi brachia quisquis habet.
Inter quem Populi applausum, & Suffragia sacra,
NEUSIUS votum fertque referque suum.

Calendis Jan. CIↃ. IↃC. LXIV.

In Nuptias

Reverendi Clarissimi, Doctissimi Viri,

D. PETRI SCHACKII, Ecclesiastæ *Alcmariani*,

ET

Eminentissimæ Virginis

OBRECTHÆ STULING,

Celebratas Alcmariæ

CIↃ. IↃC. LXVII. III. *Cal. Martii.*

OMnia dum torpent glaciali frigore Brumæ,
Solum SCHACHIADEM frigora nulla premunt.
Qui, dictu mirum! Cordis penetralibus imis
Flammam igneſque inter pectus & ossa fovet.
Virginis id, credas? blandi fecêre, lepôres,
Vimque istam mollis Mater Amoris habet.
Vicisti, STULINGA, Virum: quem vincere *serva*
In Batavis *Urbes* non potuêre Virum.
LEIDA suis Armis, & doctæ Palladis Arte,

Imbel-

Digitized by Google

Imbelles primùm dat tibi victa manus.
ıccubuitque fuis mox & conatibus HAGA,
Nec satis hîc votis AMSTELA dives erat.
ı major, supraque istas ascendere vires,
Indomitasque Hyemes, Mascula Virgo, vales.
igora Quæ Zephyris mulces, & inertia corda
Blanditiis Animi docta movere potes.
e! STULINGA, tibi: quando in præcordia victo
Virtus SCHACKIADÆ, post nova bella, redit.
m Suadamque simul secum in sua castra movebit,
Nec poteris semper fortior esse Viro.
ccumbes tandem: & SCHAKIO Spolia ampla relinques,
Ignotæ mandas cùm tua terga fugæ.
nce Viros, Virgo, & gelidas perrumpe phalanges,
Inferior facta est; Numine, Virgo Viro.
ıtinam! longùm dederit fors vestra jocari;
Nobiscum & simili Pace *Britannus* ovet.
vite, PAR SACRUM, paribus Feliciter Astris,
Et dignum Superis cudite PROLE Genus.

IN NUPTIAS
Doctissimi Viri,
PETRI LANGGREIS,
&
LAVINIÆ SNELLII.

Regè agis in tuto portu, Doctissime LANGREIS,
Et scopulos longè post tua terga vides.
m magnam intendis mentem immortalibus ausis,
ıt populo pandis grande Salutis opus.
enii famâ, Juvenis, super æthera notus,
amque Senes inter dignus habere locum.
elix nimiùm, tua si se Suada gubernet,
ıt Soceri numeros impleat illa tui.
ırat ad dotes animi, & felicius ævum
lara Pudicitiæ dote MARITA tibi.

Digitized by Google

Cujus in amplexus curas, & tædia rerum,
Quandocunque libet, ponere ritè queas.
E multis igitur tibi sola LAVINIA lecta est
SNELLIA. Quæ Lateri sit comes apta tuo.
Et studiis fractas vires, animumque labantem
Plus medicâ recreet sæpius ipsa manu.
Alloquiisque suis, & dulci murmure fandi
Efficiat toties ora serena tibi.
Ut securus agas, quæ sacra negotia tractas,
Atque animo capias liberiore Deum.
Implevit spes ista fidem. Placuitque Tonanti,
Nuberet ut soli SNELLIA sola tibi.
Ac fas sit nobis hoc dicere, Apolline teste:
In Batavis nondum SNELLIUS omnis obit.
SNELLIADAS iterum veteres fabricabit Olympus,
Et tanti Virtus mox reditura Viri.
Cujus ab exequiis Pietas, Doctrina, Fidesque,
Et sua Posteritas sacra renata videt.
Vos, Æterni ignes, & non violabile Numen,
Isti de Cœlo ritè favete Toro.
Ut tot pulchra Virûm rursus cognomina terris
Reddita, dent Famæ pignora viva suæ.
RELLIGIoque Patrum, solidis fundata columnis,
His thalamis vires ceperit usque novas.
Et, qui nascentur tali de sanguine Nati,
Enarrent magni facta stupenda DEI!

cIↃ. IↃC. LVII. XII. *Kal. Nov.*

Ad

Consultissimum & Præstantissimum Virum,

D. DOMINICUM VOGELSANG,

Illustres Quæstiones ad T. T. Instit. & Digest. edentem.

DEerat ad sacros Mystas, Legumque peritos,
Magnorum in Frisiis una Corona Virûm.
Quorum humeris felix Respublica floreat olim,
Et casus reparet Curia læsa suos.

Nupe

per de medio ſublatis funere multis;
ſorte nimis crebras accumulante neces:
nunc exiguo Latium ſe fine coarctet,
ſagnaque ſit tanti facta ruina fori.
'e, clare Virûm, ſpes VOGELSANGE Tuorum
nclyta. Quo redeunt priſtina Jura ſimul.
poſt Cimmerias, noſtro ſub ſidere, noctes
ol major nobis naſcitur atque dies.
)rere Auſpiciis tandem felicibus, opto,
:t tecum plures ſic tibi junge manus.
Themidi poſſint ſolitas intexere Lauros,
ıc Cœlo veteres ritè referre Deos.
Pater Æneas, & Avunculus excitat Hector,
llaque tot Phœbi Cenſibus aucta domus.
æque tuis Chartis, Juvenis, nunc illinis audax,
ıæc tibi ſint ſummi ſemita prima gradus.
ge, Avibus lætis, & ſic te tolle ſub aſtra,
Ut nulli ingenio cedere, & arte velis.

cIↃ. IↃc. LVII.

Clariſſimo Viro,

THEOD. à VRYBURCH, Med. D.

Coſ. Alcm. &c.

Cum unico Fratri ſuo

). NICOLAO à VRYBURCH,

Mœſtus parentaret.

:c putridæ carnis vinclis exutus, in auras
Æthereas, plenus Numine, Frater abit.
, meliore loco terrarum hæc frivola mutans,
Angelicis gaudet proximus ire choris.
bductuſque oculis hominum & mortalibus actis,
Immortale tenet jam ſuper aſtra decus.
ullus ubi timor, aut mentem veſania turbat,
Nec nos in fraudes ambitio ulla rapit;
d totis ſuperat rivis fortuna bonorum,
Et cuncta Auſpicio candidiore fluunt.

Digitized by Google

Talis erat mortis facies optanda Batavis
Jam noſtris, alio quos ferit enſe Deus.
Quos Parcæ nimis immites, truculentaque Fata
Ad Styga dimittunt, & Phlegetonte domant.
Frater in amplexu hîc Fratris ſua lumina linquit,
Et potuit Fratri dicere Frater: Ave.
Semianimiſque ſuæ coram dare brachia collo
Conjugis, ac, tanto teſte, in amore mori.
Quæ nunc ALMERIÆ rara eſt clementia fati;
Vixque datum paucis cum ratione mori.
Nec fas, extremum Pyladi dare munus amanti;
Officii aut ſacram ritè probare fidem.
Id vetitum. novies Styx interfuſa coërcet.
Et cauſam Judex inde ſeverus habet.
Libera nec nobis jam ſunt commercia rerum.
Inque ſuos animo non licet eſſe pium.
Aut temerè eſt factum, pœnaque & vindice dignum
Alloquio civem ſi tueâre tuum.
Peſtis & ira Deûm ſanctum proſcripſit amorem,
Et pars, ſe fugere hîc, magna ſalutis erit.
Hoc tanto vobis melior fortuna parata eſt;
Qui tam dilecti clauditis ora viri:
Defunctumque piè decoratis honore ſepulchri,
Cum poterit nulli hic jam timor eſſe rogus.
Ergò ſupervacuum, curas glomerare ſub imo
Pectore, & infeſtas dilacerare comas.
Frater in Elyſiis lætus convallibus errat:
Hîc tua quem coram jam CATHARINA videt.
Amborum gemitu & lacrymis procul inde remotis;
Dum nos hîc Nemeſis, Scylla nec una manet.

CIↃ. IↃc. LVI. XX.

Nobiliſſimo VIRO,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIENBURCH, *Illuſt. ac Præpp. DD. Ordd. Weſt-Fr. Delegato.*

Conſuli & Senat. Alcm. &c.

*M*Agne VIR, in Batavis Summi Tutela Senatus,
Et noſtri toties fida Columna Laris.
ui nunc in Pelagi medio moliris habenas,
Commiſſamque Tibi dirigis arte ratem:
ſic paullùm ſubſiſte, precor. Natalia Phœbo
Dum canimus Vatum relligioſa cohors.
enuſſumque tuæ, *Mecœnas*, cura Salutis
Pro ſolito ſtimulat more & amore ſuo.
uippe nefas, ſine thure pio, ſine teſte, Poëtam,
Solennem mundo concelebrare diem.
t facere Auſpicium, tanto in diſcrimine rerum,
Numine non primùm conciliante fidem.
laud facilè eſt quando nunc Dictatoris honorem
Induere, ac latè ſceptra tenere manu.
uando in bella truces acuit bellona maniplos,
Inque ſuo gaudet pulvere liber Equus.
'arte aliâ Invidies, Stygiis accenſa venenis,
Jam Patriæ Patribus vix benè credit onus.
:t nuſquam rebus dubiis eſt portus & aura,
Ut tandem tutis cymba feratur aquis.
:um Palinure, tuis nunc artibus indiget uſus;
Et res auxilium conſiliumque vocat.
amque gravi moles rerum ſub pondere gliſcit:
Nec ſatis hîc Atlas ſufficit unus opem.
)ceanum patimur totum, cumulataque ſurgunt
Æquora. Jam numeris & mala noſtra carent.
:rgò tuam, *Deus alme*, manu nunc prendimus aram,
Pro populo & ſacras fundimus ore preces.
Jt benè fortunet Batavûm res proximus Annus,
Et pax ad noſtros læta revertat agros.
elligioque ſuum caput inter ſidera tollat;

Digitized by Google

Libertas, Manes nec patiâre tuos.
Et non in partes ſcindat Diſcordia civem,
Deque ſuo doleat plus Venus orba viro.
Paulatimque animos, quos nunc accendit in iras
Sævus utrinque furor, jungat utrinque Fides.
Et vis illa minax, gelidâ quæ ſurgit ab Arcto,
Jam properè à Divûm fulmine tacta, ruat.
Hæc auſim tua, *Mecœnas*, ad limina Vates
Mittere: Quem toto pectoris abdo ſinu.
Et cupiam, toties Phœbo ad ſua ſigna reverſo,
Hinc totidem Luſtris addere Luſtra decem.

Kal. Jan. cIↃ. IↃ. LIV.

Ampliſſimo VIRO,

D. THEODORO à VRYBURCH

Conſuli Alcmariano, &c.

INter gratantes primo Tibi mane Clientes,
Votaque tot Thalami ſacra, piaſque preces,
Relligio eſt, noſtras elingues eſſe Camœnas,
Et non auſpiciis cominus ire tuis.
Quem meritò numeras ſynceros inter Amicos,
Cuique animi credis ſcrinia tota tui.
Et Tripodum ſacra, ac docti penetralia Phœbi;
Hippocrateſque tuus quæ ſolet ipſe loqui.
Sportula non petitur, qualem petiiſtis avari
Romulidæ. Nobis mens niſi recta placet.
Et favor, & ſtudium de Mecœnate benigno,
Gratiaque ingenuis conciliata modis.
His Titulis contentus ago. Nihil ardor habendi
Plus Vatem ſanâ poſcere mente ſinit.
Judice quo non eſt major ſub ſole voluptas,
Quàm benè Theſæâ pectora juncta fide.
Unde procul veri ſpecies, & inanis imago:
Quale decus rerum vulgus amare ſolet.
Optima quin nobis pars vitæ teſſera, VIRTUS.
Et candore ſuo ſponte petitus honor.
Degeneres animos ac turpes odimus artes,

Digitized by Google

Et sibi quod vitium dissimulator amat.
Hoc mihi, *Mecœnas* Te longùm ut temperet Astrum,
Propitio nobis faxit ab axe DEUS!
Et stabili possit Pietas me jungere nexu,
Inque sacras Musas ingeniosus amor.
Tu benè consiliis moderando Pallada nostram,
Nos operi fidas mox properando manus.
Sic erit, ut nobis, tacite labentibus annis,
Aurea de cœlo tempora Phœbus agat.

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LIV.

IN HONOREM

Doctissimi & Præstantissimi Juvenis,

D. CORNELII SCHAGE HOOCHLANDT.

Cum à celeberrimo Viro,

D. JOHANNE ANTHONIDÆ van der LINDEN,

In Illustri Batavâ Academiâ, Medicinæ Doctor renunciaretur.

cIↃ. IↃc. LV. XVI. Kal. April.

ERgò etiam, HOOCHLANDI nostris dilecte Camœnis,
ALTIOR exsurgis TERRIS: Atque Æthere toto
Nunc supra es, propiorque Deo tua nomina misces
Dans vitæ documenta tuæ. Nec Spiritus iste
Entheus interius lateat, sublimis in altum
Aëra Te Ingenii pennâ, cum Numine, tollis,
In lucem prodis mediam, plaudente coronâ
Tot Patriæ Procerum. Vixdum lanugine primâ
Conspicuus Famæ titulis, animoque virili.
Cernitis hæc æquis oculis, strictisque lacertis,
Vos, ô discincti Nattæ, madidique Nepotes;
Neve aliena animos Virtus formidine palsat?

Digitized by Google

En qualis quantusque ruit, convallibus imis,
Ille Chori JUVENUM PRIMUS! Nulla invia tanto
Est via propositis. Macti sudorque laborque
Perrumpunt Acheronta simul. Nec sistere currum
In medio cursusque datur. Spes una relicta
Accendit flammis animos, ac nutrit amores.
HOOCHLANDI, salve Victor! Salve, inclyta Proles
Heroum, in Batavis! Nunc est Victoria pulchris
In manibus. Nunc in portu tua cymba sereno
Navigat, & puppi Musæ imposuere coronas.
Magne PATER, FRATERQUE, alacres in gaudia plausus
Addite, & ingentem accipite in Capitolia læti
ASCANIUM: Amborum lateri comitem ire pactum.

Amplissimo, Clarissimo, Doctissimoque
VIRO,
D. THEODORO VRYBURGIO,
Reip. Alcm. Consuli, Senatori, &c.
SCHOLARCHÆ.

NOn unâ Tibi, Mecœnas, spe servit Olympus;
Aut aliquâ tantum parte beatus agis.
Inter Apollineas Lauros, & frontis honorem,
Almeriæ toties Te manet Urbis honos.
Continuant Patriæ Vobis Suffragia Fasces,
Naviget ut tuto publica cymba salo.
Irradiatque tuos felix Fortuna Penates,
Dotibus innumeris aucta potensque nimis.
Adde, quod & soboles non uno ex ordine juxta
Cernitur, & Juno pulchra potensque domi est.
Cujus ab effigie ludunt circum atria nati,
Et spes in serâ posteritate manet.
Inque novam stirpem fundet se fama Nepotum,
Et Generum Socero Filia nupta dabit.
Materies felix votis, dignumque Poëtis

Exo-

Digitized by Google

Exodium! Thalamo ſparge, Hymenæe, facem:
Ut Patrum virtus; tanto & de Stemmate ſplendor
Exeat in plures intemeratus Avos.
Deſcendatque frequens illa ab radice propago,
Quæ toties Batavûm ſoſpitet aucta Decus.
Audiit hæc Janus. modò dextera tinniit auris,
Et Pollux nobis candida ſigna dedit.
Publica ſic etiam concordent gaudia Fatis,
Et benè Pieridum nobile ſurgat opus:
Quod ſemel à tantis ſudoribus exit in altum,
Et pretium noſtro munere majus habet.
Unanimes Batavûm Proceres Concordia jungat,
Inque ſuos coëat fœdere Belga magis.
Incuſtoditos ne quis malè faſcinet agnos,
Aut fallax fabricet Troïa damna Sinon.
Infidiiſque ſuis infeſtet dirus Ulyſſes,
Et Patriæ erodat viſcera Milvus Iber.
Cœpimus ut, Clauſo Jano, nunc Pacis in umbrâ
Securum à Bellis quiſque tenere larem:
Hoc pede felices Superi Capitolia firment,
Stetque ſatis tuto Belgica fixa gradu.
Ut pia Poſteritas, noſtro de ſanguine ſanguis,
Aurea Cumææ ſæcula Vatis agat.

Kalendis Jan. CIↃ. IↃC. LI. A

In Honorem Nuptiarum
Præſtantiſſimorum Conjugum
FRANCISCI OCKERI,
ET
ADRIANÆ DE VEEN,
Cum ad Antecœnia Amorum me invitaſſent.

QUid me, quid triſtes, alieno tempore, MUSAS,
In tua CONJUGII gaudia, SPONSE, vocas?
Et Vatem vis eſſe ſacrum, quem Numina, noſti,
De Cœlo telis bis tetigêre ſuis?

Digitized by Google

Tunc, memini, Idalio me afflatum à Numine, quando
Noſtra fuit ſpatiis libera rapta Venus.
Et flos ille mihi primæ virtuſque juventæ,
Nondum Cycnæâ colla regente comâ.
At nunc in lætos Elegos mea Muſa repugnat,
Nec Venerem atque jocos ingenioſus amo.
Permittens iſtas annis melioribus artes,
Quorum non læſa eſt de Jovis igne Domus.
Non bene quadrupedem campis immittit apertis,
Ægide qui tutum non bene pectus habet.
Nec bene proſtratus miles ſua caſtra ruetur,
Cujus res Circo haud ſufficit, atque foro.
Hunc humeris validum, & firmis decet eſſe lacertis,
Qui volet in tantos ire Poëta Toros.
Mæonioque altè ſubnixum remige pennæ,
Ut ſublime queat ſcribere Amoris opus.
Triſte ſupercilium, & rugas proſcribimus inde,
Accenſa eſt Veneris nunc ubi blanda Pharus.
Interea eſt, OCKERE, tibi quod Fauſta precemur,
Muta licet Pallas, mœſtaque MUSA mihi.
Nec facilè id nobis, ADRIANÆ in nomina ferri,
Auguſtæque tibi Virginis auſa loqui.
Alma THEMIS pridem SOCERI quæ planxit in Ædes,
Nunc, ô SPONSE, tuâ plaudat in Æde THEMIS!
Et, pro non facibus lætis, mœſtaque Cupreſſo,
Carminibus lætis perſonet iſta Domus!
ALMERIÆQUE pia rurſum de Stirpe NEPOTES
Hos habeant hilares, & ſine nube, dies.
Nec ſacrum Augurium quidquam, aut pia vota remittant,
Unde minus præſens ſit cumulatus Amor!

CIↃ. IↃC. LIX.

In

Digitized by Google

In Honorem Nuptiarum

Doctissimi & Præstantissimi VIRI,

D. JOHANNIS KNYFF, V.D.M.

ET

Lectissimæ Virginis,

CATHARINÆ SEEWENHUYSEN.

DEërat ad *KNYFFI* Musas, mutosque Penates
Una domi Conjux, fida ministra Tori.
Cum quâ fas illi blandos producere Soles
Et celebrare pii semper Amoris opus.
ALCMARIA hanc dubiæ menti servaverat Aram,
Obviaque hæc oculis Virginis astra tulit.
In Patrias possit formari ubi Filius artes,
Et juxtà sacros Mysta adolere focos.
Atque offerre *DEO* jam plus quam mascula Thura,
Primitias animi, pignora grata, sui.
Felix, ô *KNYFFI*, Felix! vernantibus annis,
Quem nunc de Cœlo non beat una Venus.
Quem tot circumstant, facto velut agmine, Dotes,
Ut meritò invideat Zoïlus ipse tibi.
Forma, Pudicities, Animi solertia, Candor
Unius in *SPONSÆ* visa coire Larem.
Quæque alii pro parte ferunt, Tu tota tulisti,
Ac Desiderii Terminus ille tui est.
Auspicioque novo, & lætis successibus *ÆDEM*
Nunc *SACRAM* ingrediens, Numina voce tonas.
Isacidûmque choris divinam lampada præfers,
Palpitet in tenebris ne magis alma *Sion*.
Et tantò major Pietas illuxerit orbi,
Luxurietque iterum Vinea sacra *DEI*.
Quæ Fortuna Viri firmas in pectore vires,
Et solidæ robur sedulitatis amat;
Nec molli subjecta colo, placitæque Puellæ

Digitized by Google

Imperio. In cœlum ſcandit at iſte labor.
Qui calcare jubet, juvenes quæ luſimus olim,
Ac præter Magnum nil niſi ſcire Deum.
Quò *CATHARINA* ſuos etiam ultrò intendit amores,
Officioque volet macta juvare Virum.
Ac pariter juncti ſacris Thalamoque parati
Unà Conjugii ferre patique Jugum.
Quare agite ô Vates, conceptis dicite verbis:
KNYFFIADÆ felix hic Hymenæus eat!
Ut; *GENITORE* ſuo non inferiora ſequutus,
Ædificet multâ Prole Toroque Domum.
Et geminas Illi quæ dat Provincia Lauros,
Laudibus æternùm ſerviat iſta *DEI*!

cIↃ. IↃc. LIX. x. Aug.

In Nuptias

Reverendi, Clariſſimi & Doctiſſimi VIRI,

D. ANDREÆ WINCKELI. apud inclytos

Nardenſes V. D. M.

Et Eximiæ, Lectiſſimæque Virginis,

LAMBERTÆ ROOCLAES.

DUm nos ad viduos ſuſpendimus arma Penates,
Et foribus non eſt ulla Corona meis;
Tu nunc Idalio, WINCKELI, accenderis æſtu,
Inque Virûm adſcribi caſtra, gregemque cupis.
Tantò NEUHUSII Fortunâ & Numine major,
Qui rurſum, amiſſâ Conjuge, mœſtus agit.
Macte Virûm! dum Fata ſinunt, conatibus illis
In Patrios Faſces jam tibi regna para.
Imperiumque Tori, quod ſors minus æqua negavit
Hactenus, hoc geminâ dote rependat Amor.
Ac toties fruſtra titulos hoc Marte petitos
Uſque novâ toties corrige Prole Pater:
Conjugii lex illa vetus, lex illa Cubilis
Innocui, & ſanctis Vincla probata viris.

Quo-

Digitized by Google

Quoque tui produnt se in pectore lenius ignes,
Hoc illo caleat mens in amore magis.
Id quod nunc ultrò tecum ROOCLASIA sperat,
Et lateri fidum consociare latus.
Dum mox in Batavos glacialis Bruma recurrit,
Et mundo infestus trux Capricornus erit.
Hinc tandem felix in Matrum nomen iturа,
Et, quanquam serò, fat citò nupta tamen.
WINCKELI, cui plena DEO nunc ducitur Uxor,
Et Fortuna suas ampla ministrat opes;
Postque graves fluctus, nocteſque erroribus actas,
Navigat in portu sic modò tuta Venus;
Vive diu, Auspiciis lætis, in Amoribus istis,
Et claram in sobolem floreat aucta Domus.
Unde leget quondam ingenuos sibi Belga Nepotes,
Et caput extollet pulchrius ipsa SION.

cIↃ. IↃC. LVIII. Kal. Jan.

IN NUPTIAS

Reverendi, Clarissimi, Doctissimique Viri,

D. BERNHARDI HOMOET,

Ecclesiæ Nyropianæ Florentissimæ
PASTORIS FIDELISSIMI.

Et eximiâ Pietate ac Virtute Virginis,

MARGARETHÆ van de VEN:

Celebratas Amstelodami cIↃ. IↃC. LX.
IX. *Kal. Jun.*

ERgò etiam, COGNATE, Tibi, felicibus astris,
Composita est res tota domi. Pulchreque Virorum
In tabulas nunc optatas, numerumque receptus,
Ad vitæ tranquilla redis. Tandemque Camœnis
Ingenuis, paullùm suspensâ Pallade nuper,
Redditus, ad solitas Musas & pensa revertis
Acrior. Hinc vivas rapiens in fomite flammas,
Ingenii fervore novo. Et quæ, simplice myrto,

Digitized by Google

Visanimi generosa fuit sopita, favillas
Inde novas rursum capit, ardescitque tuendo.
Ac resides dudum flammæ, desuetaque Musis
Officia, in majus, laxatis viribus, ardent,
Imperiis, Hymenæe, tuis. Hæc MARGARIS una,
Quis credat? Virtute suâ miracula nobis
Fecerat. Et fractas vires, animumque labantem
Leniit obsequiis jam mollibus. Ut novus intra
Sit visus rediisse viri præcordia sanguis.
Causa Boni tanti, sola est medicina reperta,
VENNIA, *Sponse*, Tibi. Cujus poppysmate blando,
Et dulci ambrosiâ, roseisque è melle labellis,
Æthereis succis, plus quàm pollentibus herbis,
Hoc sese tantum robur transfudit in artus.
VENNIA delicias votorum expleverat una,
Et felix Panacea fuit. Venæque priori
Auxiliatrices animoque admoverat artes:
VENNIA, pars animæ, Divûm hoc te mactat honore,
Vimque novam inspirat, vegeto eum corpore, menti
Interius. Musisque tuis, Suadæque potenti
Sic facilis, fontes illos reseravit amorum
Liberius. Quibus ipsa Tibi, sors debita cœlo
Indulsit plus, quàm reliquis mortalibus, uni.
AMSTELA quod mediis Pater admiratur in undis,
Applausuque suo seris Annalibus infert,
Invidiam contra, ac dentes Livoris iniqui.
Usque adeò, COGNATE, novo jam Conjugis astro
In Batavis felix; ut visa potentia Fati
Annuere ipsa Tibi, ac votis responderit Æther.
Sitque unum in terris, tantum Sponsæque Tibique
Optandum: ut rursum PAX & CONCORDIA, Divæ,
De cœlo reduces, diversi in partibus Orbis
Infestos sibi nunc Reges in mutua jungant
Fœdera, & auspiciis coëant melioribus Aulæ.
Vosque Animi virtute pares, & Amoribus iisdem
Accipiat sacras intra NYROPIA valles.

Trium-

Digitized by Google

Triumphus Danicus.

Auſpicio Illuſtrium D D. O R D D. BELGICORUM.

Sic iterùm, propiore *Deo*, Lux aurea nobis
Naſcitur, & cum Sole *Novo*, victricibus armis
atè per Batavûm terras Fortuna triumphat.
t Mars, ceù quondam, noſter nunc viribus exit
n majus. Spatiumque fui vult eſſe furoris
Extremos Boreæ fines, Scythiæque pruinas,
t Belgis Te, *Suece*, trucem. Ut *Pax* læta Potentes
nter ſe jungat Populos. Ac, Numine coram,
omponat rurſum inſtabiles *Concordia* mentes
xe ſub Arctoo. Et facilis Clementia Regum
opiat Ætnæo natas de fomite flammas.
Ne ſemper Bellum, nec fuſo ſanguine, Bilis
Aſpera, cognatas virus diffundat in Aulas.
Nec ſit Homo proprii Generis deſtructor. Et ipſe
n ſeſe armatas dextras, & vulnera ferro
Dira paret. Tantiſque malum ſe laxet habenis,
Et nutet, Natura, labor tuus. Ipſaque dudum
Mole ſuâ nimium metuens ſibi machina mundi,
Impulſæ ſubeat præceps immane ruinæ.
Magne *Deus*, *Patriæ Patrum* Tu cœpta ſecunda,
Auſpiciis & Dexter ades. Gothicumque Tyrannum
Oceanum glacialem ultra, gelidumque Bootem,
Lappionumque cavas longè trans pelle tenebras,
Extra anni Soliſque vias, & Sidera Cœli.
Victus ubi rabidas fruſtra deſpumet in iras,
Ultoremque ſibi cæſis ex oſſibus optet,
Qui Batavis olim pulchrè ſua damna rependat.
In primis, *Pater Alme*, foris dum cuncta ſerenas
Temperie meliore poli, & ſucceſſibus æquis,
Fac etiam tranquilla domi ſint Otia nobis,
Halcyonumque dies. Ut, quod, labentibus Annis,
Sit, forſan, reliquum vitæ brevis, omne Saluti
Id noſtræ, & Superûm ſemper tribuamus Honori.
Majeſtaſque *Dei*, nullo quæ fine tenetur,

Inque

Digitized by Google

Inque dies magis augusta excellensque relucet,
Inter *Christiadas* studio majore colatur!

cIↃ. IↃC. LX.

IN

Mœstissimum Obitum,

Doctissimi & Piissimi Viri,

SIMONIS CNOLLII,

IN

Illustri Gymnasio Alcmariano

Juventutis Moderatoris Vigilantissimi.

EHEU! sic nostris oritur lux atra Camœnis,
Et nimiùm tristis PALLADA luctus habet.
In vitæ quod flore suæ, Rectique tenore,
Desierit Musis CNOLLIUS ire comes.
Et tantas Animi dotes melioris, & Artes
Secum quod tacitæ sub Stygis ima ferat.
Fruge Cleantheâ solitus qui fingere Pubem,
Ac tractare suum voce disertus opus.
Artificemque manu vultum, ceù pollice, ducens,
Ingenii mores addere cuîque suos.
Exemplar cunctis, quibus est formare Thaliam
Legibus, & purâ Relligione, datum.
Ad quam, sed pauci tantùm, sunt Lampada nati.
Et rara est, possit talia si quis, Avis.
Alcidesque novus Cœlo delapsus. Et alter
Felici Natus sidere, Phœbe, tuus:
Qui poterit pulchrè, solers moderamine linguæ,
Et premere, & laxâ jam dare frœna manu.
CNOLLIUS hîc multis è millibus extulit unus
Ingenuum multâ sedulitate caput.
Et partes istas Doctrinæ impleverat omnes,
Quâ quis ad has Artes utilis esse queat.
Quem verè liceat famâ super Æthera ferre,
Ac tali in Cœlum voce tubâque sequi:

SIC

IC DECUIT SPARTAM ORNARE, ET FINIRE LABORES,
AC TESTEM OFFICII CONSTITUISSE SUI.

IN OBITUM
Doctissimi & Præstantissimi Juvenis,
D. THEODORI SCHAGEN,
Cum, in proximo Honoris limine, ad Rhodanum in Gallijs,
MEDICINÆ CANDIDATUS,
Diem suum obiisset.
Ad Mœstissimum Ejus Patrem,
Consultissimum & Cl. Virum
D. CORNELIUM SCHAGEN, JC.
& Med. Doct.
Pensionarium Alcmarianum.

NIl miror, *ter Docte Senex*, quod flumine largo,
Torrentisque instar, fletibus ora riges:
Nec facilè accipiant isti solatia casus,
Nec tua se Medicâ mens tueatur ope.
Ira dolorque mihi pariter, præcordia pulsant,
Atque odi Musas protinus ipse meas:
Dum video pulchrè partas marcescere Lauros,
Et Juvenem tantum primo in Honore mori.
Virtutemque istam, quæ nunc se ostendere pridem
Cœperat in terris, sic cadere ante diem.
Quo nemo major, mentisque capacior altæ
Nuper sub nostrâ Pallade miles erat.
Excellens animi Juvenis. Cui Gratia rara,
Et vita à teneris Numine plena fuit.
Quem doleo Patriæ subductum rebus acerbis,
Ac desiderio non dare digna meo.
SCHAGENIAMque Domum non exornare Coronis
Pluribus, & sacras continuare Togas.

Hippo-

Digitized by Google

Hippocratemque suum, Medicæ secreta Minervæ,
Quæ benè culta foris, pandere ritè domi.
Ast aliter visum est Superis. Qui ex asse beatum
Haud facilè admittunt Unius esse Larem.
Ne nimiùm blandæ Fortunæ dotibus usi,
In stabili positas esse putemus Opes.
Sæpè etiam adversis rebus Patientia major,
Atque aliquid lacrymis utilitatis inest.
Spes tantum macra est, *Proles Generosa*, parentum,
Nec fas infido fidere quemque toro.
Cujus dum facies multum se splendida tollit,
Frangitur, & Dominum deserit ipsa suum.
Quarè etiam illustri Druidum cecidisse sub orâ
Hunc SOPHIÆ MYSTAM non nimis usque dole.
ASCANIoque, *Pater*, potius gratâre Triumphos,
Queis ILLUM in Cœlis excipit alma TRIAS.

Alcmariæ VII. *Kal. Sept.* CIↃ. IↃC. LIX.

IN

Amores Sæculares

Illustrissimi HEROIS,

D. ANTONII STUDLER,

Equitis, &c. Bergarum in KENNEMARIA Toparchæ.

ET

Nobilissimæ Prudentissimæque MATRONÆ,

D. SUSANNÆ THIBAUT,

Cum in felicissimo matrimonio continuassent Annos XXV.

Hic est ille dies, quo, pleni temporis orbe,
STUDLERI Generosa Domus *Connubia* rursum
In terris celebrat. *Lustris* jam *Quinque* peractis
Felicis Thalami. Rarum & memorabile Fati
Exemplum, Sanctique *Tori* Cœlestis imago.

Quò,

Digitized by Google

Quò, paucis, mundi hoc ſæclo, mortalibus ire
Nunc datur, & vitæ ſummam producere. multis
Vix medium illius ſpatium attingentibus ævi.
Vobis, *Illuſtres Animæ*, ſors illa paratur
In vivis, ut, poſt multorum funera & urnas,
Incolumes, rarâque Dei bonitate fruentes,
Aurea ſolennis celebretis *Tempora* Vitæ:
Fatorum tabulas ultra, ſortemque beati.
Imperii Quos ſummus *Honos* comitatur, & omnis
Majeſtas Populi in Faſces, & Sceptra reponit.
Id *Genero Natiſque Tribus* ſpectantibus unà:
Quos omnes hic ad Patrias accumbere menſas
Cernimus, & feris inferre Penatibus umbram.
Auguſti verè Thalami! Speſque Alma *Nepotum*
Nobilium! Quos ſera olim mirabitur ætas,
Fatidiciſque leget Mater Batavia Faſtis.
Salve Feſta Dies! Quâ nunc Regalibus Aula
Inſtruitur dapibus, læti & Convivia curant
Romulidæ. Voxque omnis Iô, Iô omne remugit
Nympharum nemus, & ſacris convallibus, Echo,
Inter Hamadryadas, *STUDLERI* cantat *Amores*.
Salve, Feſta Dies! quâ nunc per rura, per agros,
Theſtylis exſultat. Viridi quâ in gramine Paſtor
Paſcit oves, Sylvæque novo ſe Conſule jactant.
Pieridesque ſacræ, quo tempore, lætiùs urgent
In Clivum, Famæque ſuæ in certamina fervent.
Et cuncti pariter pueri, pariterque puellæ
Jam Choreas ducunt; tacitâ & dulcedine læti
Fœmina Virque ſuos teſtantur pectore plauſus.
Nos etiam Almerii Vates qui aſſurgimus iſtis
Magnatum *Thalamis*. Cœloque Ereboque Potentem
Id petimus votis: hæc ut *Connubia* porrò
Proſpera ſint *Dominis Bergarum*, & proſpera *Natis*
Natorum. Totidemque dies, & *Luſtra* revertant
De Cœlo, Factique fidem *Deus* Ipſe reſignet!

Anno cIↃ. IↃc. LX. XXVII. Octobris.

Ampliſ-

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

Consuli Alcmariano.

QUando Saturni, Mecœnas, Sidera nobis,
Et Patriæ, infensis Superis, mala multa minantur,
Arctooque gravis tempestas detonat Axe,
Tunc regere in mediis quassatam fluctibus Alnum,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, qui prendere clavum
Tunc ausint, Scyllasque vadis tentare latentes,
Sed turpi dare terga fugæ; sua lintea retrò
Flectere, degeneresque animos subducere nimbis.
Tu doctus servare vices immobilis unus
Temporibus duris, Populo acceptissime, Consul
VRYBURGI. Cujus nunquam Constantia sortem
Alterutram metuit. Par semper rebus agendis.
Sive truces Boreæ spirent, seu leniter Auster
Sibilet; ut varias inducat Cynthia formas.
Gratulor hunc Cœlo missum tibi, Belga, Catonem,
Et tibi, Phœbe, Virum. Cujus sub tegmine fido
Omnibus hinc Musis fas est sperare salutem.
Hoc unum, Jano sub teste & sidere sacro,
Addimus: ut, longùm crudâ viridique senectâ
Hîc possis, Vir chare, frui. Et, stratione peractâ
In terris, tantique satur sudoris Honorum,
Haud Mario inferior, septenos tangere Fasces.
Ac nunc, qui fatis revolutus nascitur, Annus
Sit felix prosperque Tibi, Patriæque, Tuisque,
Et toti semper benè vortat Apollinis Ædi.
Quo videas pulchrâ genitos de Stirpe Nepotes,
Inter tot plausus CONSUL, Lætusque tuorum
Primitiis, numeres non uno in limine lauros
Florentis Thalami. Tandemque in Honoribus iisdem
Ire tuos cernas tua per vestigia NATOS!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LX.

Se-

Digitized by Google

Super missâ ad me Imagine
Illustrissimi PRINCIPIS AURIACI
GUILIELMI TERTII,
Ab Amplissimo
Senatu Alcmariano
cIↃ. IↃc. LX. XXVII. *Augusti.*

Illuxit nostris nimium Lux alma Camœnis,
Quâ coram AURIACI cernimus ora Ducis.
Et PUER Hic, fato Magnus, cupiente SENATU,
Nobiscum in docto pulvere currit EQUES.
Effigiemque suam, tantæ spes Inclyta GENTIS,
Seque videt titulo nunc meliore coli.
Numen inest istis, Vates mihi credite, sacris,
Istaque quid taciti PRINCIPIS ora notant.
Nec frustra Augurium capimus de Sedibus illis:
Unde, Polo missus, Maximus iste NEPOS.
Et multò nuper minor, & contractior Æther
Qui fuerat, toto nunc patet Orbe magis.
Paulatimque sui dabit incrementa decoris
Ista suis totidem REGIBUS aucta Domus.
Nos ultrò Titulis assurgimus ILLIUS OSTRI,
Et BATAVUM facimus Te, GUILIELME, DUCEM!

IN OBITUM
Reverendi & Clarissimi Viri,
D. PETRI PRÆLINI,
Eccl. Alcm. Past. Vigilantissimi.

QUod nihil humanis fas sit confidere rebus,
Ac labi interdum vel stantes posse columnas,
Exemplo, *Præline*, doces. Qui, Lampadis instar,
Et Face non unâ Virtutum, ac lumine claro
Præluxti Populo CHRISTI. Suadæque potentis
Eloquio

Digitized by Google

Eloquio vehemens, doctus præcordia circum
Ludere, & attentos animos quò ducere velles.
At nunc Te talem Musæ lugemus ademptum
Orphea, qui sacros lituos inflare tubasque
Divinâ plus voce soles. Culpisque nocentum
Irasci, ac proprio Vitium signare metallo,
Innocuosque pari linguæ gravitate tueri.
Eheu! sub finem tacitè vergentibus Annis,
Saturnumque gravem Phœbo minitante Batavis,
Vergit in occasum Mystarum Gloria CHRISTI,
PRÆLINUS. Flosque ille Virûm, ceu turbine raptus,
Fit tristi spolium Fato. Prô! Numina nobis
Infesta, ac Superûm nimiùm contraria votis
Vota Hominum. Tu, Magne DEUS, ne destrue porrò
Custodes operum sanctorum, in monte Sionis
Atlantes fidos. Quorum mens, Flamine Sacro,
Instinctuque DEI plena, in Cœlestia tantùm
Attollit sese, & supera mortalia surgit.
Nam si RELLIGIO nullo stat Vindice tuta,
Paulatimque suos Manes & vulnera sentit
LIBERTAS, passim in tenebris erramus opacis,
Et nemo est, atram Noctis qui excusserit umbram.

cIↃ. IↃc. LIX. Idib. Decemb.

HONORI

Clarissimorum Juvenum

DD. GUALTHERI ET JACOBI ZEEMANNORUM.

Cum in inclytâ Batt. Acad.

JURIS UTRIUSque DOCTORES *renunciarentur.*

Quod rarum est, Geminos Fratres, *sic Purpura major*
Inseruit Patribus LEIDA *beata, tuis.*
Ambos florentes animis, virtutibus Ambos,

ZEE-

Digitized by Google

ZEEMANNOS; *Batavi Sidera pulchra soli.*
no pariter sacro stupefacta in vertice Musæ,
Et visa est major quàm THEMIS *antè sibi.*
ider at ut Legum claros hoc ordine Mystas,
Et circum duplices ire trophæa comas.
ec certare suos humili jam Marte Quirites;
Sed totidem Reges & sibi Regna dari.
ıb quorum Auspiciis tot Numina victa resurgant,
Ac tandem in Latio debitus exstet Honos.
'e toties frustrà, lentâ pugnetur arenâ,
Aut sua Causidicus differat acta Fori.
:d Civem insontem servet CORNELIA. *Turpem*
Sacrilegum, ac Stupri JULIA *damnet opus.*
ıbis, MAGNANIMI JUVENES, *Autoribus, olim*
Plus pretii, ac fructus Rostra Togæque ferent.
'e toties Gyaris & crimina Carcere digna
Offendat, mœsto Judice, læsa Fides.
t non in pœnas, tormentaque culeus unus,
Sufficiat sceleri Simiaque una suo.
Hinc aliis patet in Laudes, & præmia, Circus
Maximus, Exemplis & licet ire novis.
Hoc est sub Clypeis sudare Ancilibus. Hoc est
Condignos titulos MARTE *tulisse suo.*
Ac, benè rè gestâ seris ostendere sæclis,
Herculeus quantum possit in Arte labor.
Quo simul ut multi luctentur in æquore cursu,
Hoc meritò multos Gloria major habet.
Libertas & vera datur, Diis testibus ipsis:
Non in Festucâ quam rude vulgus amat:
Quâ possim me tollere humo, pulchreque subactis
Tot populi vitiis, ire per ora virûm.
MUSÆ, *noster amor, Geminas suspendite Lauros*
FRATRIBUS. Almeriæ *quod jubet* Urbis *amor.*
Cujus ab uberibus Pollux cum Castore vitam
Orditur. natus Sidere uterque pari.
Nunc quoque, suprema Musarum in sede Batavûm,
Ingenii pulchrâ Laude & Honore pares:

CIↃ. IↃC. LVIII. X. Julii.

Digitized by Google

Ad Amplissimum Virum,

D. JACOBUM à VEEN, JC

Prætorem Alcmarianum, &c.

Cum Generosissimam Conjugem,

D. ADRIANAM BRASSERAM,

Magnæ Matri, Terræ, mandasset.

VIII. *Id. Maji.* CIↃ. IↃC. LIX.

SIc meritò differt sua nunc vadimonia Prætor,
Nec fas est Rostris, cum populoque loqui.
Dum, lacrymas inter rorantes, tristis in urbe
Buccina funereos dat nisi mœsta sonos.
Et circum atratæ pendent in limine vittæ,
Præficaque officiis fungitur una suis.
Heu! cecidit Matrona potens, tota æmula Divûm,
Fœmineosque inter Gloria prima choros.
Ad Cujus dotes animi Sapientia dudum
Ipsa sibi, exorto hoc Lumine, visa minor.
Ac toties stupuere Viri, quod pectore in illo
Et sexu illustres tot viguere Faces.
Ut non sola suas jactet nunc Roma Sabinas,
Gracchorumque cluat nobile Stirpe Genus;
Sed toto in Batavis etiam sit vertice supra
Ingenii pretio clara ADRIANA sui.
BRASSERÆ lux alma Domus. Patriæque Quiritum
Exemplo, in famam rarior ortus Honor.
Prætoris tamen officium est, compescere Luctum,
Et juxta leges non nisi flere suas.
Omnia forti animo perferre, & Judicis æqui
Cedere compositâ de statione nihil.
Proscribunt Fasces lacrymas, fletumque Secures,
Quæ meritò prudens oderit arma THEMIS.
Post bene compositos cineres, Manesque sepultos,
Protinus ad sese mens bona sponte redit.

Ergò

Digitized by Google

Ergò jam repetas tua nunc vadimonia, PRÆTOR,
Et fas in Rostris, sit populoque loqui.

IN

Auspicatissimas Nuptias,

Doctissimi Præstantissimique Juvenis,

D. JACOBI à VRYBURCH, M. D.

Archiatri Alcmariani.

ET

Eminentissima Virtute VIRGINIS,

WILLEMINÆ KESSELS,

Celebratas Alcmariæ VII. Id. Nov.

cIↃ. IↃC. LX.

Tauserat occultos nuper *VRYBURGIUS* Ignes,
Et malè, nescio quo, vulnere læsus erat.
Ignorant, quæ causa mali; quis morbus acutus,
Quique agitet mentem, nocte dieque furor.
Non secus ac centum pugnent si in corpore febres,
Et sua pestiferus viscera milvus edat.
Harpyiæque omnes, acris vis illa nocendi,
Assiduò arrodant pectoris ima sui.
Usque adeò multâ confusus imagine rerum,
Ut vix det propriis Artibus Ipse fidem.
Visit id alma *Venus*, sublimi in vertice Paphi,
Et medicam causas docet illa mali.
Morbus, Amor, tuus est, *dixit*, qui hæc vulnera fecit.
Solus, qui læsit pectora morbus, Amor.
Et frustra est, furias hinc, inde, arcessere libris;
Aut aliud tacito fingere corde malum.
In jecore est vitium, mollisque est flamma medullas,
Cætera pars tuta est. in jecore est vitium.
Cui morbo, ô *Juvenis*, non est grave ferre salutem.
Una hîc est ægris, *VICTA PUELLA*, Salus.
Absque ullis herbis Ponti, Anticyræque venenis;
Et magicis numeris hæc superanda tibi.

Digitized by Google

Dulcibus alloquiis, & molli tempore fandi,
Res ubi componi tutiùs ista solet.
Mox sese ad *Veneris* confert *Vryburgius* artes,
Protinus Hippocratem damnat & Ipse suum.
Tu medica es mihi sola, *Inquit*, *Kesselia*. Sola
Fortunæ præsens Tu medicamen habes.
Vulneribusque meis, qui non satis artis habebam,
Una salutiferum robur, opemque feres.
Auspiciis Cytherea favet feliciter. Æger
Et, vix conspectâ *Virgine*, sanus ovat.
Nec quicquam quæritur secum de Vulnere crudo
Amplius. Huic solito sanguine vena salit.
O felix Panacea tui, *Kesselia*, morbi!
Anchoraque in mediis *Sacra* reperta malis.
Quæ nunc *Vryburgi* in Thalamos descendere *digna*,
Inque Lares istos ferre Genusque suum
Et Quam mox titulis *Spansus* melioribus orner,
Officiisque piis, basioliisque colat.
Nobile par *Juvenum*! Quando hæc jam, luce serena,
Respondent vestris Sidera fausta Toris,
Inter tot plausus *Procerum*, & Cœlestia dona,
Ingentem Vobis propitiate *Deum*:
Ut sacrum hunc nunquam quicquam interturbet Amorem,
Et sint Felici Gaudia nata Die.

Amplissimo Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

Med. D.

Cos. & Scholarchæ Alcmariano.

POst Patriæ impensos populoque fideliter annos,
Nunc datur in tutâ vivere valle tibi.
A capreis procul & turbâ, strepituque Clientum,
Inque suburbanas ire, redire vias.
Et tot fessa malis subducere pectora curis,
Ingenii, ac proprii juris & esse tui.
Pieridumque sacras insumere jugiter horas,

Cum

Cumque tuis Musis Ascanioque loqui.
Aut ad vicinos colles descendere in hortos,
Exemplo Alcinoi, Coryciique senis.
Carpis ubi plenâ natos ex arbore fœtus,
Aut propriâ sulcos dirigis ipse manu.
Aurea Libertas hæc nunc dare sponte fatetur,
Quæ pridem tacito pondere pressa fuit.
Curia perpetuis rodit præcordia curis.
Hic requiem nullo tempore Milvus habet.
Semper ubi Ambitio latices eructat Averni,
Et nocuum virus spargere sueta suum.
Semper ubi ex aliâ curâ nova cura resurgit,
Inque vices undam trudit et unda suam.
Semper ubi infido gliscunt certamina Marte,
Et rarò à nobis mittitur æqua Venus.
Et nihil instabilis versat Fortuna theatri,
Quàm toties dubiam spemque metumque sui.
Omnibus his Liber, VRYBURGI. Quando nec ipse
Permutes vacuæ cum Jove mentis opus.
Qui nunc ex alto curas ridebis inanes,
Purpura Magnatum quas dare summa solet,
Sollicitus fido sub Castore ponere nummos,
Et Patriæ census annumerare domi.
Continuosque dies in amœnâ Palladis arte,
Otiaque ingenii conterere ista tui.
Elysios campos, & plus quam Thessala Tempe,
Mecœnas, toto gratulor ore tibi.
Quem nunc alta quies in partem adscripsit Olympi,
Et cognata fides segregat ipsa foro.
Si Cœlipotens volet, ut modò proximus Annus
Decurrat solitâ prosperitate Tibi!
Luxurietque suis Domus ista Penatibus; usque
Semper honore novo, semper amore pio.
Et mea, quam pridem pulchro dignatus honore es,
Officiis certet nostra Thalia tuis.
Inventura sui laudes pretiumque laboris,
Si fuerit plausus fas meruisse tuos.

CIↃ. IↃC. LVIII.

Digitized by Google

IN
CAROLUM II.
Regem Magnæ Britanniæ.

REs Hominum quod Fata regant, & providus alto
Dirigat hoc Mundi grande patentis opus,
Europâ, id totâ attonitâ, Populisque remoris,
OMNIPOTENS, Te nunc, CAROLE, teste docet.
Qui propriis terris, regnisque ejectus Avitis,
In diversa exul littora raptus eras.
Sed nunc in Solium tantò felicior exis,
Et major titulis in tua Sceptra redis.
Omnibus exactis, scelerato à sanguine, pœnis;
Vixque ullo, à tantâ, sospite, clade Viro.
Spectate hæc, cunctæ Gentes, miracula terræ,
Et quæ sit Regum, discite, cura DEO.
Sit quam grande nefas legem violare Tonantis,
Et ferre in sacri PRINCIPIS arma caput.
CAROLE, qui tantum terris jactatus & alto,
Hinc iterum totus, CAROLE, Victor ovas.
Et vive, ô AUGUSTE, diu. Addictusque BATAVIS,
Auspicio Populos nunc meliore rege.

cIↃ. IↃC. LX.

AD
Nobilissimum & Prudentissimum
VIRUM,
D. JACOBUM van der MOER,

Toparcham in Herencaspel. *nato Illi filiolo*

ADAMO.

ERgò etiam Heroum claræ de Stirpe Nepotes
Nascuntur, VIR Magne, Tibi: Virtusque Genusque
Inter se vario coëunt certamine Laudum.
Ut careat non Vate suo Domus ista Virorum
Inclyta; nec Batavo Atlantes, hoc sanguine, fidi

De

Defuerint. Speſque illa Tori, labentibus annis,
Egregios nobis titulos promittat Avorum.
Semper MELLE novo, Donis Cœleſtibus illis,
Fœcundâ JUNONE Tibi. Quæ gaudet Iulo
Jam pulchro, rurſumque ſuo jam munere ADAMUM
Reſtituit terris FORESTUM, ac luce redonat.
Macte Virûm! Aſcaniis iſtis, ſpem concipe magni
Imperii. Patremque libens Te admitte vocari
Jam toties. Regum hæc Fortuna eſt maxima. Regni
Neve aliâ melius Majeſtas conditur arte.

clo. Ioc. LX. *Idib. Octob.*

Ad Ampliſſimum Virum

D. HENRICUM DRUYF. JC.

Cum Supremæ HOLL. ZEEL. WEST-FR.

Curiæ SENATOR *ſalutaretur.*

Sic meus, in Batavis, jam toto vertice ſupra eſt
DRUYFFIUS, & Summi ſcandit HONORIS ebur.
Quando nunc, par Ingenio & Virtute Theatrum
Sortitus, caſtis voce diſertus agit.
JUSTITIÆque ſacrum, arbitrio pro Judicis æqui,
In Populi medio, ſedulus urget opus.
Hos Tibi gratatur Faſces ALCMARIA, DRUYFFI,
Annuit atque iſtis publicus ore favor.
Nos quoque Pierides, ſacroque ex ordine Vates
Deberi à Fatis diximus iſta Tibi.
Vive diu felix, noſtræ pars maxima Muſæ,
Perpetuoque tuum Gloria nomen amet.
Et quæ nunc triſti diſceſſu Regna relinquis,
Succeſſore novo ſoſpitet illa DEUS!

clo. Ioc. LX. XII. *Kal. Decemb.*

Digitized by Google

IN

Proverbia & Cantica Salomonis,

Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri,

D. JOHANNIS BOURICII. Sup. Cur. Friſ.

Senatoris.

BOURICI, in terras omnes tua major imagō
Jam dùdum magni ſe tulit ore Patris.
Quem Phœbus, quem ſacra Themis, Gens tota Togata
In Roſtris toties obſtupuêre Virum.
Auſpiciis iſtis, non inferiora ſequutus,
Tu Divûm Thalamos in tua ſacra vocas.
Ipſius & Cœli celebras Connubia Vates,
Dum flagrat SPONSÆ CHRISTUS amore ſuæ.
Oſcula tot blandis defigens chara labellis,
Noſque docens illo vivere more Tori.
Tu Magnum SALOMONA tuis ſudoribus addis
Scribentem Iſacidûm regia juſſa choris.
Et firmas probitate animos, motuſque rebelles
Senſibus humanis hinc procul ire jubes.
BOURICI, Friſiæ Lumen, Columenque SENATUS,
Hoc tua ſic etiam Gloria major agit,
Quod præter Faſces, & Legum vincla, Secures,
Carmine nunc Superos nobiliore canas.

cIↃ. IↃC. LX. *Kal. Aug.*

Ampliſſimo Conſultiſſimoque

VIRO,

D. SIMONI à VEEN, *Cognato*

Prætori ſummo, in Gaesbroeck.

ANnua ſic noſtris rèdeunt nunc ſacra Batavis,
Atque iterum, optato Sidere, Janus adeſt.

Quod

Quod cuncti, quos Phœbus amat, lætantur ovantes:
Talem si fas est sæpius ire diem.
Tempore quo nobis populus suffragia donat,
Inque suas partes Ambitus ipse ruit.
Curia cum clavi distinguit ab ordine Patres,
Liberaque in causis Verba Senatus habet.
Et cuncti laudum sese in certamina mittunt,
Servitiique sui præmia quisque refert.
Tu, *Cognate*, tuis meritis & nomine nondum
Quod teneas Circi in pulvere ritè locum,
Id miror magis. Ingenio Qui Rebus agendis,
Et Patriæ studiis utilis esse potes.
Alea sed nondum jacta est feliciter illi,
Se legit Mystam Quem THEMIS ipsa sibi.
Ac voluit pridem pennis sublimius ire,
Quando ageres proprium, *Maxime Prætor*, opus.
Altera restat Hyems: quando Virtutibus istis
Ex merito tribuet munia largus Honos.
Tu gravibus noli tunc te subducere nimbis,
Impositumque tibi ferre molestius onus.

Kal. Jun. CIↃ. IↃ. CXI.

Doctissimo Præstantissimoque

VIRO-JUVENI,

PETRO à VRYBURCH, J. U. D.

In Gallia commoranti.

QUando jam sacra redimitus tempora Lauro,
Autumni & factus pars quoque magna Fori es,
VRYBURGI, Batavæ non oblivisce terræ,
Nec nimiis illo sub Jove necte moras:
Ista domi Virtus debet se fomite vivo
Prodere, & in Patrios ferre alimenta Lares.
Sæpè malum dederat, vitiumque absentia longa,
Paulatimque animis Gens peregrina nocet.
Ergo Pegaseas Tu nunc incende quadrigas,
Remigioque celer Belgica rura pete.
Exspectat geminis ubi nunc te amplexibus Aula

Magnatum, & reditus optat uterque parens.
Promeritamque tuis dudum virtutibus aram
Pierides sacræ, nostraque Musa struit,
Ergò redi, major Juvenum, tot Dotibus aucte,
Et nunc in purâ conspiciende Togâ.
Neve illic Loton, Circæaque pocula gustes,
Quo minus in proprios sit tibi cura Lares.
Incorruptus ades nobis à Gentibus istis,
Ac titulos solitæ Sedulitatis ama.

cIↃ. IↃC. LX. *Kal. Decemb.*

AD
Doctissimum & Præstantissimum
VIRUM JUVENEM,
CORNELIUM NEOSTADIUM,
Affinem. J. U. D. *& Advoc.*

POst benè-visa foris diversi climata Mundi,
Nunc iterum Batavo sub Jove sospes ades.
Et, quæ pollicitus quondam Patriæque Patrique
Ut decet Ingenuos, solvere fidus amas.
Jamque animo versas, tua quæ sint fata Juventæ,
Et de te quantum postulet Aula Patrum.
Nomina quèis debes, sequeris si exempla Tuorum,
Nomine vel primæ Nobilitatis Avi.
Quem paribus deceat Te nunc æquare Camœnis,
Illius ingenio nec magis esse rudem.
Hic Rhodus, hic saltus. Restant FEUDALIA nobis
Altera. fac lucem viderit illa THEMIS.
Ne malè depascant tineæ tam nobilis agri
Depositum; & Patriæ hinc tristia damna ferat.
Excute, quas olim sudasti in Pallade, noctes,
Quæque tibi subdit pectora magnus AVUS.
Nocte dieque patent nobis Capitolia. Nulli
Clausa domus Phœbi; nocte dieque patet.

cIↃ. IↃC. LX. *Kal. Nov.*

Am-

Amplissimo Prudentissimoque

VIRO,

THOMÆ HONERDO, JC.

Mecænati.

QUàm facilè in flammas abeat vis illa Juventæ,
Tu rhectum, hæc dudum doctus, *Honerde*, vides.
ipsa Venus stimulos, fomenta atque ignibus addit,
Ac tales ipsi Dii voluere jocos.
t frustra est, ludos istos abolere vetustos:
Quos Mars exemplis comprobat ipse suis.
t Nati plenâ certatim voce probabunt,
Turbaque Majorum testibus usque docet.
los istis, HONERDE, Toris thura addimus ultrò,
Auspiciisque piis plaudimus ore pio.

Eis. Idc. LX. *Idib. Octob.*

AD

Generosum & Magnanimum Virum,

D. JOHANNEM KIEN,

Sub Illust. DD.

Ordinum Cohorte prætoriâ Aquilifernm.

Post-ductam uxorem LANSCHOTIAM,

Jocus extemporaneus.

POst tot sudores, vigilatæ & tædia noctis,
Trojugenæ exemplo, tua nunc LAVINIA Virgo
est,
Optime Battavûm, KIENI. Venatio pulchrè
Successit Divæ Veneris tibi. Et, Hercule dextro,
Ilion in Batavis expugnas; Pergama Vobis
Altera. Nec Thalamos istos audacia Turni
Disturbare potest. Facilis Rex ipse Latinus
Externum adventare virum præsensit, & unum
Te signari oculis; Te solum Numine, & ipsis

Digitized by Google

Te poſci Fatis. Nihil his Junonem, & Amatam
Obſtare inceptis tua nunc LANSCHOTIA Virgo ch
Et Superat Mars iſte tuus, Flos prime Juventæ
Almeriæ, noſtræque olim Lux alma Camœnæ.
Id Superos precor ex animo, Vos, Nobile pignus
Cœlicolûm, in terris longùm, & feliciter Ambo
Ducite Neſtoreos annos. ac ſemine ſacro
Fœcundi, multos pariter ſudate Nepotes.

cIↃ. IↃC. LX. *Kal.* Oct.

Doctiſſimo & Præſtantiſſimo

JUVENI,

ROMANO de HOOGHE.

In Acad. Batt.

Philoſophiæ & Juris Candidato.

CUr, ROMANE, tibi nullum nunc ſtillat ab ore
Nectar, & in Latio ſic tua Lingua filet?
Qui ſolitus dulci toties me melle rigare,
Pulpitaque Eloquiis docta ferire tuis?
Fare, age, divinumque melos de pectore prome.
Parcentes ſpargat nec tua Dextra Roſas.
Nec ſic te Themidos dilectæ emolliat uſus.
Nulla ut NEUHUSII ſit tibi Cura tui.
Rumpe moras omnes, *Cognate*, & vincula rumpe.
Nec quicquam fuerit tam tibi dulce tuum,
Ut noſtri poſſis etiam obliviſcier unquam,
Et Phœbi haud tangat te generoſus amor.
Altius in noſtris animi penetralibus hæres,
Hinc quàm te Fati tollat ut ulla dies.
Rumpe moras, CELSOQUE tuo pro NOMINE, pergе
Romano mecum ſæpius ore loqui.

cIↃ. IↃC. LX. *Id. Nov.*

Digitized by Google

IN OBITUM
Clarissimi & Consultissimi Viri,
D. ANDREÆ SCHAGEN STEYN,
Scabini Alcmariani.

MEns celsa *Andreæ Schagenii* ad Sidera tandem,
Unde suos ortus duxerat, ivit ovans.
A terris procul & curis subducta: Tonantem
Cernit ubi Regni sceptra tenere sui.
Thymbræus non arte Pater, non Orpheus ipse
Infandum potuit sistere mortis opus.
Non totidem Nymphæ, totidemque Heliconis alumnæ,
Ipsa nec è Latio turba novena Deûm.
Ivit ovans niveis Capitolia ad alta quadrigis,
Frivolaque hæc mundi sub pede cuncta videt.
Nunc alios audit modulos ubi pectine sacro,
Et meliora suæ plectra movere lyræ.
Concentusque novos, docto modulamine linguæ,
Aligerûm toties ingeminare choros.
Non Druidûm voces, Italosve ex arte lepôres,
Verbaque tot numeris dissociata suis.
Altiùs hîc ultra Cœlestûm Spiritus urget
Ingentem fidibus concelebrare Deûm.
Ingeniique sui pennâ super æthera vectus
Cum CHRISTO in Cœlis, Iò Triumphe, canit.
Nos desideriis igitur PARADISIDOS acti,
Discamus simili claudere morte diem.
Et non velle diu tristi in convalle morari,
Erumnasque animi nocte dieque pati.
Sed cineris ac propriis jam sponte occurrere fatis,
Authoremque suum non sine laude sequi.
Et cum SCHAGENIO, cujus mens incolit arces
Siderias, mundi spernere ritè vices.

Ita loc. LVIII. X. *Decemb.*

Digitized by Google

IN
Sacrarium Minervæ
Doctissimi & Præstantissimi Viri,
D. FREDERICI SCHERTHUSI
Jurisconsulti & Philosophi.

EN tibi, *posteritas*, redivivæ Templa Minervæ,
Et sacrum Augustæ sedulitatis opus.
Quo nunc, post totidem illustres hac arte Magistros,
Hic meus in Latio jam FREDERICUS erat.
Ausus in Oceanum Themidos sua pandere vela,
Et plus quàm nostram sollicitare chelyn.
Talia promittens nobis, meliore lapillo
Quæ digna, & cedris usque notanda suis.
Et Veterum pulchrè scriptis Monumenta recludem,
Lectorem afficiant quæ novitate sui.
In lucem, FREDERICE, tuus, fac, prodeat Infans,
Notior ut Batavis Ipse sit inde Pater.

Alcmariæ CIↃ. IↃc. LIX.

In Effigiem
Illustris AMELANDIÆ DOMINI,
D. VALERI à CAMMINGA
FRISICÆ NOBILITATIS PRIMI.

TOllite de tabulâ, Pictores atque Poëtæ,
Artificem cuncti tollite ab ære manum.
Non æs, non tabulæ Patriæ comprendere Patrem,
Nec poterit tantum charta referre Virum.
Mæonius Pater ipse suas huc adferat artes,
Mæonio hæc Virtus altiùs major erit.
Hoc unum in Batavis liceat modò dicere Vati:
Hic primus Frisiæ Nobilitatis apex.

Digitized by Google

alind.

: Regum Frisiæ est facies, in Gente vetustâ.
t grave tum gestis clara, potensque Domus.
› nunc Arctous meritò se jactitat orbis,
:t Mater nomen Frisia majus habet.

Reverendo Doctissimoque Viro,

). JOANNI KNYFFIO.

)Prima quæ donem, gratantes inter amicos,
Munera, sunt animi vota precesque mei.
nt pietas, sunt alma fides, sunt sacra Minervæ,
Et toties in Te ritè probatus amor.
)n hæc, quæ blando circumfert nomine vulgus,
Aut aliquis medio de grege lippus amat.
d fili devota Deo, devota Camœnis,
Ad Te nunc, *Knyffi*, munera ferre velim.
se sibi vates quæ non dare, tempore duro,
Inter tot lacrymas, & sua damna, potest.
:ilicet, ut fausto eurrant tibi fidera motu,
Et non è thalamo sit tibi rapta Venus.
irtutum tot dote potens, tonque inclyta Mater
Natorum, ac felix temporis Eva fui.
)issimulem nostris virtam tibi casibus opto,
Stetque suâ solitâ prosperitate domus.
Nec pridem tristes mecum experiare Cupressos,
Injiciatque tibi mors inopina manus.
Auspiciis ineas sed nunc felicibus *Annum*,
Cumque tuâ longùm Conjuge sospes agas.
Sitque domi, sit fama foris virtutis honestæ,
Nanusquisque tibi sit bene junctus amor.

Kal. Jan. cIↃ. IↃC. LIII.

Sub ipsam horam tristissimi excessus
Charissimæ Conjugis.

ODILIÆ NEOSTADIÆ

cIↃ. IↃc. LVIII. VII. *Id. Novemb.*

SIc petis æthereæ Lucis, *Charissima Conjux*,
Atria, & ad CHRISTI vis latus ire comes.
Corporis exuvias jam dudum exosa, Deumque
Solâ respiciens mente animoque tuum.
Exspectans placidâ vitam componere morte,
Atque animam Patriæ reddere ritè suæ.
Quî dicam, *Matrona potens*, Virtutibus illud
Sic plenum pectus, plusque virile decus?
Quæ, benè sic rebus mundi in statione peractis,
Sic poteras benè tunc dicere: *Munde Vale.*
Munde vale, & quicquid pars mundi immunda fuisti;
Me non mundities amplius ista juvat.
Cœlicolas æquas, *Conjux*, hæc talia fando;
Nec vox hæc Hominem, sed sonat illa Deum.
Et quò non linguæ plectrò satis itum & ora.
Illò remigiis mens avet ipsa sequi.
Quid non fatidico hîc vates accendar aô cestro,
Et cupiam comes hûc vir tuus esse tibi?
Ad loca Cœlestûm, mea nunc ODILIA, migras.
Plus ubi quam mundi Tartara nigra vides.
Sub pedibus calcas Fortunæ ubi frivola cuncta,
Et tantò humano corpore major agis.
Hæc ego dum tristi sic differo voce Maritus,
Desiit in vivis esse Marita mihi.
Nec posthac oculis unquam spectanda meorum,
Nec solitâ in thalamis voce vocanda mihi.
Spiritus ingreditur Abrâmi felicibus alis
Aligerûm, fragili carne solutus, abit.
ODILIA una meos omnes exstinxit amores,
Et sic in geminâ CONJUGE muto togam.

Digitized by Google

Solus, sine Conjuge,

SACRAM COENAM

Celebraturus.

Hic ego nunc solus Magni Conviva Tonantis
Mellifluo cœli nectare & ore fruor.
Solus in Æde sacrâ mœstum & miserabile carmen,
Heu! nunc vidui turturis instar, ago.
Sacrificans istas toties non solus ad Aras,
Pleniùs ut fruerer Corpore, CHRISTE, tuo.
Nec pars illa mei mensâ meliore recumbit,
Et purâ cernit mente animoque Deum.
Ne Tu, ne nimium à nobis, *Pater alme*, recede,
Ut non sit tecum hæc ultima Cœna mihi.
Tu potis es supplere vices & tempora rerum,
Præsentemque tuo Flamine ferre manum.
Et, cum sit fatis mihi sors hæc una negata,
Ut charâ hîc liceat nunc mihi parte frui;
Hoc tamen in solido solamine spemque repono,
Me quoque cum solo vivere posse Deo.
ODILIÆque meæ Virtutem extendere factis,
Donec nos Superûm junxeris æquus amor,
Nec solus magni tunc sim conviva Tonantis,
Sed mecum hîc Conjux utraque dulcis agat.

Ejusdem argumenti.

Quid dapibus ventrem obscenus, vinoque saburras,
Inque gulæ partes ingeniosus abis?
Ista Lycaonias deceant spectacula mensas,
Et pudor est, tali vivere more pios.
Nos alio fruimur Pane & Cicere sobrius hic:
Unde premet nunquam corpora nostra fames.
Hîc vitæ cibus æternus, spesque una futuri:
Et Fati, in cœlis, sacra tabella mei.
Hîc vera Ambrosia, apparens cœlestis imago,
Hoc tali cupiam pellere e pane famem.
Ite procul Bacchi lactices, vosque optima pleni
Poculа

Pocula Campani nectaris, ite procul.
Nil hic, Bacche, tuum est. Sunt hîc meliora Falerni
Pocula. In æternum fons salientis aquæ.
A CHRISTI sacro destillans sanguine rivus,
Unde fluit nostræ grande Salutis opus.
Quo semel ut nobis haustæ sint flumine lymphæ,
Protinus à vitiis mens relevata suis.
Hic redeat mihi sæpè dies, sub vespere mundi,
Pocula quo CHRISTI sanguine mixta bibam!

Pro felici Auspicio Anni Novi.
CIↃ. IↃC. LX.

MAgne Potensque *Deus*, Cujus Sapientia Cœlum,
Et Terras solo nutu, verboque creavit;
Nosque *Homines*, quibus Ingenium, pars Ætheris alti,
Cum Ratione datum, solùm hos effinxit in usus,
Autorem ut tantorum Operum, Fontemque Bonorum
Laudibus ornemus meritis, & Carmine grato:
Nos Te, Magne *Deus*, puri hoc sub Lumine Phœbi,
Auspiciisque *Anni*, rursum redeuntis in orbem
Supplicibus petimus votis: ut, Tempora, quæ nunc
Ingredimur primùm Mundi, sint Prospera Nobis,
Et *Patriæ*, *Missisque* Sacris. Nec quicquid iniqui,
Vel Culpæ veteris, commissi aut criminis, inde
Nobiscum in Vitæ venturos transeat Annos.
Sed, multò meliore animo, & *Virtutibus* usque
Ingenuis auctos, etiam plus provocet ultra
Nos *Pietatis* amor; mentisque capacior altæ
Spiritus. Et, quantò minus ad Cœlestia quondam
Viximus, hoc tantò nunc impellamur amore,
Complexuque *Dei*, magis. Et, cum Sidere pulchro,
Mutati in melius, quoque nos in pulchra feramus
Corpora. mutatisque Animis, mentisque figurâ,
Formemur toti Vitæ melioris in usum:
Terrenâ fæce abstersa, veterumque malorum
Materie. Pro quo nobis illustrior Orbis
Nunc ortus, nebulas omnes à mente repellat,
Nosque parcs *Sanctis* monitis volet esse *Tenantis*!

Jam

clauso & *Jani* Templo, Pax, Optima rerum,
cipites odiis animos, Regum aspera corda,
ternis iterum vinclis conjungat amorum.
cedant sic Arma Togæ; gelidæque Triones
r se placido coëuntes fœdere Dextræ,
remum imponant Bellis furialibus Actum.
ue saris fuso maculasse à sanguine Tethyn,
anumque Patrem. Ac longè de littore nostro
rribiles ungues Batavum strinxisse *Leonem*.

In auspicatissimum Consulatum
Nobilissimi Viri,
I. CORNELI à TEYLINGEN,
Senatoris Alcmariani.

Actenus Aonidum mecum ingemuere sorores,
Nec simplex nostrâ planctus in æde fuit:
ando trux Lachesis rapuit solatia nobis
Unica, & est Thalami facta ruina mei.
eu! ereptâ generosâ CONJUGE nobis,
Cum totidem sacris, deliciisque meis.
inc se paulatim tanti posuere dolores,
Et lux est Musis reddita clara meis.
cum, TEYLINGI Consul, Capitolia scandit,
Et titulo fasces nobiliore vigent.
b Cujus, spero, auspiciis & Numine dextro,
Olim plus pretii nostra Thalia feret.
rtutumque novis seges efflorescet aristis,
Almeriæque suus rite revertet Honos.
ESTERA quod voveat, sub Consule Conjuge,
Consule,
Filiaque ex animo, Filioluque velint.

Ipso natali die Servatoris Nostri

CIↃ. IↃC. LVIII.

Clariss-

Clarissimo Viro,

JOHANNI FOEKLERO,

Collegæ suo Correctori.

IRritas, *Foeklere*, meas, per Carmina, Musas,
Et nos ex animo sic cupis esse tuos.
Accipe NEUHUSIUM facili tibi lege revinctum
Ex animo totus qui cupit esse tuus.
Nec solet in Census istos sua sacra negare;
Aut aliquem officiis destituisse suis.
Tu porrò ingenuos Mystas ulciscier aude,
Et nos in partes sæpè vocare tuas.
Invenies Pyladen, charum qui curet Orestem,
Et, Verum sacro qui colat ore, Virum.
Fœdera, *Foeckleri*, modò quæ promittis amorum,
Ista mihi semper fœdera sancta tene.
Debemus tali fortes concurrere pugnâ
Athletæ, & pulchro hoc Marte probare fidem.
ALMERIA spectante suas in pulvere Lauros,
Et Vatum hæc doctâ præliа digna manu.
Juverit hos sacros inceptus Flamine sacro,
Qui sacram in nobis hanc fovet igne fidem.

cIↃ. IↃC. LVIII. *Kal. Novemb.*

Solatium Funebre

ad

Nobiliss. Virum,

D. PHILIPPUM LANSCHOT.

In Obitum Charissimæ Uxoris.

LANSCHOTE, interpres Juris, legumque Sacerdos
Jure dolos THALAMI tristia fata tui.
Et mecum quereris raptæ RACHAELIS amores,
Pignora Conjugii tam pretiosa tui.

ıſcīs propriis jam nunc amplexibus ipſe,
loc noſtrum quam ſit Vivere, triſte Nihil!
e *bis octones*, Vir chare, & *quattuor annos*,
Iluxit facibus noſtra Thalia tuis.
mque piis Tædis dederat felicior ætas,
:unctorum & pro Tevota Salutis erant:
plus, quam Pylios, in mutua gaudia, Soles
.lle, Deo gratus, cœlitus iret amor.
l, Procerum plauſus omnes ſpes illa fefellit,
Atque alius Fati TERMINUS iſte fuit.
:c donis licuit ſemper præſentibus uti,
Perpetuamque ſuæ ſortis habere fidem.
. multò meliora Deus nos deſtinat ævo,
Quæ mens in terris læva nec ulla videt:
)n oculus probat humanus, nec ſenſus iniquus
Hîc capit; aut ratio perſpicit ulla potens.
errigenûm cunctæ res ſunt caligine merſæ,
Et ſpiſſâ, in tenebris, nocte Ereboque latent.
)lum Divinis certa eſt fiducia rebus,
Quæ Fati æternâ res quoque lege fluunt.
os olim hos noſtris modulis aptavimus Ignes,
Atque iſtis dedimus Thura benigna focis:
t tranquilla forent, ſecuraque gaudia vitæ,
Vorteret & Sponſis ſic benè cœptus amor.
.t nunc ille furor plenum facit eſſe pudore,
Et meruit Venerem vix Venus illa ſuam.
.c tantum fragili lecta eſt mihi pulvere myrtus,
Quæ facies herbæ ſolſtitialis erat.
Nunc Animum Æthereis Vates tranſcribimus Aulis,
Et canitur melior Carmine Sponſa meo.
Virtuteſque iſtas, quibus eſt Alcmaria longè
Jam minor, Elyſii valle locamus agri.
Sed, nihil hîc, LANSCHOTE, tuum eſt. Mens altior iſtis
Egreditur ſpatiis, & ſequor uſque Deum.
Nam RACHALIS, Conjux quondam tua, ſcandit Olympum,
Et ſoror, & Conjux eſt quoque facta Jovis.

Hoc

Digitized by Google

Hoc, LANSCHOTE, tuum tamen est, quod dicere possis:
In cœlis merui Vivere parte mei;
Atque eadem, ut Fato functus, mox Regna tenebo,
Cum RACHALIque meâ tempora lætus agam.
CIↃ. IↃC. LX. 2. Sept.

AD

Præstantissimum Doctissimumque

Juvenem,

PETRUM à VRYBURCH,

SS. LL. Stud.

Decumbentem ex fractâ Cruce.

QUod non te visam lecto, mi PETRE, jacentem,
Et pro parte meâ, consiliisque juvem;
Gutturis, heu! vitium in causa est, capitisque tumentis
Triste malum, absentem quod negat esse domo.
Inque dies totos miserum cruciatibus urget,
Ipso penè animo deficiente mihi.
Sic Ambo patimur manes & vulnera nostra,
Et pariter Medico subdita turba sumus.
Quod sacras lugere Deas & Numina, credo:
Quorum nos pariter tangit & angit amor.
Parendum est Fatis: quibus hæc prævisa siniſtris
Sunt avibus. Nemo sic sapit ipse sibi.
Effugere ut cautè possit ventura malorum,
Quæ tacitè nobis destinat ipse Polus.
Hoc quisquis solamen habet, qui Numine læsus,
Exspectet rursum à Numine lætus opem.
Tu pridem ut possis, mi *Petre*, incedere recto
Tramite, & in firmos te dare ritè pedes.
Nos tempestatem capitis, longosque dolores
Acolitis olim credere posse notis.
Addixit Phœbus, signumque in nube serenâ est,
Puræ sunt nobis, anchora sacra, Preces.

Unde

Digitized by Google

Hæc Deus datur ipse potens in vincula victus,
Ut propior nostris ingemit usque malis.

V. Sept. CIↃ.IↃC. LVIII.

AD

Amplissimum & Doctissimum

Virum Juvenem,

JACOBUM CORENIUM,

Illustris Territorii Neoburgiani

PRÆTOREM.

Cum in Patriâ Academiâ utriusque Juris Doctor salutaretur.

Hic meus in Famam & Fasces CORENIUS urget.
Ingenii pennis jam procul actus humo.
Ora feque videt quicquid Romana Potestas
Olim tot vidit Legibus aucta suis.
Egregiam à Latio laudem & spolia ampla reportans.
Par, Marcelle, tibi; Romule, parque tibi.
Duo, memini, in Batavis, vix sese clarior ignis
Extulit, aut major Gloria parta Togæ.
Cerè Delicium nobis, Floscque ipse Juventæ:
Quem multâ insignem Pallas ab arte dedit.
Candite nunc Heliconia Deæ. Lauroscque Tubasque
Inter, honoratus verba Poëta canat.
Sit PATRIÆ, & PATRI simul applaudamus ovantes,
Ac Superis grates inde Senatus agat.
Scilicet una dies, quâ Phœbo nascitur Infans,
Toto crede mihi, longiùs orbe patet.
Nobilitasque animi sola est, extendere factis
Virtutem, & Priscis reddere nomen Avis.

In

In Jobum redivivum

CL. Viri,

D. HENRICI BRUNONIS

Apud inclytos Hornanos

Gymnasii Protectoris.

SIc tuus, ô BRUNO, terris quæsitus & undis
In lucem Jobus publicaque ora redit.
Omine felici tandem redivivus. Et ipsa,
Tænariæ è mediis faucibus, astra videns.
Salve nata DEO proles Generosa, & disertas
Jam dudum & doctas digna subire manus.
Et melior multò, quàm te fors pristina rerum
Turbine jactaret rursus iniqua suo.
Auguriis servata piis, Jovis alite fausto;
Et mundum exemplis nata docere tuis.
Hæc Jobi fortuna fuit, non unius illum
Terribilis Fati succubuisse malo.
Qui primùm lacrymas ac tristes illius aras
Vidimus, & totidem tecta repleta malis.
Post iterum, cum Sole novo, roresce re nubem,
Ac tenebras lætos excipere inde dies.
Discite, Mortales, nil non sperare siniſtris,
Et vestrum pariter ferre, patique jugum.

cIↃ. IↃC. LVIII. *Kal. Jan.*

Ad Nobilissimum Virum,

D. CORNELIUM à TEYLINGEN

Super nato Filiolo.

Ipso die SANCTIS OMNIBUS solenni.

NAscitur, ad Sanctos Omnes, Tibi sidere sancto
FILIUS, & cœlo es non sine teste, Pater.
HESTERA prima suo signat Te nomine Conjux,
Et se TEYLINGIS miscuit ista Venus.

Nunc

nc Illi comitem sese FLORENTIUS addit,
Magnus AVI à tantâ Stirpe domoque Nepos.
Fatî pignus melioris, Numine porrò
Propitio Divûm, nobile vive Genus.
Patriæ fractis semper succurrite rebus,
Magnanimis proprium ceù fuit illud Avis.

cIↃ. IↃC. LVIIX.

IN
Leporem TEYLINGANUM:

Quem dono accepi postridie Natalium
Filii FLORENTI.
cIↃ. IↃC. LIX. 2. *Novembris.*

[Æreo sic totus, nostras cur intret in ædes
Hic lepus, & cupiat non sine Vate mori.
rtè illi in cunis vellit FLORENTIUS aurem,
Cum cœpit blando protinus ore loqui:
epus, & gravibus Vatem perstringito verbis,
Quod non NATALIS sit memor ille mei.
iem mihi jam tenero felicem Urbs tota precatur:
Illâ sed solus luce Poëta silet.
ccavi, TEYLINGE Puer; veniamque precamur,
Nè peccem rursum, me Lepus iste monet.

AD
Illustrem & Generosum Virum,
). THOMAM ab EGMOND à NIEUBURCH,
Consulem & Scholarcham Alcmarianum.

[Andem etiam nostris aderis, *Neoburge*, Camœnis,
Castalidumque choris ora videnda dabis.
'empore Quem longo noster non vidit Apollo:
Usque pio flagrans semper amore Tui.
ui vires sub corde novas & gaudia ducet,
Ut primùm faciem viderit ille tuam.

Non

Digitized by Google

Non semper, spero, tantis Te Curia franget
Fluctibus, ut nunquam sit Tibi cura SCHOLÆ
Aonidumque vacet semel hîc lustrare catervas.
In Batavis etiam qui tua turba sumus.
Unum oro, ne Te, *Mecœnas*, aura retardet
Tristior, & causam det RACHAELIS amor,
Quam faxit, cum *Matre*, Deus, cum *Fratre*, *Patre*
Ac *Natâ*, & *Socero*, Vivere posse diu.
Et non atratas nobis mintaner umbras,
Ac Thalami placitum dissociare jugum.

clɔ. Iɔc. *prid. Non.* [illegible]

Amplissimo Viro,

D. ÆGIDIO ab OUDESTEYN. JC.

Cum illustris Reip. Alcm. Senator salutaretur.

QUos Tibi nunc ultrò titulos ALCMARIA dones,
Munera quæ adjungit fascibus æqua tuis;
Hæc, OUDESTENI, jam longo à tempore, vestra
Munera Virtutes promeruere Domus.
Quæ non se Patriæ devovit simplice Lauro,
At multo in patriam pignora teste dedit.
Consulibus stetit illa Domus felicibus usque,
Et Patris & Patruûm hîc fama decusque vigent.
Gratulor hos fasces Tibi nunc, ô Magne Virorum,
Quattuor ante meæ, Gloria, lustra, SCHOLÆ.

clɔ. Iɔc. LVIII. *Kal. Novemb.*

Illustri Viro,

D. ANTHONIO STUDLER.

Equiti.

Toparchæ in Bergen.

OMnia, quæ Patriæ, quæ Mecœnatibus opto,
Hoc cum sole novo, læti sub limine JANI,
Hæc soli, STUDLERE, Tibi de pectore toto
Opto etiam. E paucis qui pars dignissima cœtus

Aoni-

Digitized by Google

onidum. Ac, ſæclo jam deteriore, receptus.
nchora ſacra Virûm Doctorum. Et, Apolline teſte,
'num Phœbeæ lumen columenque Coronæ.
Æternum faxit Numen, Patriſque poteſtas
uguſta in Cœlis! Ut, qui nunc naſcitur Annus
dere felici nobis, populoque Batavûm,
ic quoque, poſt totidem ſpiſſâ caligine nubes,
ergarum illuſtri Domino melioribus uſque
uſpiciis ineat, melioribus exeat uſque.

Kal. Jan. cIↃ. IↃC. LX.

Ad Ampliſſ. & Prudentiſſimum Virum,

). THEOD. à VRYBURCH. M. D.

Cos. & Scholarcham Alcm.

QUem ſibi candidulum Vates optaverat annum,
Hic illi totus triſtis & ater erat.
inumeris plenus lacrymis, plenuſque malorum
Fluctibus, & dubiâ ſpeque metuque ſui.
c tandem, procul à terris, erroribus acta,
Illius eſt mediis obruta cymba vadis.
tque unum id ſuperat miſero, de cladibus iſtis,
Naufragus ut lethi fluctuet inter aquas.
heu! ſacra meæ nuper comprênſa Senectæ
Anchora, jam triſti eſt funere rupta mihi
xor amans, potuit quæ ſola inflectere ſenſus,
Et curas animi ſolvere ſola Viri.
ui, credam, ingenii ob dotes, & pectus honeſtum,
Ætas in terris non tulit ulla parem,
los tandem nobis vetus abſtulit Annus amores,
Auſpicioque ſuo non bona ſigna dedit.
t quem felicem ſibi voverat ire Thalia,
Hunc infelicem, prô dolor! ire videt.
Non tamen amentes adeo, pia turba, Poëtæ,
Ut tanti incuſent criminis ore Deum.
Sive putent vanis hæc talia caſibus ire,
Et non à tacitis nutibus illa regi.
ſovimus hæc certo Fatorum ex ordine duci,

Digitized by Google

Et ſerie æternâ cuncta creaſſe Deum.
Quaſque mihi gemino fecit nunc vulnere plagas
Has etiám immiſſas cœlitus eſſe mihi.
Et quas delicias, pro tempore, junxerat æther,
Rurſum has iratos ſolvere poſſe Deos.
Scilicet æterni nihil eſt ſub ſolis utroque
Cardine. nec quicquam ſit ſine teſte Deo.
Cui ſoli noſtram committere remque domumque,
Omni in fortunâ, conjugioque decet.
Aurea quæ nobis degendæ eſt regula vitæ,
Et ſemper dubiis eſt cynoſura malis.
Quo ſi jam nobis *Mecœnas*, vivere talo
Sors dederit recto, Numinaque ipſa ſequi,
Jam quoque cum Superis liceat contendere Lauró,
Proque ſui magnâ parte referre Deum.
His, precor, erudiat monitis nos proximus *Annus*,
Faſque ſit hoc hominem vivere poſſe *modo*.

Kal. Jan. cIↃ. IↃC. LII.

Ampliſſimo Viro,

D. THEOD. à VRYBURCH, Med. D.

Cos. & Scholarcha Alcmariano.

NUnc iterum Hiſpanus junget ſua fœdera Gallo?
Terribiliſque novo fulmine Succus erit?
Obſtupui. Victis illis; Victoribus iſtis,
Ancipiti poſita eſt res tua, Belga, loco.
Speramus meliora. Deus punire ſuperbos,
Conſiliumque piis ſuppeditare ſolet.

aliud.

Sic creſcit gelidis nobis ſub Piſcibus annus,
Et patitur Brumam Belga nivemque ſuam.
Aonidum properant tamen hîc ſua penſa Sorores,
Nec ſolitum Phœbi Muſa remittit opus.
Eſt nobis vivus Jove natæ Palladis ignis,
Perpetuuſque tuo fomite, Veſta, focus.

Quare

Quare, *Mecœnas*, noſtras nunc reſpice Muſas,
Si tibi cura mei, ſi tibi cura Scholæ.

aliud.

Mecœnas, gelidum poſt terga relinquimus annum,
Et tantò melior ſol tua rura videt.
Diffugêre nives, rediitque Ciconia Muſis,
Et rurſum cœlo Lux nova Martis adeſt.
Iſte calor poſſit flammis incendere totam
Pallada, & Aonidum plùs decuiſſe chorum.
Quando patent Vobis, portis bipatentibus, ipſa
Atria Muſarum, Caſtalidumque domus.

aliud.

Nunc aperit Taurus genialem cornibus annum,
Et melior nobis incipit ire dies.
Longè, poſt tergum gelidis Aquilonibus actis,
Jam Zephyro atque Noto, Veſta, favente tibi.
Dii quales faxint nobis lucescere ſoles
Ac toties lætas ire redire vices.
Qui modò gramineos oculis luſtrabimus agros,
Carpemuſque tuas pollice, Flora, roſas.
Mecœnas, Tibi non fuerit grave viſere Muſas.
Non ſemper Muſas atra cupreſſus habet.

aliud.

Sic tandem nitidos promit lux aurea ſoles,
Et ſua, poſt Geminos, Sidera Cancer habet.
Nec jam frigoribus terret glacialibus Arctos,
Flumina perpetuo ſtantque revincta vado.
Nunc alium cœli promittunt aſtra tenorem,
Et nativus adeſt, purpura, Veris honor.
Temperies juvat iſta animos & corpora noſtra,
Pluſque ſuum Juno nunc amet ipſa Jovem.
Talia perpetuis decurrite tempora fuſis,
Et veniant multi ſic ſine nube dies.

Digitized by Google

aliud.

Dum cœlum nimio terræque ardore dehiſcunt,
Et pecus in pratis ſtrangulat atra bilis,
Tu noſtri memor, ad Muſas, hoc ſole, venito,
Quas liquidi fontes ſemper, & unda rigat.
Penè tui nobis facies ignota, tuuſque
Exulat hîc vultus pene, leporque tuus.
Et rarò mihi, *Mecœnas*, commercia tecum,
Quæ ſolet Aſcanii ſæpè iterare labor.
Nunc etiam noſtros qui ceſſat adire Penates,
Et vult Neuhuſii non lateri ire comes.
PETRE, tibi litem intendo. Qui protinus iſtam
Egregio culpam carmine & ungue lues.

aliud.

Hi ſunt Elyſii campi, nova tempora Patris
Saturni, & Superûm viva tabella chori:
Quales hîc athei ducant ſi, ſub Jove, ſoles,
Tu nunc, ô dicent, altera vita, vale.
At mens noſtra ſibi meliores ſupputat annos,
Auguſtoſque alios cœlitus ire volet.
Hoc breve ſic tranſit miſeris mortalibus ævum,
Quæ ſunt de ſtipulis gaudia nata ſuis.
Hinc ducit via nos præceps ad tempora Brumæ,
Et ſenſim Muſas obruet atra dies.
Quæ tamen ut noſtris non ſint inimica Camœnis,
Hæc tua, *Mecœnas*, cura laborque dabit.

aliud.

Quando, *Mecœnas*, tibi nunc Sol purior exit,
Et non una tuâ ludit in aure tuba,
Ac Populi vox omnis amet bona dicere Verba,
Conciliat votis cum ſibi quiſque Deum,
Solennes inter ludos & gaudia læta,
Permittas etiam Vatibus eſſe locum.
NEUHUS tumque tuum, ſi non vetet iſta Senatus,
Reſpice pro Veſtrâ Thura Salute dare.

aliud.

Digitized by Google

aliud.

A patriâ sic Petrus abit nunc alite fausto,
Et vult in Druidûm ferre theatra pedem.
Illius ut gentis mores edoctus & artes,
Sic alio nobis possit & ore loqui.
I Soboles generosa, tuus quò te vocat ardor,
Et magni Pietas destinat ire Patris.
Et, tot cum Regum famulantia videris Astra;
Gallicus & puro stillet ab ore lepos,
In Morinis optatus ades. Unde, æquore tuto,
Ad nos felici puppe ferâre domum.
Collectasque animi Virtutes fasce sub uno,
Excultas toto nostra sub ora sinu.

CIↃ. IↃC. L. *Id. Junii.*

aliud.

Martia se nobis aperit feliciter aura,
Et melior Musis incipit ire calor.
Nec gravis adspectu Batavis se promit Olympus,
Insolitoque gelu, aut frigore Bruma horret.
Cur facilè id fuerit, nunc, post Connubia Natæ,
Auspicio primi veris adire Scholam.
Et Jove prognatam, veteri pro more, Minervam
Officiis iterum restituisse suis.

aliud.

In tranquilla redit tandem Respublica. Semper
Nec Batavos Regum grande laceſſit ebur.
Officiis istis Majestas Belgica pridem,
Albionum in medio, ritè operata fuit.
Nunc etiam Musis placeat submittere fasces,
Mecenas, Phœbo & Regna parare tuo.
Sæpius ut Batavi possint incudibus istis
Ingenii pretium ferre decusque sui.

Digitized by Google

Auſpicatiſſimis Nuptiis

D. CORNELII SCHAGEN HOOCHLANT:

ET

ANNÆ SPIEGELS.

NOn ſatis AURIACO meruiſſe in pulvere Lauros,
Et Titulos, HOOCHLANDE, tibi Nomenque Decuſque
Egregium, ad caveæ plauſum, & fudoribus æquis
Inveniſſe foris. Palma & Victoria major
In Laudes rellicta domi: quo Sanguine ab illo
Jam redeant veteres Vobis, uno ordine Achivi,
Et Priſca de gente Patres. Pulcherrima CONJUX
Deêrat adhuc, ſine quâ tacitas traducere noctes,
Et duram perferre Hyemem, canaſque pruinas,
Conſultum non, SPONSE, Tibi. SPIGELIA, *Lauris*
Pieridum, nata eſt, alias intexere Lauros,
Atque operi conferre manum. Parvoſque Nepotes
In Thalamo, haud doctâ moliri in valle Sororum.
Hoc genus acre Virûm, ſolerti indagine cæcos
Naturæ penetrare ſinus. Laus illa Puellis
Eſt teneris, fractum à curis & lite Maritum
Dulcibus obſequiis, blandoque inflectere ſenſu.
Certatum ſic Marte pio, certamine in iſto,
Flos virtuſque Fori Batavûm. Viciſtis uterque,
Formoſâ digni myrto, cœptiſque Hymenæis,
Et longum Elyſiis agitare in collibus ævum.
Nos à cortinâ Vates, & purpura celſa
Magnatum, lætos Vobis gratamur Amores
CONJUGII: Et, cum SOLE NOVO, quod ſoſpitet Æther,
Convivæque probent hilares, NATALÍA Sponſo
Ut Vitæ Thalamique Dies reſpondeat iiſdem
Auſpiciis: Et, cum novies impleverit orbem
Cynthia, non unam Mater SPIGELIA prolem
Amplexu rapiat medio, lactetque mamillis.

Sed

Digitized by Google

Sed plures CORNELIADAS, plureſque JACOBOS,
Fœcundo eductos gremio protrudat in auras
Æthereas: Olim, non inferiora ſequuti,
Poſt totidem Faſces & avitæ Stirpis Honorem,
Qui pulchro LATUM dimittant pectore CLAVUM!

cIↃ. IↃc. LVI.

Clariſſimi Viri,

D. ADRIANI SNELLII,

Eccl. Alcm. Paſt. &

SCHOLARCHÆ

OBITUS.

EHeu! ſic magnum CHRISTI ſub Tartara Vatem
Mors rapit, & ſacrâ nutat in Æde labor.
Atque iterum veteris Recti properata ruina eſt,
Virtutum pretio deficiente ſibi.
Pieridesque ſuas oderunt præmia Lauros,
Ut primum hoc Batavo Sidus in orbe perit.
Flos virtuſque Virûm, SNELLI, tua ſcena peracta eſt,
Exemploque doces maxima quæque mori.
Et nihil in terris exiſtere Solis ob ortu,
Quod non comminuat ſera frequenſque dies.
Fabula, Parca, tibi ſumus, & pila ludicra cuncti,
Atque inſtar bullæ, magnum & inane Nihil.
Hoc tantum magni, ſtudiis quod mobile vulgus
Vincimus, & CHRISTO dedita turba ſumus.
Quodque animos mentemque uni ſacramus Honeſto,
Et coram mundo luceat alma Fides.
Quod non ſegnities aliqua, aut infamia vitæ
Addictos vitiis in ſua caſtra trahat.
Ne malè Depoſiti cuſtodes ſimus & æqui,
Quo pudeat fœdi criminis eſſe reum.
At vixiſſe Deo, pulchrum eſt. Sic vivere, nobis
Præluxti claram, Magne ADRIANE, facem.
Cœca regens hominum veſtigia legis ad unguem:
Quo non his major Ductor & Author erat.

Digitized by Google

Hinc alium sacris Geniis delatus in orbem,
Nunc ubi tot rerum pondere liber agis.
Sed moreris nunquam totus. Suada inclyta mentis
Eloquiique potens fama perennis erit.
Et desiderium Patriæ Phœboque relinquis,
Concussâ nimium clade Sione tui.
Magne Deus! cohibe iratæ tua fulmina dextræ:
Hæc est in pœnas una procella satis.
Quæque Philoctetis tardi sananda senectæ
Vulnera sunt, illis, ô Pater, adfer opem.

cIↃ. Ↄc. L.

Amplissimo Prudentissimoque Viro,

D. ARNOLDO van der GRAEF,

Senatori & Scabino Alcmariano,

Comitatus Egmondani Quæstori.

MAgne Virûm, Latiæ Lux & Dux inclyte Musæ,
Pars animæ, GRAVI, dimidiata meæ;
Accipe Romanæ à nobis Cunabula Gentis,
Olim terrarum Sceptra stupenda Ducum.
Quorum diffusa est immensa Potentia terris,
Et virtute suâ Solem ad utrumque ruit.
Hos reges, hæc facta Virûm promittere sæclis
Serior est ætas ausaque nostra Domus.
Tu, GRAVI, quâ fronte soles, Regum accipe Fasces,
Jamque tuum Albanis Patribus adde Decus.
Hinc tecum ruturus magnorum ad limina Fratrum,
Quos Trabeæ & Clavo purpura Lata manet.
Sive per Heroas alios, Te Authore, legendus,
Quos Delphi insignes, Amstelaque ipsa tenet.
Utile sic forsan Musis, ac proderit olim,
Per Musas GRAVIOS demeruisse sibi.

cIↃ. Ↄc. LVII. *Idib. Sept.*

Amplis

Ampliſſimo Viro,

D. ANTHONIO MYROPIO,

Rationum Public. Commiſſario, &c.

DErfundit tua, MYROPI, me Gratia multis
Muneribus toties, innumeriſque bonis;
Morum ut ſuperet noſtram menſura Thaliam,
Et nequeam amplecti Verſibus iſta meis.
Haud aliter, quam ſi pleno tibi Copia cornu,
Et poſſis cenſus vix regere ipſe tuos.
Des modò, quod pulchris pluteos Scriptoribus ornet:
Munera quæ magni noſter Apollo facit.
Aut hæc, quæ poſſet mirari purpura major,
Inque ſui pretium ſollicitare Deos.
Has inter Laùros, atque inclyta dona Minervæ,
AURIACUS pulchro ſplendet in ære tuus.
Scilicet, hæc virtus, ſæpè & Sapientiæ prima eſt,
Quando etiam Cenſus negligere uſque ſuos.
Sparge nuces, nec pœniteat certaminis hujus:
Hoc quondam dives fœnore Pallas erit.

CIↃ. IↃC. LVII.

Nobiliſſimo Viro,

D. JACOBO van VEEN, JC.

Prætori Alcmariano, &c.

Ipſo die Natali. Anno Æt. LI. *Kal. Jan.*
CIↃ. IↃC. LVIII.

TEmpora dinumeras vitæ cum Solibus ipſis,
Et, quæ lux *Jano* eſt, lux quoque prima tibi eſt.
Abfuit his cunis infelix Scorpius ictu,
Et quodcunque mali nominis omen habet.
Cuncta ſerenato fulgebant ſidera Cœlo,
Et ſolito viſus pulchrior ire dies.
Non aliter naſci deberes, Optime Prætor,
Quàm Superis ipſis teſtibus, atque Deo.

Digitized by Google

Nestoreosque dies, & crudâ ætate senectam,
Ac decies lustris addere lustra decem.
Sub Cujus nobis major Clementia gliscit
Fascibus, & Batavis res magis æqua fluit.
Libertasque suum caput inter nubila tollet,
Et pretium Pietas intemerata feret.
Augustique Lares etiam Concordibus Astris,
Jungere Concordi se nisi lege volent.
Magne Virûm, cape felicis præsagia vitæ:
Arbitriis æther militat ipse tuis.
Spesque, ADRIANA, Tibi sit tanto in conjuge major,
Quem sine se nasci noluit ipsa THEMIS.
Et dudum Almerii Proceres, sanctusque Senatus
Agnoscunt columen grande decusque suum.
Nos, quibus hic epulis fas est accumbere Divûm,
Ad Superos sacras fundimus ore preces:
Ut, modò quem læti canimus Natalis honorem,
Hic illi toties ritè revertat honor.
Atque idem nostris votis consenserit astrum,
Ut nasci hos Phœbus viderit usque Dies!

Ad Nobilissimum Virum,

D. ANTHONIUM STUDLER.

Equitem.

Bergarum in Kennemariâ Topartham.

HIc iterum, STUDLERE, tuum se prodit in auras
Nomen, & à sero vultque Nepote legi.
Quod si displiceat, cur nos facis esse disertos?
Ingenio Vatum subjicis Ipse facem.
Irritare meas Musas & pulpita noli:
Posthac nec laudes, nec tua rura canam.
Sed tibi si placeat nostræ indulgere Thaliæ,
Crescet sub titulis ipsa Thalia tuis.
Et furere incipiam, cœlesti percitus œstro,
Illustris Veitri Nominis usque memor.

Nobi-

Nobiliſſimo Viro,

D. CORNELIO à TEYLINGEN,

Cos. Alcm. Weſt-Fr. Præſidi.

COnjugium, TEYLINGE, tuum, dulceſque Hymenæos,
Filiolæ & Cunas hîc mea Muſa canit.
Accipe Tu facilis noſtram, Vir Magne, THALIAM,
Et fruere in longum Melle & Amore tuo.

IN EFFIGIEM

CL. VIRI,

D. CORNELII SCHREVELII,

Gymnaſii Lugdun. Batav. Rect.

SCHREVELII, in Batavis, Muſas æquare canendo
Pieridum toto de grege nemo poteſt.
Solus qui ſæclo natus melioribus aſtris,
Virtutem ut doceat, Barbariemque domet.
Poſteritas, mirare Viri non unius acta,
Quæ ſunt unius ſed tamen acta Viri.

Illuſtri Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND,

à NIEUBURCH,

Præpot. Ordd. Holl. & Weſt-Fr. à Conſiliis.

SCHOLARCHÆ.

SIc nobis longè Geminis poſt terga relictis,
Mecœnas, gelidus jam Capricornus adeſt.
Arcturique truces, & vis immanior Euri
Inde à Riphæis montibus orta redit.
Et, pro jucundis Zephyris, pro Veris honore,
Sarmaticis nivibus cana revertit Hyems.

Digitized by Google

Par noſtræ vitæ hæc facies. Quibus acta juventa,
Et melior retrò cernitur ire dies,
Pullatimque ſuum Pollucem & Caſtora quiſque
Perdimus, & vitæ ſors minus æqua fuit.
Prima caleſcentes venis ſubjecerat ignes,
Quando purpureas veſtiit umbra genas.
Altera ſopitos animis exſtinxerat ignes,
Quando jam tremulos fregerat aura ſenes.
Ut ramale vetus, ſic nos marceſcimus annis,
Nec quicquam ex verna fronde & honore manet.
Ac tandem niſi truncus ineris, niſi frigus & ipſum,
Et ſpolium fatis ludibriumque ſumus.
Verque novum à noſtra jam dudum ætate receſſit,
Nec ſumus, ut quondam, maſcula turba, Viri.
Ipſaque non nobis, maturis ſolibus æſtas,
Carpere dat fructus amplius alma ſuos.
Sola ſed Autumni ſunt commoda tempora nobis,
Quæ dant ingenio, fortibus, arma ſuo.
Atque aliqua indulgent famâ ſuper æthera ferri,
Et non ex toto nos potuiſſe mori.
Hi fructus, hæc una ſeges, quibus horrea Vates,
Et pariter cellas ſedulo ſtipat apis.
Aurea ſed verè tunc nobis naſcitur ætas,
Quando iterum cœlo priſca Juventa redit.
Et, poſt informes Hyemes, Scythicaſque pruinas,
Gratior hac primâ venerit orta die.
Proque malis animis eoridem, fatiſque ſiniſtris,
Fulſerit à Cœlia Sol meliore comâ.
Quando nec furiis Aquilo, nec Parrhaſis Urſa
Frigoribus duris vimque metumque feret.
Et nos hinc alii, melioribus ignibus uſti,
Ibimus ad valles, pulchrior Ida, tuas.
Dulcis ubi requies feſſos complectitur artus,
Et nos perpetuum ver ſine nube manet.
Et nunquam rapido ferientur fulmine montes,
Aut trux in noſtrum ſæviet aura caput.
Optime Mecœnas, quando hæc nos cura remordet,
Quàm res ex voto vitaque noſtra fluet!
Veſtitique iterum pube & lanugine primâ,

Tunc

Digitized by Google

Tunc demum æterno fonte bibemus aquas.
Qualia Socratico nemo sibi dogmate vitæ
Gaudia complexus, mens neque læva videt.
Erige nos tales in curas, dum subit ætas
Deterior nobis, Magne potensque Deus.
Et novus hic Annus, sua qui post Lustra reverti,
Sit felix nobis, Pieridumque choro!

CIↃ. Ↄc. LVIII. *Kal. Jan.*

Amplissimo Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,

MED. D.

Consuli & Scholarchæ Alcmariano,

Semper per indo mundi.

Credita res vulgo, *Mundum*, statione peracta,
Jam pridem in partes, & *Chaos* ire suum.
Nec tam præsentem Batavo lucescere Solem,
Inque suos *Orbes* amplius *Astra* rapi.
Omnia sed retrò ferri, ac jam proxima letho,
Spectare in casus, exitiumque suum.
Deucalioneis velut actus fluctibus *Orbis*,
Totaque mox rerum machina mole ruat.
Nec jam nullus erat Naturæ nobilis ordo,
Nec peragant solitas ipsa Elementa vices.
Lucifero nescente diem non gentibus ullis,
Aut Phœbe antiquo more tenente vias.
Qui vos, qui nobis nuper rediistis Athenis?
Quis Cato de cœlis tertius iste canit?
Non hæc Assyrio vati manifestat Apollo,
Non numeris Babylon noverit ista suis.
Ipsos Cœlicolas fugit hora novissima mundi,
Et solum hæc, fas est tempora nosse Deum.
Monite corde metum. Jam nunc, Rubicone relicto,
Fatalem à tergo linquimus, ecce, diem.

Atque hinc, post veteres avias, post somnia vana,
Cernimus auspicio candidiore polum;
Multaque moliri redeuntem ad Limina *Jesum*,
Quæ patriæ faxint otia tuta togæ.
Ante *Diem Magnum Domini*, majoribus actis
Est opus, atque alius restat in orbe labor.
Ut seri videant haud falsa Oracla Nepotes,
Et capiat plenam pagina sacra fidem.
Quippe erat in fatis totam Babylona perire
Ob scelus, & pœnas ante subire suas.
Judæamque omnem conversam à Numine, gentem
Transire in veri verba fidemque *Dei*.
Terminus hîc rerum. Perfecto & tempore, tandem
Disrupto mundi cardine, finis erit.
Illa dies nobis augusto ut fulgeat Astro,
Mecænas, cœli faxit ab axe *Deus*!
Tuque Tuique omnes ventura in secula vitam
Ducite felicem, per *Bona Multa* precor.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXIII.

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. JOHANNI KNYFFIO,

Eccl. Alcm. Past. pr. SCHOLARCHÆ.

UT properant Anni meliores, Optime KNYFFI,
Acceleratque suum nostra senecta gradum!
Et totidem soles redeunt, iterumque recedunt,
Naturæ nunquam deficiente sibi.
Sed nos paulatim tacito consumimur ævo,
Corporaque interitu nec quoque nostra carent.
Omnia Fatorum dûrâ sub lege tenentur,
Et nihil æterni circulus orbis habet.
Vivamus, socios inter, pro tempore læti,
Et placeat cunctis sorsque salusque sui.
Conjugibusque vacet gelidas impendere noctes,
Inter seque diem frangere ritè jocis.

Ea!

Digitized by Google

n! ſubit à tergo fatalibus Atropos urnis,
Stamina quæ vitæ filaque noſtra ſecat.
ec quicquam ex iſtis, nimiùm quæ forſan amamus,
Intactum à vitio, labe ſuâque manet.
Proavûm ut nemo potuit ſe opponere morti:
Sic pariter noſtrum eſt Carnis inire viam.
oc unum eſt, KNYFFI, tùa quod vox ſæpius urget,
Et nos in Superûm ſcandere tecta facit.
t benè ſubductâ quiſquis ratione, Tonantis
Imperium factis exprimat uſque ſuis.
æc nos perpetuo ut teſte, exempliſque probemus,
Omnipotens Cœli faxit ab axe DEUS!
ui Te, quique Tuos in longos ſoſpitet Annos,
Hanc donec vitam ponere ſponte voles.

clɔ. Iɔc. LVIII. *Kal. Jan.*

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

ANDREÆ WINCKELIO,

Eccleſiaſtæ Nardenſi. Diſcipulo quondam dilecto.

Cum Amoribus inſerviret.

QUæ Te, WINKELI, offendit tam dira Charybdis,
Ut nondum votis annuat una Venus?
æmina res facilis ſemper, nec ad arma parata,
Iſteque nec pugnam, aut prælia ſexus amat.
ura & acerba Viri faciant. Quos Martis arena,
Ac toties bello provocat apta manus.
æmina nunc auſa eſt animis contraria ferri?
Fœmina nunc Thalamos nolit inire Viri?
ſon audita canis. Fieri quæ poſſe negabam,
Jam pridem fieri talia Tute vides.
ponte ſuâ Phœbum terris inducere noctem,
Quàm credam, ut poſſit Virgo negare Viro.
bone WINCKELI! Flammis melioribus uri,
Atque alio dudum nomine dignus eras.
à melius converte animum. Et, ſi lentior illa,

Noli

Noli tam lentas ferre in amore moras.
Aut citò det precibus veniam, & misereſcat Amantis,
Aut ſolam in thalamis hanc recubare fine.
In longum, pudor eſt, ſtimulis urgere negantem:
Non mihi, quæ longum quid negat, illa placet.
Amſtela dives habet, tutò quod poſſit amari,
Et flammas animi plus recreare tui.
Plenior in Veneres ubi campus, & area major,
Unde tibi poſſis, fortè placere magis.
Turpe tibi, in nimium ferveſcere fluctibus illis,
Moliri & magnâ ſedulitate nihil.
Pulchra tibi rerum ſacrarum credita cura eſt,
Qui CHRISTI paſcis Paſtor in Æde gregem.
Inter quas, Veneris licet obliviſcier artes,
Et ſolli officiis invigilare Deo.
Ergò Virum vireſque novas & pectora ſume,
WINCKELE, atque iſtas excute mente faces.
NEUSUS ſique memor, facili lege valle Sabinam,
Quàm longum miſere ſic patiâre jugum.

cIↃ. IↃC. LVII. X. *Kal. Jan.*

Doctiſſimo Præſtantiſſimoque Juveni

D. HENRICO PICARD. SS. LL. Cand.

Cum Amicorum Album mihi offerret.

DUm luſtras alio terras ſub ſole calentes,
Et procul à Patriâ mens agit ire foris;
Invenies multas hinc, inde, PICARDE, Sirenas;
Quarum vix doctos fugeris arte dolos.
Claude animos aureſque tuas ſeptemplice cerâ,
Exemplo atque Ithaci diſce cavere tibi.
Sic tandem optatam venies in Colchida tutus,
Et plus Phryxæo vellere dives eris.

cIↃ. IↃC. LVII. *Non. Novemb.*

Nobiſ-

Nobilissimo ac Generoso Viro,

CORNELIO NEOBURGIO ab EGMONDT.

E Septennii convictu Charissimo.

Cum Collegii Schermerani ASSESSOR *designatus.*

CHERMERA ritè tuis exsurgit ad æthera Musis;
Schermera delicias dat, NEOBURGE, Tibi.
hermera fertilibus glebis & cespite dives;
Schermera Pomonæ numine plena suæ.
hermera quadrupedum pascit tot millia campis;
Schermera Naiadum pulchra frequensque domus.
hermera commendat Venerem, studiumque Dianæ;
Schermera squammosum dat quoque dulce pecus.
hermera dat Batavos latices, aliumque Lyæum;
Schermera purpurei plus placet amne Tagi.
hermera cuncta tenet, sapiens quæ voverit ullus;
Schermera nil cedit, clara Bamæstra, tibi.
hermera, crede mihi, nunc hoc desiderat unum,
Schermera tuta tuis viribus esse queat.
hermera Nobilium sic facta Palæstra Virorum,
Schermera non unâ quæ sibi laude placet.
hermera plus tollit tunc celsa sub æthera frontem,
Schermera consiliis cum viget alma tuis.
hermera NEUHUSIUM quoque jam volet esse Poëtam;
Schermera plus magnâ, forsitan, urbe dabit.
hermera sic meritò seges est Tibi maxima laudum;
Schermera cum VIGIA CONJUGE sola juvat.
hermera, quando tuo Vatem sub sidere cernes?
Schermera, quando tui Ruris honore fruar?
hermera, Dii magni facite, ut se terminet astris,
SCHERMERAque immensis floreat aucta bonis!

CIↃ. IↃC. LVII.

IN OBITUM

Ingenui & magnæ spei Adolescentis,

CORNELII van der LYN, *Cognati*

Magni Oriental. Indiarum quondam præfecti Generalis Filii.

Convictoris charissimi.

SIc TE, sic rapuit, Juvenum dulcissime, Vitæ
In primo Nemesis flore & honore tuæ!
Deliciasque PATRI magno nunc subtrahis unus,
Et facis, ut meritò squalleat ista Domus.
Unus Natorum tantorum proximus hæres,
Et spes in Batavo grande decusque solo.
Obstitit invidies cœli. Nec crescere fœtus
In terris istos passus & ipse Deus.
Quem proprium sibi delegit Ganymedis honorem,
Et rapuit pennis Aliger ipse Jovis.
Sic meliora metit Lachesis, florentibus annis,
Et gliscit vitiis fœta Senecta suis.
Chare Puer, nondum Titan compleverat orbem,
Quo mihi convictu, & farre probatus eras.
Prima rudimenta & Musas à limine lustrans,
Castalius nondum tinxerat ora liquor.
Ecce, tibi flavum scindit Proserpina crinem,
Et Mors auspiciis invidet ipsa tuis.
Hinc capite exemplum, Vos ô, quibus integer ævi
Sanguis, & Aonidum quos alit artis honos.
Proximus à latere hîc vestro nunc occidit umbris,
Vobiscum sacri pars modò magna tori.
Cernitis, ut violis liceat nîl fidere vernis,
Et vitæ hæc prodat fabula quemque suæ.
Quàm sit inane nihil, famoso à sanguine nasci,
Aut Lare de Herculeo ducere Stemma suum.
Sive opibus censuque suo per publica ferri,
Sive suum Proceres inter habere locum.
Hæc CORNELIADES vivâ hîc in imagine pingit,
Istaque

Digitized by Google

ſtaque, quam coram cernitis, urna docet.
ritius ſanguis, flos illibate Batavûm,
Hoc pretium & carnis ſunt monumenta tuæ.
ic cape venturi certiſſima pignora Fati,
it Juvenem in primo diſcito flore Mori.

cIↃ. IↃC. LVIII. XXI. *Januarii.*

IN OBITUM

Clariſſimi & Doctiſſimi Viri,

JANI ERASMII, L.A.M.

Gymnaſii Alcmariani PRO-RECTORIS.

ſplevit vitæ ſic JANUS ERASMIUS orbem,
Et tandem ad metam venit & Ille ſuam.
ſinctus, poſt Luſtra decem, Soleſque gemellos,
n medio Ætatis penè vigore ſuæ.
s, ô Pierides, ululate in vertice, Nymphæ,
ic tanti caſum ritè dolete Viri.
ſſens ipſe ſuos oculos jam clauſit Apollo,
it lacrymas viſa eſt addere Suada ſuas.
us ab ore melos, quando ſubſellia verſu
regerat, Hyblæo dulcius ire ſolet.
iocuique ſales, & doctè copia fandi,
Quam niſi Cecropius tinxerat ipſe lepos.
ama, & claris narrato hæc Fata Sicambris;
n Batavis nobis alter ERASMUS obit.
, Phœbo, Muſiſque novem dilectior unus,
Quàm quondam Daphni Phyllis amata ſuo.
em nihil iſtorum latuit, quæ ſerior ætas,
Aut in deliciis ſæcula noſtra putant.
nnia complexus ſolerti indagine mentis,
Quæ veterum tabulis Roma, vel Hellas habet.
it vacuis, circum pictis tentoria velis,
Porticibus docuit Stôa, Scholiſque ſuis.
anc talem tantumque Virum, tot dotibus auctum,
Quis non, efferri funere, triſte putet?
mque ſuam ponat Tyrio de murice veſtem,
Et longo atratam ſyrmate verrat humum?

Terque

Terque quaterque tamen Felix, post vivere pulchrum
Qui didicit pulchrâ claudere morte diem.
Et jam se major, mentisque capacior altæ,
Alloquio fruitur, contuituque DEI.
Nulla ubi tempestas animum formidine versat,
Aut premit assiduus corpora nostra labor.
Sed nitidi semper soles, purumque serenum,
Et Pax æternùm nos sine nube manet.
Hæc rerum summa est. Vos hinc revirescere Lauri
Atque hederas, Vates quis, nisi stultus, amet?
Aut cupiat solâ se famâ & imagine macrâ
A serâ tantum Posteritate legi?
Alternis morimur. Tuque ô pia turba Sororum,
Nec potes invisos effugere ipsa rogos.
Sistite cantandi rabiem. Nos deinde sequemur,
Atque aliis Phœbi Lampada & arma damus.

cIↃ. IↃC. LVIII. XII. *Kal. Ap.*

Reverendo Doctissimoque Viro,

D. JOHANNI KNYFFIO,

Ecclesiastæ & Scholarchæ Alcm.

Cum Ejus NATALIA
Incidérent in VIII. *Octobris.*

HÆc est illa dies, quâ quondam Alcmaria Victrix
Libera servitio colla manusque tulit.
Et rursum, Auspiciis melioribus, ire Batavis
Sidera de cœlo visa serena magis.
Jam nullo civem, aut Musas turbante tumultu,
Balistaque gravi concutiente Larem.
Sed, post invisos tot Soles, arctaque nobis
Tempora, jam solito pulchrius ire polum.
Quò se posteritas meritò nunc jactitat ipsa
Et præsens nobis dat bona signa dies.
Quod rarum est, *KNYFFI*, mediis his orta Triumphis
Natalis vitæ nunc redit hora tuæ.
Et nos dum cuncti Alcmariæ Natalia votis
Prosequimur, pariter jam Tibi vota cadunt.

Nat-

esque tuos una comitamur ovantes,
i nunc parte sui publica sacra juvant.
i ineſt dextrum, ſpero, Concordibus Aſtris,
nil Fortuna hîc lubrica juris habet.
eniuntque iſtæ mirâ dulcedine Lauri,
res quid taciti Numinis illa tenet.
et OCTOBRIS quoties Lux alma revertet,
vino nobis *Knyffius* ore tonet.
e Dei laudes jam tunc effuſior, URBI,
que Sibi *reduces gaudeat eſſe dies.*

In novam Editionem

UVENALIS & A. PERSII.

Per

Clariſſ. Virum,

CORNELIUM SCHREVELIUM

M. Doct. Rect. Lugd. Batt.

dem etiam, Lector, nobis famulante Minervâ,
In medium *Satyras* cesnimus ire forum.
n per ſolam vexillum ferre Suburram,
que ſinu tacito, Flamineaque legi.
via eſt. Spatium Auruncæ hoc decurrit alum-
Sparta hæc illi non ſine laude fuit. (nus,
it hæc nuper Vates Venuſinus arenâ,
multis lucem fax dedit illa ſuam.
aliis orcheſtra data eſt, plauſuſque theatri,
os hîc in Tyrio murice & arte vides.
quibus ut pulchrum eſt, ridendo dicere verum,
medicam morbo ferre latenter opem.
us interdum aut vitiis præfigere Theta,
ſolido verſus tingere felle ſuos.
bene SCHREVELIUS meret hoc in pulvere Lauros,
titulos cernit non ſine laude ſuos.

cIↃ. IↃC. LVIII. *Non. Jun.*

Auctor.

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

C. HENRICO DRUYFF, JC

Senatori Alcm.

AD Te, chare *Druyfi*, mea destinat ire *Thalia*;
Auspiciis tanti sartaque tecta Viri.
Nec non à Vobis plausum desiderat una,
Subque tuâ gaudet tutior esse manu.
Audiat ista Deus! sua qui sic temperet astra,
Proximus ut *felix Fascibus* Annus eat.

CIↃ. IↃC. LVIII.

Ad Prudentissimum Amplissimumque

VIRUM,

D. BIBONEM à DOMA, JC

Illust. Fris. ordd, à Consiliis & secretis.

Cum jam jam filium ipsius animam efflaturum putaremus. A quo morbo tamen reconvaluit, & vita quasi restitutus.

SIc Batavûm imbutus Musis, & nectare sacro
Pieridum, Lauro neve unâ clarus & arte,
Iviſſet nunc DOMA domum. Spes magna Parentum
Et Patriæ telluris amor, nostræque Camœnæ
Grande decus. Secat, ecce, Pio Proserpina crinem
Hic Juveni, flore in medio, & lanugine primâ:
Impatiens tantas Frisiis adolescere Lauros:
In laudem Spartamque novam. Prô! Funera dant
Et nimium ploranda suis. Sic maxima sæpè
Terrigenûm studia in nihilum evanescere prorsus
Cernimus. Et rarò optatam contingere metam,
Quod quis apud Superos votis nimis acribus urget.
At tu, Magne Pater, cujus flagrantior æquo
Non debet dolor esse; tuos compesce dolores,
Ac gemitus. Patienter habe, quod ferre necesse est,

Digitized by Google

nutare nefas. Quando nihil accidit, olim,
nunc, quod non fiet. *Filius unicus*, inquis,
meus, & rerum columen, ſpeſque una mearum,
ſi fata volent, Sancti tutela Senatus,
ne unus ſenio afflictis cervicibus Atlas.
Te deſcendas, *Mecœnas optime*. Ne Te
liis oppone Dei cœleſtibus unquam,
tus meliora. Tuam quâ vivimus omnes,
ati quâ quiſque ſumus, ſortem inſpice prudens,
ales vitæ numeros. Quibus addere fas eſt
ius Europæ, bellis ferventibus, iras,
manaſque vices rerum. Num vivere tanti
nque metumque inter? Sic tempeſtatibus atris,
ſtique maris ſemper jactarier undis?
loria factorum Aſcanii de funere reſtat,
irtus non una domi. Date Lilia plenis
calathis, Nymphæ. Lernæam evaſimus Hydram
ytique lacus nigros. Cadit alea rerum
elius, tandemque ſacram comprendimus aram,
horaque in tutum jacitur. Nam, ſoſpite fama,
utumque ſibi lectis in faſce maniplis,
A meus, tandem propior felicibus Aſtris,
Mundo hoc major, Cœli in regione triumphat.

Alcmariæ CIↃ. IↃC. LVIII.
Idib. Aug.

In novam Editionem

M. ANNÆI LUCANI,

Ex accuratiſſima Curâ

CL. VIRI,

CORNELII SCHREVELII,

Gymn. Lugd. Batt. Rect.

iterum, *Lucane*, redis de Veſpere ſero,
In medium, & ſolito pulchrior ore nites.
mittens *Socerum & Generum* diſcordibus armis,
t, quam ſit Fratrum gratia rara, docens.
O utinam!

Digitized by Google

O utinam! cunctos, quos lumen amabile solis
Adspicit, haec pudeat monstra pudenda sequi.
Sub quorum auspiciis levis, ac pestè nefanda
Olim praeclari tot periêre Duces.
Exemplis, IULE, noces. nocet aemula virtus
Sceptorum, & Regum non bene junctus amor.
Sit procul à nostris Bellum hoc civile Batavis.
Nec coëant Gener hinc, nec Socer inde, malus.
Corduba SCHREVELIO statuas & marmora ponat,
Tam benè Pharsalicâ qui movet arma manu

CIↃ. IↃC. LVIII. Kal.

Epigramma

AD

Doctissimum & Praestantissimum Juvenem,

D. HENRICUM PICARDT

Cognatum,

Cum in Illustri FRISIORUM *Academiâ*

DE ELOQUENTIÆ

Laudibus peroraſſet.

Sic novus Ausoniae vindex ad Rostra revertit,
Eloquiisque suis FRISICA corda movet.
Et quid grande meis THEMIS auribus atque TULLIA
Uno promittunt nunc sociata jugo.
Dum spumat plenis iterum Facundia labris,
Inque meâ quondam Sede PICARTUS ovat.
Qui cavet antiquas nos labi rursus in umbras,
Pieridumque sacris triste redire Chaos.
Et sua vult tandem perrumpere nubila Sole,
Ac Suadam luci restituisse suae.
O benè felices, hoc ORATORE, Clientes:
Quorum pro Causâ hic ritè PATRONUS aget.

CIↃ. IↃC. LIX. *Id. Feb.*

Digitized by Google

AD

Doctissimum & Præstantissimum

VIRUM,

JANUM FOECLERUM,

L. A. M.

Collegam intimum.

Felicem nobis Annum, FOECLERE, precaris,
Et vis hunc nasci, non sine Amore, Diem.
Auspiciis animisque iisdem respondet Amori
Jam, cum SOLE Novo, nostra THALIA tuo.
Vive diu, FOECLERE, tuâ cum CONJUGE. Felix
De Cœlo & Vobis proximus Annus eat.
Vive diu, ac toties iterum redeuntibus Astris,
Hic redeat Vobis sic quoque sæpe dies.
Serò exemplis, & funere discite nostro,
Quàm miserum in viduo sit recubare Toro.
Vive diu, mecumque sacros Heliconis alumnos
Ingenuâ solers dexteritate doce.
Meriæ ut multos formemus pollice Cives,
Et Phœbi, in Batavis, Gloria major agat.
Usque tuo, FOECLERA, Viro fige Oscula blanda,
Oscula NEUHUSIO quæ dare blanda neges.
Et *fœcundus* agat, cœlo qui nascitur, Annus;
Et præsens redeat non sine Prole Dies.
Addiet hæc, forsan, JANUS. Tu masculus esto,
Mactæ Virûm, ut JANO sis quoque teste PATER.

Ipsis Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXII.

M IN

In Mortem
Clariſſimi Viri, Poëtæ Eximii,
D. HENRICI BRUNONIS,
Amici ſingularis.
Alcmariæ cIↃ. IↃC. LXIV. X. *Kal. Maji.*

OCcidit Ille Virûm Phœnix, pars maxima noſtri,
HENRICUS BRUNO. Delicium, HORNA, tuum
Occidit! Et ſecum Muſas Ille abſtulit omnes,
Pieridum toto ritè dolente Choro.
Qui, pridem in vivis, Divino munere Fandi
Principibus potuit jure placere Viris.
Et, Batavos extra fines, extraque Sicambros,
In Morinis etiam Sacra probare ſuis.
Ingenio natus populis, non Unius Orbis;
Fortunâ longè Major & Ipſe ſuâ.
Fama Viri Tanti Terras dudum evolat alis,
Oceani & vaſtis exſpatiatur aquis.
Nos ſequimur Te, Magne HEROS, per ſaxa, per ignes,
Ultimaque Officia hæc MANIBUS illa damus.
Et petimus Magnum Vates, per Vota, Tonantem,
Ut tua ſub Tumulis molliter oſſa cubent!

In Natalem
Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimique
VIRI,
D. PETRI SCHACKII, Eccleſiæ Alcm. Paſt.
Cum Ætatis ſuæ Annum XXXIV. ingrederetur,
cIↃ. IↃC. LXVI. VIII. *Apr.*

UT naſci poſſit Batavis felicius Aſtrum,
Et rurſum in terras priſca redire SALUS,
Id Genius Tuus, Oſque ſacrum, Clariſſime SCHACKI,
Jam toties orat per pia vota, DEUM;

No

los etiam, possit Tuus ut NATALIS ab alto
Hinc toties nasci, poscimus ore DEUM.
traque causa suis vigeat Successibus, Opto: (LUS.
Inde sua est BATAVIS, ALMERIÆ inde SA-

Ad
EUNDEM
Cum recusasset vocationem LEIDENSEM.

Leverat *Alcmaria* Civis, Juvenesque, Senesque,
Virginis innuptæ fleverat ipse chorus: (ret
im Te, Magne SCHAKI, sacra ad sua LEIDA voca-
Pulpita, & ad dotes surgeret illa tuas.
d Tu, constanti renuas cum pectore plausus;
Hos tales, nostrâ plausus in Urbe redit.
pueri simul & canis adsperſa senectus,
Virginis & totus riserat inde chorus.
serat & noster, Musarum in pulvere, Apollo,
Inque modum Saliûm nostra Thalia salit.
enè! quod, SCHACKI, planctus sedaveris istos,
Materiam & dederis lætitiæ atque joci.
ɔsperet illa Deus, quod non Amaryllida talem
Ambiat ingenii tam Generosus Honor.
d placeat Census etiam Tibi Sponsa minoris,
Quæ nunc Te proprium sic amat esse sibi.

cIↃ. IↃc. LXIV.

AD
EUNDEM.

)Mnia nunc donis & munere compita fervent,
Parcentesque manus non, nisi pauper, habet:
: faciles Superos intra sua tecta vocarint,
Propitioque illis sidere *Janus* eat.
t humiles vates ad pulvinaria divûm,
Cum tenui tantum carmine thura ferunt.
ebemus majora Tibi, *Clarissime Schacki*,
Nec par est meritis nostra Thalia tuis.
seat ut septis nostris tamen hostia parva,

Digitized by Google

Accipe Fatidici nobile Patris opus.
Quod pretium sanctis à manibus usque meretur,
Atque intra doctas vult latuisse manus.
I, sacrâ nunc luce, liber, penetrale sub altum,
Et præsta votis, quà potes usque fidem.
Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXIII.

Reverendo Doctissimoque Viro,

D. JOANNI KNYFFIO, V.D.M.

QUid precer ad sacras Tibi nunc, *Socer alme*, Kalendas?
Victima quæ *Jani* tempore læta cadet?
Munera sunt vatum plus quàm vilissima. Solum
Munera, quæ populo sunt in honore, placent.
Illa suis placeant cultoribus inter amicos.
Et *Socerum & Generos* sanctior urit amor.
Nos, vulgi officiis, nos fuco à corde remoto,
Sinceras *Domino* fundimus ore preces:
Ut Patriæ vortant benè nostræ cuncta saluti,
Et cedant nobis prospera cuncta domi.
Knyffiadæque sui solito stent more Penates,
Neuhusii & merito sint in honore Lares.
Quos poterit Thalami egregiâ donare coronâ
Auspiciis, pridem macta *Adriana* suis.
Hæc, precor, eveniant, Jani, *Socer alme*, Kalendis;
Hæc sit, quæ placeat victima læta tibi.
Prid. Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVI.

Ad

Amplissimum Virum,

D. PETRUM VRYBURCH, JC.

Cum Reip. Alcm. Senator designaretur.

SIc meritò in Patrios *Vryburgi*, assurgis Honores,
Et Virtute tuâ munera digna capis.

Judice

dice Quo metuam mihi non fæcla aſpera ferri;
Aut orbam priſcâ ſimplicitate fidem.
urus ineſt animo candor, pius ardor Honeſti,
In quem non dentes ſtrinxerit Ira ſuos.
mbitioque potens, & fallax cura nocendi
In populum, virus ſparſerit ulla ſuum.
xtra omnem poſitus labem, & contagia Vulgi,
Solus qui *metuat juſſa verenda Dei.*
elix his iterum Auſpiciis *Reſpublica!* Felix
Almeria hoc tali ſartaque tecta Viro!
elices Muſæ VRYBURGI in Nomine quondam!
Cum PATRIS in Muſas ſic vigilaret amor.
elices poterunt rurſum tunc eſſe Camœnæ,
FILIUS ut ſaxum hoc volverit Ipſe manu.
tque hunc Atlantem in ſeſe ſuſceperit audax,
Ut veteri redeat Lauſque decuſque Scholæ.

cIↃ. IↃC. LXV.

Fax nova Muſarum,

Exorta III. Maji, in reditum ad urbem,

Poſt XVII *Annorum, in Comitiis* HOLL. *&* WEST-FR. *confecta feliciter Patriæ Negotia,*

Nobiliſſimi Viri,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH,

Conſulis & Senatoris primi, &c.

EXoritur *Fax* una, mali prænuncia, nobis;
Quæ, credo, Europæ triſtia fata canit.
Altera *Fax* Batavûm Muſis ſolatia portat;
Dum Tu, *Mecænas*, mœnia noſtra ſubis.
Et vis in majus pulchrè ſe attollere Muſas,
Plus clarum & Phœbi ſurgere in Aſtra decus.
Sis felix ſoſpeſque diu, *Vir Maxime*, Secli
Gloria, & *Egmondæ Lux Columenque Domus.*

Digitized by Google

Ac porro Magni mensuram Nominis imple,
Utilis & longum Civibus esto tuis.

Alcmariæ
VI. *Maji.* CIↃ. IↃC. LXIV.

Illustri Viro,

D. JACOBO van der MOERE,

Domino in Herencaspel, &c.

Missio ad Ipsum Carmine in amores
Rev. Viri D. PETRI SCHACKII.

QUàm, memini, quondam fuit Urbs hæc Inclyta Musis,
Cum tuus in vitæ flore *Forestus* erat.
Teylingique mei, sancti pars magna Senatus,
Pieridum Studiis Præmia digna darent.
Ast nunc, cum bellis, jacet hoc venerabile Phœbi
Numen, & est plenis sordibus ipsa TOGA:
Ut pudeat meritò Vatem sua sacra movere,
Et, pro more pio, Pallade digna loqui.
Tu superes Fato, cum paucis, *Magne Toparcha*,
Qui prohibes Lauros Laude carere suâ.
Unus, Qui nostras, hac tempestate, Camœnas
Respicis, & SCHAKIO Carmina digna leges.

CIↃ. IↃC. LXVII. *Kal. Mart.*

In tristissimum excessum

Ampliſſimi, Prudentiſſimi, Literatiſſimique
VIRI,

D. JOHANNIS STEEN-HUYSEN, BAARTS;

Consulis & Senatoris Alcmariani,
Septuagenarii. A. CIↃ. IↃC. LXII. XII. *Feb.*

NOndum finis adest, Superi, furialibus armis,
Et mors sanguineas ponit iniqua manus?
Ut Patriæ rursum videamus in ordine Patres
Funeris hanc toties ire, redire viam?

Fata-

Digitized by Google

atalemque ſuam ſtringens Proſerpina falcem,
E primâ ut tollat Nobilitate viros?
Imus à tumulo vix reſpiramus & ictu:
Nondum animus liber, juris & ipſe ſui;
Ecce, novum cœli concuſſum è nubibus ignem,
Fulmineaque in Phœbi triſtia miſſa domos:
Antè cicatricem vulnus quàm duxerit ipſum,
Et mens aſſuevit ferre, patique jugum.
Eheu! STEEN-HUSIUM rapuit trux Æacus umbris,
Qui talem in vivis non ſinit eſſe Virum.
Impatiens tantas in majus creſcere laudes,
Clariùs & famam ferre ſub aſtra ſuam.
Cum quo nunc obeunt tot Nomina Docta, Catones,
Et Latium antiquum, Pergamaque ipſa ruunt.
Aonidumque cohors, charo velut orba parente,
Jam pridem noſtris cedere viſa Scholis.
Cujus & Exceſſu Reſpublica triſtior exit,
Et Batavus multum jam ſua damna dolet.
Nam rara in terris Avis eſt, Vir Palladis Arte,
Et plenum ſacro Numine pectus habens.
Uſque adeò vitiis hominum Divina Poteſtas,
ALMERIÆ CIVES, credite, læſa fuit.
Nec facilè hæc noſtrâ diſcedet ab Urbe Celæno,
Et ſe componet mitior Ira DEI;
Antè ſuis Animus maculis ſe purget iniquis,
Et vita à turpi crimine tota vacet.
Tunc primùm nitidos Soles fulgere ſereno
Fas erit, & purâ cernere luce diem.
Tunc totidem nobis Lacrymæ, planctuſque ſilebunt,
Atque erit à Fatis Funeribuſque quies.
Quare, agite, & pingues incendite Thuribus aras,
Omnis & in ſacris tranſeat acta dies.
Extremæque Horæ, LETHI, ſubducite ſummam,
Et penſa in Cœlis ſolvite juſſa DEO.
Enthea STEENHUSII Virtus, Menſque addita Divis,
Sarcophagi memores nos monet eſſe ſui.
Et non inſtabili fortunæ fidere quicquam,
Aut nimiùm fluxas diligere Orbis Opes.

Digitized by Google

In Nuptias

Consultissimi & Doctissimi Juvenis

D. ADRIANI SCHAGEN, Scab. Præsidis, &

Supr. Holl. & West-Fr. Curiæ Advocati

gravissimi.

Cum Eminentissimâ Virtute & Ingenio

Virgine

MARIA à VRYBURCH

Celebratas CIↃ. IↃC. LXVII. III. *Non. Apr.*

HOs Procerum Thalamos felicior adspicit Æther;
Et longâ melior res ea facta morâ est.
Schagenium totus Phœbi circumstitit horror,
Inque suæ Themidos Numine fixus erat.
Vryburgi Generosa domus, tot luctibus atra,
Non uno fati fulmine tacta fuit.
Singula quæ *Veneris* vetuerunt templa subire,
Conjugii & lentos præcipitare dies.
Aggeribus tandem ruptis, & nube remotâ,
Clarius in flammam se Venus ipsa dedit.
Quam non tot scopuli tot nomina sacra Minervæ;
Non ipsus potuit sistere Martis amor.
Perrupit Phlegetonta labor securus Amantum,
Nec pollens satis hic Ægide Pallas erat.
Dant vinctas, post terga, manus Astræa Themisque;
Et fervet nihil hîc, Justiniane, tui.
Jam ludit pharetratus amor, gestitque videri,
Et dextrâ fasces Diva Dione tenet.
Unde fori, legumque atrox proscribitur ira,
Et fixit sedem gratia sola suam.
Amplexusque vigent, & honestis basia labris,
Et quicquid castus non neget ipse pudor.
O optata dies *Sponsis*! ô læta ferena!
Quandò sic victor ritè triumphat Amor.
Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem
Devenient, acti per freta vasta Maris.

Et

: dabitur ſarcire malum, per mutua lecti
Gaudia, & ignavas exſuperare moras.
æterа *Conjugibus* lætis Diî cœpta ſecundent,
Ut Pylii poſſint vivere ſæcla ſenis.
:, Tu *Schageni*, in patriis confidere roſtris
Auſpicio meritæ clarus honore Togæ.
uque referre *Pisæ* Nobis, ô *Sponſa*, *Parentem*,
Et Batavis *tantos* reſtituiſſe *Viros*.
mnibus in *Pacem* ſimul adjurantibus Aſtris,
Ut ſint tuta domi, tutaque cuncta foris.

Doctiſſimo Præſtantiſſimoque Viro,

). BORCHARDO CNIPPINGIO,

In illuſtri Gymnaſio Lugd. Bat. Correctori,

Cum de morte CORN. SCHREVELII

Ad me perſcripſiſſet.

S*Chrevelii* manes, & triſtia funera Muſis,
Quod tua *Cnippingi* littera mœſta canat,
d doleo ex imis, Heu fata inviſa! medullis,
Nec parvum hoc circa pectora vulnus agit.
Deliquium tunc pene animi perpeſſus, & inter
Hæc mala, vix compos mentis & ipſe meæ.
Quàm vellem lætas iſtinc tua pagina Lauros
Mitteret, ac Muſis nomina digna tuis!
Ut nuper, quando egregiâ de ſtirpe *Neandri*,
Deque tuo caneres, ſanguine grata mihi.
Schrevelii pietas jam dudum æquârat Olympum,
Et geminis alis ſcanderat illa polum.
Ingenio major, quàm mundi hæc frivola coram
Cerneret, in terris & grave ferret onus.
Cûi vivo Phœbi chorus aſſurrexerat omnis,
Et plauſum dederant tota theatra ſuum.
Quis furor, ô Superi? ſolio depellere Muſas,
Et turbare iterum nunc Helicona ſacrum?
Ut terras luſtrare novas, ignotaque tecta

Digitized by Google

Visere cogatur noſtra Thalia foris?
Et Batavum involvat tenebris nox atra Lyceum,
Tiſiphone Stygias concutiente faces?
O Superi, per ſacra Deûm, per noſtra precamur
Viſcera, ne ſerpat latiusiſta lues.
Ne penitus Muſæ priſcis pellantur Athenis,
Et ſenſim pereat Palladis iſte labor.
Siſtite Camenſem, cumulato funere, ſtragem,
Et tandem refugas nunc revocate Deas.
Adverſum furias, nobis, animoſque rebelles,
Propoſitum eſt acri bella movere manu.

Alcmariæ CIↃ. IↃC. LXIII.
III. *Kal. Sept.*

In Natalem XXXIII.

Clariſſimi Viri,

D. PETRI SCHACKII. Eccl. Alcm. Paſt.

NEubuſius mediis dum Sponſam amplectitur ulnis,
Et Sponſum redamat Sponſa *Adriana* ſuum,
Officiiſque piis certant Pallaſque Venuſque,
Et pariter junctæ tot coiere Deæ,
Schackiadæ læto redeunt Natalia cœlo,
Gratior Alcmariæ lucet & axe dies:
Quo gaudet non una cohors Parnaſſidos aulæ,
Lætitiâque fremit nec ſatis una *Sion*.
Vos cuncti, quibus eſt nunc cura incendere lauros,
Nectere legitimis & nova ſerta Toris,
Una etiam Magno Vati perſolvite honorem,
Illius & decoret victima multa lares.
Sic erit, ut Sponſo felicior annuat æther,
Et Sponſam placitus plus recreabit amor.
Hæc ſunt, quæ feſtâ, Tibi, *Schacki*, luce precamur,
Votaque de nobis quæ Paranymphus habes.
Tu ſemel adde tuas, ad pulvinaria Divûm,
Cum *Sponſo* ut valeat ter benè *Sponſa*, preces.

CIↃ. IↃC. LXV.

Ad

Ad

Generosissimum Virum,

MICHAELEM RUYTERUM,

Archithalassum, Feliciter

De Britannicarum Classe profligata

TRIUMPHANTEM.

GRatia sit Superis! parta est VICTORIA Belgis,
Inque meas aures. Iò Triumphe! sonat.
Iò Triumphe! sonat, per cunctas protinus oras,
Notum ubi Belgarum Nomen Honosque fuit.
Vicimus Invictos, Pelagi nova Monstra, BRITANNOS,
Et sunt Communi reddita JURA Mari.
Quique suos nuper strinxit malè sedulus ungues,
Hic demum visus fortior esse LEO.
Excutiens oculis somnos, animisque veternum,
Et quicquid turpis causa timoris erat.
Quis, RUYTERE, Tuas valet has ad sidera Laudes,
Hæc & in Annales acta referre suos?
Deficiunt apices. Bellandi Gloria nunquam
Ulli ex Majorum sanguine major erat.
Fatis, credo, tuis major, RUYTERE, fuisti,
ANGELUS & pugnax adstitit Ipse Tibi.

cIↃ. IↃc. LXVI.

Digitized by Google

Piis Manibus
Invictissimi, Illustrissimi, Fortissimi
Principis,
PR. GUILIELMI FREDERICI,
Com. Nass.
FRISIÆ, GRONINGÆ, OML. DR.
PRÆFECTI, &c.

Hic, Spectator, habes, primo quod Solis ab ortu,
Solis ad Occasum, mens tua jure stupet.
Magnanimûm Heroum, Quos non capit ambitus Orbis,
Hîc positos cineres, exuviasque vides.
Nassoâ de Gente Duces, Fatalia Belgis
Sidera, contuitu nec nisi digna Deûm.
His sacris Templorum adytis, Spolia ampla refigunt,
Ostenduntque suâ parta Trophæa manu.
Ernesti Magni soboles, par nobile Fratrum,
Hîc pulchrè attollit celsa sub astra caput.
Frisiadæ, Lauros istas, totidemque Triumphos
Magnorum his meritis credite ritè Ducum.
Sub Quorum Auspiciis Libertas Belgica crevit,
Publica Resque domi tuta, foris que fuit.
Felices Patriæ Patres! Quibus, Omine certo,
Hoc ipso Princeps sanguine natus adest.
Successorque novus. Quo, jam vergentibus annis,
Usque etiam à Proavis Frisia major erit.

Alcmariæ
CIↃ. IↃC. LXIV.

Ad

Ad invictissimum
REGEM GALLIARUM,
LUDOVICUM XIV.
Cum Nobilissimum Virum,
GUIDONEM PATINUM, Medicum
Parisiensem Literis adirem.

VIcisti, *Ludovice*, truces in bella Gigantes,
Et Spolium magnus nunc Tibi Turca fuit;
Europæ fines ultra progressus in orbem,
In quo Barbaries non nisi tristis agit.
Et Scythicæ Gentes latis dominantur habenis,
Marsque suas Leges solus & arma tenet.
Vicisti, *Ludovice* potens, tunc Solis ab ortu,
Jamque etiam, sero Vespere, Victor agis.
Et Tu dum populos Vincis, nos Vincimus in Te,
Belgaque Borbonio non minor ipse Jove est.
REX INVICTE, tuis assurgere Laudibus optem,
Et MAJESTATI dicere digna TUÆ!

ALIUD.
Cum in *Bellum Belgicum* Copias auxiliares misisset, contra
MONASTERIENSEM EPISCOPUM.

CAROLUS in bellum dum Marte potentior exit,
Et per cuncta jacit nunc Elementa manus;
Auxilio, LUDOVICE, venis Terrâque Marique,
Nec Vis, ut fiat Vis inimica Tibi
Fœderibus junctis BATAVIS. Quorum arma Salusque
Borbonios etiam nunc tetigere Deos.
Magne Ducum! Tua sic Virtus se terminat Astris,
Liliaque æternum promeruêre Decus.
Dum *Rosa* paulatim sterili flaccescit arenâ,
Et Res Albionum prospera visa minus.

Digitized by Google

Armorumque tuus metus illic terruit Orbem,
Quò REX, sola Tui Militis umbra venit.
Cujus ad adspectum trepidusque repente refugit
A nostris pridem finibus Hostis atrox. (ramus,
Templa TIBI quoque STATORI, LUDOVICE, Pa-
Multa ubi pro *Tanto Nomine* THURA cadent.

cIↃ. IↃC. LXVI.

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. PETRO SCHACKIO, Eccl. Alcm.

Pastori eximio.

Cum vitæ suæ Annum XXXI. *ingrederetur,*
cIↃ. IↃC. LXIII. VIII. *Apr.*
ipso Dominico die.

NAsceris aurato, *Schacki*, sub sidere *Tauri*,
Et vitæ est testis nunc sacer ipse dies.
Quando vix primæ maturo flore juventæ
Sex tantum in terris *Lustra* peracta Tibi.
Optatus fuit ille dies, plenusque salutis,
Quem meritò in fastis littera sacra notet.
Debueras alio, *Schacki*, nec sidere nasci,
Aurea nam linguæ Suada Venusque tuæ.
Eloquiisque potes vel duras ducere quercus,
Et plus *Threïciâ* corda movere *chely*:
Sit felix *Lux* ista Tibi, *Vir chare* Tonanti,
Natales redeant & mihi sæpe tui!

AD EUNDEM,

Cum Vocationem Ecclesiæ Amstelodamensis excusaret.

ALmeriæ *Proceres*, Vobis, fatalibus Astris,
SCHACKIADÆ Pietas cœlitus orta fuit. (phis;
Quam non LEIDA suis meritis, non HAGA trium-
AMSTELA divitiis non ferit ipse suis.
Mœnibus ut tantis postponat Mœnia Vestra,
Et placito nolit vivere more sibi.

Hic

c eſt, ſupra omnes, Animi Generoſior actus,
In quem non vires Fulminis ictus habet.
are loco diſcit ſic nunc prudentia major,
Et non huc illuc vertere vela mari.
ıthea quæ mentis vis eſt. Puto, maſcula Virtus,
Et res exemplo penè ſideque carens.
res URBES certant SCHAKII pro nomine. Credas?
Fortior ALCMARIA eſt URBIBUS una TRIBUS.

CIↃ. IↃC. LXIV.

Reſponſio ad Eruditiſſimas literas,

Nobiliſſimi Viri,

D. JACOBI van der MOERE,

Domini in Herencaſpel &c.

Cum me ad ſeceſſum ſuum Schermeranum invitâſſet,
XIV. *Kal. Junii* CIↃ. IↃC. LXV.

GRatius eſt, fateor, vernantia cernere prata,
Et facili curru per nova rura vehi,
Quam Pelagi ſteriles, ad littora, radere arenas,
Et mala vicini monſtra videre maris.
Schermera plus Muſas verè recreabit agreſtes;
Et locus ingeniis hîc magis aptus erit.
Hoſtibus Oceani Furias, Scyllaſque relinquo.
Hîc, in Equis, latis exſpatiamur agris.
Schermera pro falſis undis, pro fluctibus atris
Vatibus haud dubium læta falerna dabit.
Unde erit in ſacris major facundia menſis,
Naſcenturque pii tunc ſine dente ſales.
Clarus ubi ſolitas intendet *Knyffius* artes,
Auguſto & poterit *Kyfftius* ore loqui:
Schatkiadæque fluent divino nectare ſucci,
Vibrabitque ſui *Reckius* arma fori.
Reuſius & verſu veteres modulabitur ignes,
Hujus, crediderim, pars quoque magna chori.
Schermera, pande pias Muſis illuſtribus ulnas,
Et nos in gremium conde benigna tuum.

Sitque

Sitque dies totus nobis sine nubibus iste,
Accedatque jocis ingeniosus amor.
Et benè sub Trabeis istis ac tegmine fagi
Mens nostra à curis sit relevata suis.
NEUHUSIUS sese tantis Heroibus addet:
Qui Mæcenatem non negat usque sequi.

Ad

Clarissimum & Doctissimum Virum,

D. BERNHARDUM HOEMOET.

Cum Culemburgo vocaretur ad celeberrimam

Ecclesiam Suollensem.

INvidiæ nuper stimulis, *Cognate*, petitus,
Invidiâ hac tandem celsiùs Ipse eluis.
Et Quem tunc Hominum pars vilior oderat, Illum
Sublatum ex oculis nunc dolet esse suis.
Amstela si Fatis, forsan, non debitus istis,
Fatis, crede, tuis hinc meliora manent.
Suolla Tibi in patriam Cœlo vestigia signat,
Quæ sola est votis debita Sparta tuis.
Suolla Tibi Delphi sunt & Dis Amstela. Suolla
Auspicio facta est ara Salusque Tibi.
Quo non se Livor protendet & ambitus audax:
Totus ubi deges in Jovis ipse sinu.
Vive diu, *Cognate*, isto sub sidere felix,
Et magnis offer debita Thura Diis.

cIↃ. IↃC. LXVII.

Tristes exequiæ

Nobilissimi & Amplissimi Viri,

D. JANI ab EGMOND à NIEUBURCH,

Consulis Alcmariani.

EFferimus magni, Cives, sic Consulis urnam,
Et comitem tantis Manibus ire juvat.
Occidit EGMONDÆ STIRPIS Generosa propago,
In Batavis summæ Nobilitatis honos.

Oc-

Digitized by Google

cidit Aonidum decus indelebile Vatum,
Vir ſæcli, in terris, gloria rara fui.
genium, quo non unquam, præſtantius ullum
In Templis vidit ſacra Minerva ſuis.
o toties Patriæ ſub Dictatore poteſtas,
Et viguit Legum priſtina jure fides.
ijeſtaſque ſuis ſublimius acta quadrigis
Hinc ultra nubes & tulit aſtra caput.
inere quo liceat vivis hoc diſcere: Nullum,
In longum hîc nobis duret & exſtet opus.
ve domi, plus quam Reges tenuere beati,
Poſſideas unus divitis arva Tagi.
ve per ingenuas artes tranſmiſeris annos,
Et magni ſubeas in penetrale Jovis.
ntra divinam hanc Nemeſin fruſtra arma move- (mus.
Hîc omnes pariter nomen inane ſumus.
obilitas, ſplendor Proavûm, virtuſque Parentum,
Omnia ſunt fatis nomina nata ſuis.
numeſt, quo certos quis poſſit habere penates,
Si cœlo vitæ terminet acta ſuæ.
ec ſeſe à mundi patitur cruciatibus uri,
Nec mole hac carnis deteriore premi.
t nunc exemplis teſtatur maximus Auctor,
Quando ſui ſatur, & numine plenus erat.
ıviſamque diu cupiens abrumpere lucem,
Complexa eſt quando mens ea ſacra Deum.
agne NEOBURGI, Divûm tibi grator honores,
Et, pro mortali hoc carcere, Sceptra Poli.
nde tuos Batavos moliri in pulvere terræ
Exiguo cernis nil, niſi grande Nihil.
c inter dubiam Pacem, Bellique timores,
Huc, illuc toties, turbinis inſtar, agi.
elix, ô nimium felix! qui ſidere dextro,
Hoc tecum in portu libera vela trahit,
t non formidat crudeli ex hoſte nefandam
Barbariem & Scythicas, per nova monſtra, minas;
ed vitam ſecurus agit, magnique Tonantis
Se ſemel in partes condidit, atque ſinum.

CIↃ. IↃC. LXII.

In

Digitized by Google

IN NATALEM

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. PETRI SCHACKII, Eccl. Alcm.

Pastoris Celeberrimi: Cum vitæ suæ annum ingrederetur XXXII. VIII. *Aprilis.*

NOminis antè mei venient oblivia Musis.
Quàm Musæ poterint non meminisse Tui.
Quas omnes novus in campum nunc elicit ardor,
Cum capiti liceat nectere Serta tuo.
Natalemque diem non uno exsculpere Versu,
Proque pio Officio munera ferre Deo.
Sic benè NEUHUSIO præsto sunt Numina. Quicum
Ipse parum fidat jam sibi, Apollo canit.
Extra nos rapimur, quoties Tu pulpita scandens
Incipis ad populum voce tonante loqui.
Pono chelyn, plectrumque meum. Fastigia rerum
Hæc humiles terrent ardua, crede, Deos.
Vos mecum, FELIX *Ecclesia*, Dicite, CHRISTI,
Cui tanta in terris cœlitùs orta Pharus.

CIↃ. IↃC. LIV.

In secundam Editionem

Gymnasii Eloquentiæ

Patris P. M.

EDONIS NEUHUSII

ELoquium, Romane, tuum, quis credere posset?
Hîc etiam extremo, FRISIUS, orbe docet.
Innumeris spatiis Italo Gens axe remota
Penè sub Arctoo sidere nata poli.
Usque adeo pulchrum est, melioribus ignibus uri,
Accensamque sibi Lampada rite sequi.
Et natas alibi segetes, felicibus auris
Transferre ad nostri munera vimque soli.

Plu-

Digitized by Google

udite ad hæc, Batavi. Vobis hinc aurea meſſis,
Et finite, in noſtris laudibus illa dari. (quendi;
ſcimus hinc Veterum normam, formamque lo-
Et quâ ſe Orator lege modoque probet.
m Suada iſta Virûm Tarpeïa ſacra moveret,
Sæpius Antonio tunc metuente ſibi.
, fateor, tantò doceoque libentius illa,
Cum PATER ipſe, mihi prævius, iſta docet.

cIↃ.IↃc. LXIV.

In Conſulatum Primum

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri,

D. ANTONII STUDLER, Equitis, &c.

Gratulor Aonidum hoſpitio, ſacræque Minervæ,
Et Baravis Vates gratulor uſque meis,
uod nunc SSUDLERI pietas præluceat aulæ,
Curiaque & tantum ceperit aucta Virum:
ujus ab ingenii ſummis Virtutibus olim
Publica res poterit plus tribuiſſe ſibi.
lmeriæque Decus totis ſe effundere habenis,
Hinc in non uni ſubdita regna polo.
elix Magnatûm cecidit ſic alea votis,
Et verè, hoc primùm gaudia nata die.
uando mei, Patriæque Patres pulchro ordine ſacras
In manibus Faſces, Imperiumque tenent.
os ô, Vos longum Præluſtria Nomina Vatum
Tranquilli in terris ſceptra tenete manu.
onſiliiſque piis, quibus eſt Diis æqua poteſtas,
Commiſſum Vobis ducite ritè Gregem.

Errat in Augurio Poëta.

HEi mihi! quod valeant nihil hîc Suffragia noſtra,
Excidat & votis ipſe Poëta ſuis.
Magne Deus, tibi Fata queror tam lucis iniquæ,
Alea quod votis non cadat æqua meis.

Gratari

Gratari & liceat ſupremum hunc Urbis honorem,
Nec, STUDLERE, Tibi, nec Tibi Chare SOCII
ipſis Natalibus Chriſt. Sal.
CIↃ. IↃC. LXIV.

Ad
Invictiſſimum Regem Galliarum,
LUDOVICUM XIV.
Ut victricia ſua arma in Turcam expediat.

NOn ſemper LUDOVICUS amet, blandæque THERESÆ
Infuſus gremio gaudia pacis agat.
Explicet arma etiam per inertia ſæcula victor,
Extremoſque Getas, Barbariemque domet.
Tempeſtas Orbi noſtro ne ſurgat ab Iſtro,
Et rurſum miſero ſanguine Rhenus eat.
Sunt LUDOVICE, Tibi fulgentes ære catervæ;
Sunt in procinctu fortiaque arma Virûm.
Sunt & opes, animique pares cœleſtibus auſis,
Sunt Tibi, neſcio quot, Nomina juncta Deûm.
Cæſaris eſt bello non res componere tantas,
Hîc opus Auſpiciis, REX LUDOVICE Tuis.
Cûi plures etiam ſervant hinc fata Triumphos,
Et ſors in majus, deſtinat orbis opus.
CIↃ. IↃC. LXIV.

Ad
Nobiliſſimum Virum
D. ANTONIUM STUDLER. Equitem, &c.
Kal. Jan.

TUrbavit nuper ſortes temerarius Augur,
Et nimium infelix alea jacta fuit.
Cum Te, cum tantas Generoſo in pectore dotes
Non ſatis ex merito condecoraret Honor.
Nunc ut STUDLERI melioribus exeat urnis
Nomen,

Digitized by Google

Nomen, ab Auſpicio pendet, IANE, tuo.
TŪDLERI in terris rara eſt Avis, Inclyta Virtus,
Quam niſi paucorum mens oculata videt.
t ſolùm melior novit dignoſcere Pallas,
Cûi fidei, cûi plus Relligionis ineſt.
noſtris abſit Muſis poppyſmate quemquam
Percutere, aut ficto pectore verba loqui.
Aens & lingua mihi trutinâ librantur in unâ,
Nec poſſum ingenii vim ſimulare mei.
Purâ mente Deum, pro *Te*, pro *Conjuge*, proque
Dulcibus *Aſcaniis*, nocte dieque precor:
Vobis, Illuſtres animæ, ut vergentibus Annis,
De cœlo eveniant, quæ precor Ipſe mihi.

cIↃ. IↃC. LXI.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH,

Illuſt. & Præpp. HOLL. *&* WEST-FRISIÆ *Ordd. Deputato.* CONSULI *Alcmariano.*

De felicitate Belgarum.

DIcite nunc BATAVI, gemino gens inclyta mundo,
Quid par hîc veſtris laudibus eſſe queat?
Ingentes hinc, inde animos & Martia facta
Dudum ſub rapidis Sol ſtupet ipſe Polis.
Uſque adeo noſtris rebus fortuna quid addat,
Hoc fruſtra votis imperet ipſa ſibi.
Viderat iſta Tagus, cum non par ille LEONI,
Pacatas ultrò tenderet uſque manus.
Et nuper populo infenſus, ſine jure, Britannus,
Et Rex, Arctoo ſub Jove, Marte potens.
Omnibus his poſitæ Leges & Fœdera Sceptris,
Omnibus his terris arma faceſque ſilent.
FELICES nimium! quando hæc faſtigia rerum
Afflatus ſacro Numine, Belga capit.

Et

Et ſecum memori ſemper ſub pectore verſat,
Purpura quod Regum ſit bene fida parum.
Nec ſtare æternis hominum ſub legibus Urbes,
Quando aliò cives Principis ira vocat.
Nunquam animo fortes magis, atque potentibus ar-
Quam ſi nos clypeo protegat ipſe Deus.
Et Libertatem, tanto quæ ſanguine conſtat
Heroum, porrò vindicet æqua manus.
Virtutiſque magis ſtudio, quam Marte timendi,
Nitamur ſolitâ Cœlipotentis ope.
Atque animi vitiis Sapientum opponimus arma,
Ne nos tranſverſos Ambitus ullus agat.
Improbitaſque fori veri pervertat amorem,
Et Zelus minimæ nos pietatis alat.
Ergo alacres iſto, Belgas, nos Marte probemus,
Contra Hoſtem & quiſquis militet ipſe ſuum.
Submittatque graves iras, animoſque rebelles,
Ut mens ſit nulli conſcia, turpe mali.
Atque unum nobis fuerit certamen honeſti,
Unde ſibi Lauros quiſque Decuſque paret.
Hæc ſpolia ampla ſatis. Non in Mavorte cruento,
Aut tot cæde Virûm, fortibus ulla ſalus.
O utinam! ſancti Batavûm pars ampla Senatus,
Mæcenas, cœlo ſoſpitet illa Deus!
Et, cum Sole novo, nova Te fortuna beatum
Pulchrè per patrios tollat ubique lares.

cIↃ. IↃC. LXII.

Ad Nobiliſſimum Virum,

D. JOANNEM à NYENBURCH, JC.

Iterum CONSULEM creatum

Alcmariæ.

O Benè felices Annos & Tempora! quando
Vir pius & prudens Templa Forumque regit.
Et, Populos inter, doctus molitur habenas:
Exemplo, quanti ſit pia vita, docens
Hæc nunc *Alcmariæ* à ſuperis fortuna parata eſt,

CURIA

CURIA cum tales promovet ipsa Viros:
Quorum humeris tutò sese Res Publica credit,
Et vult non alio Marte manuque regi.
Iyburgi Generose, Tuis in honoribus, omnes
Testantur purâ gaudia mente Pii.
Sollicitasque animo curas exire jubemus,
Et solito major pectora versat amor.
OMNIPOTENS fâxit, majestas protinus ista
In famam seræ posteritatis eat.
Vosque diu placidam vitam sub fascibus istis,
Et soles multos ducere ritè sinat:
Ut LIBERTATI semper sua gloria constet,
Ac maneat, salvâ RELLIGIONE, Fides.
Tu modo ne Spartam hanc detrectes, *Optime Consul*,
Omnibus hæc vox est CIVIBUS una tuis.

CIↃ. IↃC. LXIII.

Reverendo Clarissimo Viro,

D. JOANNI KNYFFIO, Eccl. Alcm. Past. pr.

DUcitur adversis Fatis mortalibus ævum,
Et Res stat Batavis non satis æqua loco.
Hinc, inde in populo variis nascentibus Hydris,
Quæ nocuum pleno pectore virus alunt.
Paulatimque suo contactu in publica serpunt,
Et tacitè nobis damna metumque ferunt.
Unde novis iterum flagrent terroribus Urbes,
Et plus civili sanguine roret humus.
ABRAMIDÆ VATES, Tuque ô *Clarissime Knyffi*,
Hæc ut ne noceant, sitque procella procul,
In Procerum medio, Divûmque penatibus altis,
Orate ingentem, per pia vota Deum.
A votis precibusque Diem si ordimur & ANNUM,
Res Batavûm stabit sic satis æqua loco.
Et, quæ nunc dubiis puppis jactatur ab undis,
Non dubium, in portu naviget illa suo.
Nec facilè in partes studia & contraria Patres
Hinc, cum finitimis, ire videbit IBER.

Sed

Digitized by Google

Sed melius se cuncta domi, concordibus Astris,
Inque Fori sacro limine cuncta ferent.
Alme Pater cœli fac ut sine Numine læso,
Omnes Divinæ PACIS amemus opus.
AURIACUSque illo semper sub tegmine tutus,
Tollat honoratum CELSUS in astra caput.
Et Tu, mi KNYFFI, fatis sic utere dextris,
Ut sit sorte tuâ non Domus ulla prior.
Nec quisquam virtute suâ plus splendeat illo,
Quo tua nos solita est Suada docere loco.

cIↃ. IↃC. LXIV. *Kal. Jan.*

Nobilissimo Amplissimoque Viro,

D. THOMÆ ab EGMONT à NIEUBURCH,

Consuli & Scholarchæ Alcmariano.

RE sagitur, Batavi, plenis, hoc tempore Monstris,
Et tutum est nobis non satis inde latus.
Dum gravis Albionum tempestas surgit ab axe,
Et se finitimi ad bella manusque parant.
Discordantque ipsi, nullâ ratione, propinqui,
Et fratrum inter se gratia rara viget.
Posthabitâ antiquâ nunc Religione Parentum,
Quæ, quondam, his populis summo in honore fuit.
Extremi, vereor, ne sint hæc sæcula mundi,
Ac tacitè ex alto culmine, Belga, ruas.
Matura est vindicta Dei. Peccavimus omnes,
Et vix est pietas ulla fidesque foro.
In vetitum rapimur cuncti, & mens conscia recti,
Prô pudor! haud ullo est conspicienda loco.
Digni, quos meritò Tarpejum fulmen adurat,
Supplicioque gravi Tartarus ipse premat.
Sed tu, *Magne Deus*, vitiis ne irascere nostris,
Judicium inque tuum crimina nostra vòca.
In Scythicas Gentes, in Barbara nomina, Turcos,
Immanesque Getas intonet ira poli.
Nos pia progenies, nos sacri turba Tonantis,

Et

Digitized by Google

Et ſcelerum puri, flagitiique ſumus.
Que novos animos, ſtudium & tranſire parati,
Siqua pios Cœlo reſpicit aura reos.
Hæc ſunt quæ Jani ſacrâ cum Luce precamur,
Et volumus magnos conbibere aure Deos.
Quæ diu poſſis, *Mecœnas*, vivere, & annos
In Patriæ laudes continuare tuos.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXV.

Reverendo Clariſſimo Viro,

JOANNI KNYFFIO. Eccl. Alcm. Paſt.

Actenus in tuto nobis ſtat Belgica puppis,
Et ſpes nos omnes aurea Pacis habet.
Pitiuſque Dei favor, & clementia nondum
In Batavis gentem deſerit uſque ſuam.
Ceter quod diri Martis nos terreat umbra,
Et Patriæ nubes orta ſit atra meæ.
Æ ſi prætereat nos, bruti fulminis inſtar,
Quam benè reſpondent Numina ſancta Tibi!
Uri armorum Belgæ, veterumque malorum,
Quæ pridem nobis nuncia ſæva tulit.
Hic ego de fibris imis, *Pater optime Knyffi*,
Oro Deum, ut belli deſinat iſte furor.
Bionumque animi, poſt litem hanc, poſtque procel-
In totidem invictæ fœdera pacis eant. (las,
Mque novis anni auſpiciis, Janique Kalendis,
Ad nos tunc redeant ſæcula blanda polo.
Iæ veteres Lauros, victricia ſigna, reportent,
Et læta in terris otia civis agat.
Inati Natæque tuæ, flos ille Juventæ
Nobilis, in vitâ, ſint & honore diu!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXV.

Clarissimo Viro,

D. CORNELIO SCHREVELIO. Med. D.

In illustri Gymn. Lugd. Batt. Rectori.

Cum novâ editione donasset

P. OVIDIUM NASONEM.

Hîc, Duce SCHREVELIO, capitolia ad ipsa subimus,
Et flore antiquo, Roma videnda datur.
Omniaque in Latio, coram quæ cernere fas est,
Cernimus, ac pariter turba diserta sumus.
Qui nos Divini NASONIS nomine pulchrè,
Ingeniis quantum Diî tribuere, docet.
Et quo se, virtus, & vis ingentior, extra
Humanæ spatium mentis, ad astra ferat.
Antiacoque facit sub judice templa renasci
Pieridum, & Batavis ut sit Apollo novus.
Augustosque alios in nostris finibus optat,
Ne qua sui pretio destituatur honor.
Clara Deûm soboles, Peligni gloria ruris,
Post veteres iterum jure renate rogos!
Cum quo tot redeunt nova nunc miracula mundo,
Accipiuntque novas pectora versa notas.
Felicesque atrosque dies didicere nepotes,
Per quos est fari non *tria verba* Togæ.
Ac totidem Veneris, quibus est fœcunda, lepores,
Inque suos solita est ire Corinna toros
Denique quo cuncti melius sperabimus ægri,
Nec vitium nobis, nec sit amare, pudor.
Romulei sacra ista fori ne nocte vetustas
Obruat, hîc unus SCHREVELLIO usque labor.

CIↃ. IↃC. LIV.

Carmen

Carmen Jocosum

In

PRÆDAM CHRISTIANAM,

Virginem Nuptias recusantem.

Grata memoria & amoris ergò.

NUbere quod nolis Vati, *Pulcherrima Prædæ*,
Et tantùm CHRISTI *Prædæ* manere toro,
oc durum perferre mihi. Quippe unus in illam
Hactenus hos oculos *Prædam* animumque tuli-
d, major Tædis Hominum, puto, *Prædæ*, fuisti,
Quàm tuus in *Prædam* cedere possit amor.
ut pars humanis fieres, Tu *Prædæ*, lacertis:
Mortalis, Conjux conscia facta Viri.
utinam! *Prædæ* nobis pars inde fuisset!
Prædæque nostra fores, quæ modò *Prædæ* Dei.
equicquam Divûm *Prædas* in vota vocamus,
In *Prædas* tales nil homo juris habet.
dite Terrigenæ: non est hæc *Prædæ* Batavo.
Diîs genitis *Prædæ* janua sola patet.
oc unum satis est de hac *Prædâ* dicere Vati:
Nuper ego *Prædæ* talis amator eram.
nunc rivales habeo super æthera Divos,
Qui soli has *Prædas* eripuere mihi.
animæ pars, *Prædæ*, meæ, mea gaudia, *Prædæ*!
Una mihi ad sacrum *Prædæ* Helicona Comes!
na mihi in dubiis spes & fiducia, *Prædæ*.
Una mihi in vivis. *Prædæ*, reperta salus.
e semper doctæ celebrabunt, *Prædæ*, Camœnæ,
Te sine non *Prædâ* lux mihi grata venit.
quoties *Prædam* lacrymis adspersimus istam!
Huic *Prædæ* quoties oscula blanda dedi!
æter me nulli *Prædæ* hæc est credita Vatum
Una hæc sic placuit *Prædæ* petita mihi.
ıâ sine si cogar vitam hanc traducere *Prædâ*,
Id, vereor, ne sim, mors quoque *Prædæ* tibi

Digitized by Google

Et de me dulces pridem *prædetur* amores,
Qui *Prædas* omnes nos jubet esse suas.
Hoc solùm adversis solamen: *Præda* Tonantis
Et CHRISTO in *Prædam*, *Præda*, quod una manes.
Ergò vale, Dilecta mihi *Præda* omne per ævum,
Quando Ego Te nequeo Conjuge, *Præda*, frui.
Præda vale, mea *Præda*, vale. *Prædator* honestus
Attamen illius *Prædæ* & amoris ero.
Et cum sit vetitum thalamis te jungere *Prædam*,
Ponè tuas umbras hinc modò, *Præda*, sequar.
Extremùm, mea *Præda*, vale. Nunc pulchrior Uxor
Cœlo CHRISTI, non mea *Præda*, manes.

CIↃ. IↃC. LXI.

Epigramma

Ad Ampliss. & Consultissimum Virum,

D. H. de BLAU,

Advocatum Provin: Frisiæ & Pensionarium Leovar.
Cum pridem Judicium suum interposuisset

DE

FACE CORUSCA,

Visa per Regna & Urbes Europæ.

NOn Vatum est Animus semper, super omnibus idem,
Nec Pietas unam monstrat ad Astra viam.
Nos hîc, in Batavis, quos nuper vidimus Ignes,
IRATAS Cœli sensimus esse FACES:
Materiem occultam Naturæ has dixerit alter,
Cum nolit meritus verbera digna pati.
Quis Sphingem hanc solvet nobis, ænigmata cæca,
A Frisiis Vates, Oëdipusque novus?
Nec Te, mi BLAVI, nec me Divinus Apollo
Fatorum hos Tripodas cernere mente dedit.
Eventus probat acta Dei. Nos Panicus urget,
Insoliti cum quid nascitur, ecce, Metus.

Hoc

Digitized by Google

Hoc possum Vates, pro certo dicere: Vatem
In Frisiis Musas jam genuisse novum.
Quando nunc Cyrrhæ, media Permesside, fontes
Majores nobis BLAVIUS ire jubet.
Quo fas est tandem Ductore, atque Auspice, sacram
Pieridum in templis ritè movere chelyn.
Et, quando haud aliter defendi Pergama possint,
Fortia Nassoviden suscipere arma manu.

cIↃ. IↃC. LXIV.

Epithalamium

IN

Honorem Nuptiarum,

Consultissimi & Doctissimi Viri,

MATTHÆI SCHOOFF, J.U.D.

ET

Eminentissimæ Virginis,

ELISABETHÆ GOLIATH.

cIↃ. IↃC. LXIV. *Idibus Feb.*

DUm Goliatha suis in Bellum accingitur armis,
Cessant Bella fori, Justiniane, tui.
Cessant atroces rigido cum Codice Leges,
Et, cessat, quidquid Pagina tristis habet.
Oscula, Complexus, Poppysmata, Jura puellæ,
Hoc unum in Thalamis discere, Sponse, tuum est.
Nil hîc quàm Pacis circum aures Buccina clangit,
Solaque *Schoffiadæ* Carmina digna Toris.
Verbaque quæ placidis sunt convenientia Tædis,
Et læto in Musas Omine Cypris amat.
Felix! Qui tali permutat Rostra Duello,
Jurgiaque & Lites dulcis Amoris agit.
Nec semper Puteal qui versat, Stentora vincens
Clamando; aut linguæ prælia dira gerit.
Sed secum lentos in blandâ Conjuge Soles
Dividit, & casti Bella Pudoris agit.

Digitized by Google

Posteritas numeret serâ unde in Stirpe Nepotes,
Et Mundi hoc pulchrum ritè perennet opus.
Mars placet hic Batavûm Egregiis Ductoribus. Ultrò
Donec det victas Ille, vel Illa manus.
Aft hoc qui Victor, vel Victrix Pulvere; tandem
Ostendent uteri Pondera plena sui.
Macti Ambo in Venerem nunc ite, & Prælia macti!
Ut *Goliatha* brevi munia Matris agat.
Schooffiadesque sui Monumentum & Pignus Amoris
Viderit in vivis Laude & honore frui.
Unus nam Labor est & spes Certaminis una,
Fœmina quod fortem provocet ipsa Virum.
Cætera, quæ Thalamis, & Amoribus obvia, *Sponse*,
De Cœlo, precor, ut prosperet ista Deus!

FAX CORUSCA

Ad

Horrorem formidinemque spectantium visa Ann.
XXIX. *April.* CIↃ. IↃC. LXIV.

Circa octavam Vespertinam.

QUid sibi vult Fax illa Poli, Fax illa coruscis
Ignibus in Cœlo, Luminibusque minax?
Quæ pridem à Frisiis, extremos usque Britannos
Insolito Cives terruit igne suo?
Non dubium, Peccata hominum quin Pœna reposcat,
Et nunc quid Monstri Res ea rursus alat.
Sive iterum truculenta Lues caput exerat Orco;
Semina vel Belli nunciet Ira Dei.
Non impunè unquam diri fulsere Cometæ,
Aut frustra nobis Sol sua Signa dedit.
Vidimus hæc quondam Pueri, cum, crine minaci,
Ostendit sese Virga tremenda Dei:
Quæ tunc, Danubium supra, Rhenumque bicornem,
Totius EUROPÆ sanguine tinxit aquas.
Magne DEUS, nostris prohibe hunc à finibus Ignem,
Et Populum extingui non patiâre tuum.

AMSTE-

Digitized by Google

MSTELA fat furias & funera triſtia ſenſit,
Exemploque ſuo fanda, nefanda tulit.
rodigiale rubens FAX hæc quæ viſa, ſiniſtro
Omine non iterum ſit nova cauſa mali.
int Scythicæ Gentes, ſunt Barbara Nomina, longè
Diſſita, quæ Pœnas jam meruêre diu.
ld Fatales, ſtrictis mucronibus, Ignes;
Illò ſe pleni fulminis ira ferat.
Jos humiles, DEUS ALME, tuis advolvimur Aris,
Et petimus, ne quid FAX ea Triſte canat.

Nobiliſſimo Viro,

D. JOHANNI à NYENBURCH,

Illuſt. ac Præpp.

DD. ORDINUM HOLL. & WEST-FR.

Deputato.

MAgne *Pater Patriæ*, Tibi nunc gratamur honores,
Quos pridem Pietas obtulit ipſa Tibi.
Jano teſte damus pro Te Diîs Thura Camœnæ,
Et petimus, Felix proximus ANNUS eat.
Nyburgique Domus celſis ſe terminet Aſtris,
Majorum à meritis Nobilitata Domus.
Et redeant noſtris rurſum aurea ſæcula terris,
Qualia Saturno digna fuêre Sene.
PAXque meos Batavos, firmis complexa lacertis
Reſtituat profugas ex Helicone Deas.

cIↃ. IↃC. LXVII. *ipſis*
Kal. Jan.

Digitized by Google

Alloquutio Sacra.

Ad

Nobilissimum & Doctissimum Juvenem,

D. ANTONIUM STUDLER,

Illustris Viri

D. ANTONII STUDLER, Equitis,

Bergarum in Kennemariâ Toparchæ, &c.

Filium Primogenitum,

Cum ad exteras Regiones iter sibi proponeret.

ERgò agis, & Batavis, *Studlere*, excedere Terris
Fert animus; nec Te rura Paterna tenent.
Visquè foris lustrare tuis incognita Musis
Nomina, & in Druidûm Te penetrare Scholas
Leida satis Generosa Tibi Præcordia pridem
Finxerat, Insignem & fecerat Arte suâ.
Multa patent ubi Clara tuæ Vestigia Famæ,
Et labor exemplo est plumbus ille tuus.
Tempus erat VIRTUTEM alio quoque Sidere & Orbe
Quærere, & ad Populos, trans MARIA, ire Novos
A quorum Ingeniis & Moribus illa reportes,
Quæ forment Mores Ingeniumque magis.
Vade, Deûm Soboles, quò Te vis Enthea Mentis,
Quo Generis Splendor, Nobilitasque vocat.
Et, cum Borbonii Majestas Inclyta Sceptri
Visa satis, PATRIÆ Te quoque redde tuæ.
Quæ sibi non alios in Censum admittere Cives
Gaudeat. Hoc tali sanguine clara Virûm.
Aligerûm Cœli Turmæ comitentur Euntem,
Adsistatque Tibi SPIRITUS Ipse Dei.
Qui tua per planum ducat Vestigia, perque
Tot scopulos felix, & breve, donet iter.
Ut tandem, justis Titulis & Honoribus auctus,
VIRTUTUM accendas LAMPADA rite Domi.

Nosque

Nosque Omnes, pariter Vivos, Matremque Patremque
Hic iterum invenias, ad tua regna redux.

CIↃ. IↃC. LXIV.

Auspicatissimo Honori,

Illustris & Nobilissimi Viri,

D. ANTONI STUDLER, *Equitis*,

Bergarum in Kennemariâ Domini, &c.

Cum publico applausu Reip. Alcmariana
SENATOR *designaretur.*

ALCMARIA.

HIc, STUDLERE, Tuo tandem sub vertice major
Nunc facta, in Cœlum nobile tollo caput.
Et cedo in Batavis, nulli: quando ipsa Virorum
Jam Virtus nobis mœnia tuta dabit.
Consilio Procerum cecidit sic alea felix,
Et sese à nostrâ Numina parte locant.
Nec semper gravis esse volet Deus imbribus atris,
Aut terrere minis, armaque ferre manu.
Quando etiam rediit, post nubila, dulce serenum,
Ac tumidi rursum se posuere noti.
Et, quæ perdidimus Magnatûm in Funere nuper,
Tu, STUDLERE, mihi, maxime, reddis, Eques.
Accipe quos dono Cives Tibi, Numine coram,
Et rege jam fasces, qui Tibi ritè dati.

APOLLO.

Numina nunc nobis iterum famulantur & Astra,
Visaque, post tenebras, lætior ire dies.
Quæ poterit sacro Musas Helicone relictas
Splendori antiquo restituisse suo.
STUDLERI egregiè manus hic nunc emicat: Una
Armatum qui non Ægide pectus habet.
Et facile in lucem ac Solium mea sceptra reponet,
Barbariemque suo Numine sistet Eques.

Digitized by Google

Nil equidem metuam STUDLERO JUDICE nobis.
Stat benè STUDLERI Musa patrocinio.

POETA.

Magne Vir, *Almeriâ* qui nunc agis *Urbe* Senator,
Et latè Fasces Imperiumque tenes,
Vive diu: ac, tanti mensuram nominis implens,
Optatus longum *Civibus* esto *Pater*.
Ac *Patriæ Patres* inter, laudesque Tuorum,
Publica Communis sit Tibi Cura Boni.

Ad

Nobilissimum Amplissimumque Virum,

D. THOMAM ab EGMOND à NIEUBURCH,

Illust. ac Præpp. DD. Ordd. HOLL. *&* WEST-FRIS. *Delegatum.*

Post adversam valetudinem vitæ & viribus restitutum.

ERigimur Vates iterum, Te sospite nobis,
Mecœnas, vires Musaque nostra capit.
Et solito Phœbi magis exardescimus igne,
Quando Tibi antiquo forma colore redit.
Jamque nitet viridi sub pectore mascula Virtus,
Ingenioque decus, quod fuit ante, manet.
Qui modò, dejectis animis, victique dolore,
Et rapti fuimus Tartara ad ipsa simul.
Cum tot ferales caperet Domus una cupressos,
Ac Trojæ hæc facies altera visa mihi.
FRATRE prius lateri avulso. Post, Conjuge Charâ
Extremum Fati præcipitante diem.
Quod Patriæ Proceres fœdavit vulnere multo,
Et secum tristem noctem hyememque tulit.
At nunc hæc nobis sunt funera, causa triumphi,
Quando istas nubes excipit alma dies.
Et Tibi, qui fuerant, vultus rediere sereni,
Visque animi superat tam generosa tui.

De-

Digitized by Google

Functis est parta salus, super æthere summo,
Gaudiaque in cœlis, qui bene vixit, agit.
Nos nemo hinc nostrûm votis huc posse reverti
In terras cupiat, corporibusque tegi.
Sed ubi perpetuò felix, expersque malorum,
Et semper summis plena scatensque bonis.
Hoc unum precibus, post nubila, totque dolores,
In primo hoc Anni limine, JANE, rogo,
Ut meus in longum *Mecœnas* vivere possit,
Et Batavis felix imperitate suis.
Hostraque sit tali sub Judice tura THALIA,
Almeriæque diu floreat Urbis Honos!

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LXII.

Nobilissimo Viro,

D. JELTONI ab EYSINGA. JC.

Ex Germaniâ reduci.

Dspice, quàm multâ nobis nive tempora sparsa,
Quamque meas ornet prima senecta comas.
Putatus multum, *Dices*, ab Apollinis illo,
Qui quondam, vultu, de facieque tuâ.
Sic color ut seris tandem mihi venit ab annis;
Sic etiam venit non sine Honore mihi.
Non Animi tamen ex Annis mutata figura est,
Candoris tenet hic pristina signa sui.
Qualem me quondam licuit tibi cernere coram,
Hunc talem hoc etiam cernis in ære Virum.
Has Tabulas istâ suspende in parte Penatum,
Quâ pendent Priscæ Nobilitatis Avi.
Sic PRÆCEPTOREM merito dignaris honore,
Qui præcepta meæ PALLADIS unus amas.
Cætera, NEUHUSII quæ vovit Epistola pridem,
Hæc, EYSINGA, Tibi FRISIDOS Aula ferat.

cIↃ. IↃc. LXVI. *prid. Triumphalium de fugatis Britannis.*

Digitized by Google

Ad

Inclytum Heroa

NELIUM TROMPIUM,

-Archithalassum apud Batavos.

& Feliciter pro Patria Pugnantem

Contra BRITANNOS.

) Patriâ caput objectare periclis,
e suis Aris & gerere arma Focis.
e toties immittere flammas,
ım sævas nec trepidare manus.
ıam si tumidis in fluctibus esses
:o; mox Hydra, atque ipsa Chimæra mi-
nctas doctus Te vertere formas, (nix.
irati hoc æquoris ipsa tulit.
ıomen, velut actum *Numen* ab alto
on uni terribile usque fuit.
ter Ipse suis præiverat ante,
; Hunc sequitur *Filius* inde suis.
;, Ambo fortes felicibus Armis!
vis Ambo Scipiadæque novi.
:eritas credet mortalibus armis,
ûm instructos Marte fuisse pari.

CIↃ. IↃC. LXVI.

Ad Batavos.

atavi, niveo est signanda lapillo,
m in serâ Posteritate meret.
victis legimus spolia ampla *Britanni*,
nobis Æquora more patent.
cus nostrum se terminat Astris,
n felix in sua regna redit.
'opulis sub Sole stupenda videntur,
mens Hominum, nec ratio ipsa capit.
ex Ille trium, mox sidera lambens
ıunc Batavo cogitur ire minor.

Et

Digitized by Google

Libertatem, quæ tot defensa per annos,
Sanguine Majorum, quà datur usque, pati.
Itague Deus, quibus officiis tibi Belga tenetur,
Quem facis à mediâ surgere rursus humo?
Atque hunc in veteres Fasces, Soliumque reponens,
Invidiam contra, tollis in Astra poli.

Ad
Deum Opt. Max. In Cælis.

QUando iterum in pugnas Batavus prodibit, & Ar-
Audaci stringet Carolus ipse manu, (ma
Tu, Deus, Adjutor nobis & Ductor adesto,
Et fac, ut Batavis alea dextra cadat.
Hic discet nimios frænare Britannia Fastus,
Et Jove quod summo debeat esse minor.
Kal. Augusti. cIↃ. IↃC. LXVI.

De Portentoso Incendio
URBIS LONDINI, In Angliâ,
XII. die & aliquot sequentium, Mensis Sept. cIↃ. IↃC. LXVI.

TAndem de Cœlo justas Deus ardet in iras,
Et statuit pœnas Hostibus ille suis.
Nec patitur semper felices esse tyrannos,
Quos juvat effusi sanguinis unus amor.
Carolus exemplo quod nunc ostendit aperto,
Cuî nisi sola placet plena Cruore sitis.
Et fœdam ingluviem cæsorum pascere acervis;
Regalesque, pudor! tingere cæde manus.
Cujus nunc meritò sceleri Vindicta paratur,
Quando *Urbs* hæc flammis *Regia* tota perit.
Totque Ducum, Procerumque domus, Delubraque
Ante suos oculos, abstulit ignis edax. (sacra,
Qualia, vix credo, Annales Incendia narrant,
Historicique docet teste probata fides.
Nondum cælestes animum hæ tetigere favillæ,

Digitized by Google

Et tua Vis maior corda, BRITANNE, movet?
Nondum Bella sacræ permutas PACIS amore,
Et saturum tantis pœnitet esse malis?
Inque pios Batavos meliores concipis ignes,
Quàm nunc demissos cœlitùs esse vides!
Debueras hausisse aliquid de semine Patrum,
CAROLE, quos melior fama sub astra tulit.
Quos non Mavortis rabies, non arma cruentæ
Tisiphones Furiis abripuêre suis.
Sed qui cum Batavis Pacem coluere propinquis,
Uni Animis, uni Relligione, Fide.
INCLYTE REX, summi Te nunc Jovis excitet Ignis
Ignibus ut PACIS corripiâre novæ.

Tamesis expugnatus.

SIc iterum à Batavis pelago præfectus *Achilles*
Mittitur in portus, *Magne Britanne*, tuos:
Ut LIBERTATEM pulchris sibi vendicet armis,
Et rem Belgarum nomine dignus agat.
Albionumque truces compescat Marte furores,
Et causam stricto disputet ense suam.
Annuit his cœptis jam nunc felicior Æther,
Miraturque suas GENTIUS Ipse manus:
Quas illi ad pugnas acuit divina Tonantis
Dextera, & hostiles frangere fecit Opes.
O nimiùm dilecta Deo Gens clara Batavûm!
Cuî Deus ex alto porrigit Ipsus Opem.
Et parêre dedit Ventos & sidera Cœli,
AC TAMESIM iratum subdere sponte caput.
Dicite Posteritas, & sæcula sera Nepotum:
Hæc est non uno Numine plena dies.
Hoc est in titulos assurgere Gentis avitæ,
Et Batavum è mediâ tollere nomen humo.
Quando non tugurî congestum cespite culmen
Urimus; aut tectis subjicimusque facem;
Sed ferimur ferro circum ipsa Palatia Regum,
Et penitus clausas Ditis ad usque domos.

cIↃ. IↃC. LXVII. *Mense Junio.*

In

Digitized by Google

In superbas jactationes

ANGLORUM,

De *Piscatorum Casis* & tuguriis incensis,

In littore Batavorum.

[Oc tanti! imbelles Vulcano incendere puppes?
Et per nuda maris littora ferre pedem?
oc plus est, URBEM REGALEM incendere flammis,
Et tot Magnatum subdere tecta rogis.
AROLE, Fatidicos Superûm scrutare recessus.
Non hæc est Hominis; sed manus ipsa Dei.

Reverendo Clarissimo Viro,

JOANNI KNYFFIO, Eccl. Alcm. Past. pr.

Kal. Jan.

)Enè meas odi Musas, & Sacra, Poëta,
Dum nequeo veteri Pallade digna loqui.
esolitam resonare chelyn, chordasque priores,
Ut, quondam, doctâ sollicitare manu.
um sit tam Phœbus vilis, tam sensus iniquus
Pieridum in sacros, otia nostra, Lares.
Te tamen ad Musas nostras pia vota ferentem,
Chare Socer, nunquam negliget artis honos.
Te, veniente die, Te, decedente, per omnes
Æternum terras, nostra THALIA canet;
Et, quoties JANI Lux aurea fulserit Orbi,
Solque suo cursu cœperit esse novus.
Et quoties Phœbo Fratri contraria Phœbe
Herculis Occiduo proluet imbre caput.
Nulla dies, nox nulla tuis sine Laudibus ibit
Immemor; obsequiis usque parata tuis.
Quod JANUS, spero, bifrons, se teste probabit,
Et Vatem verè me volet esse pium.
Ut possis, ô *Chare Socer*, non unius Anni,
Tempora, sed Pylii vivere sæcla senis.

Donec

Donec, felicis vitæ ſtatione peractâ,
Cæleſti hinc cupias tunc ſtatione frui.

cIↃ. Ↄc. LXVII.

Ampliſſimo Prudentiſſimoque Viro,

D. THEOD. à VRYBURCH, Med. D.

Conſuli & Scholarchæ Alcm. &c.

TEmpora, *Mecenas*, quæ tot numeramus ab annis,
Prævia ſunt mortis nuncia, morte ſuâ.
Cum tacitè nobis, non intellecta ſenectus
Fit propior, Fato corripiente gradum.
Dumque aliud facere in terris mens noſtra laboſat,
Diſcedit vitæ portio magna ſuæ.
Paulatimque Mori noſtra inter penſa videmur,
Et fieri ſubitis mancipia ipſa rogis.
Felix Ille animi! quem non hæc frivola tangunt,
Et mundi hoc ſecum ridet inane NIHIL.
Omniaque in terris, quæ ſic rude vulgus adorat,
Fortunæ hæc ſpolia, & ludicra cuncta vocat.
Qui fragiles animo ſapiens expendit honores,
Et totidem ſpernit, quas petit alter, opes.
Sed, pauci tales, quos ſacra hæc cura fatigat,
Quique animi ſanis ſenſibus illa vident.
Et quicquid ſupra nubes, cœlique ſerenum
Inferius terris, pro nihiloque putant.
Nos alias ſortiti animas & pectora Vates,
Numinis auſpicio, & Cælipotentis ope:
Qui non inſanis pretiis metimur Honeſtum,
Nec facimus magni, terra quot abdit, opes.
His tantùm titulis in famam & nomen ituri,
Quos Patriæ meritus jure rependit amor.
Quod *quintòm*, docuere tui *Te Conſule, Faſtes*:
Cujus tam Civem dextera docta regit.
Et Pietas, ſtudiis animos feliciter urgens,
Ingentem toties prædicat ore DEUM.
Quem ſi Fata ſinant ſupereſſe Nepotibus unum,
Almeria nemo laudibus æquet opes.

Et

Digitized by Google

Et jam de Phœbo, junctisque Sororibus illi,
In Batavis felix alea jacta fuit.
Dii, quorum est servare vices, in sæcula, fortes,
Servate hunc nostris mœnibus, oro, Virum:
Nec facile hæc ulli veniat tam dira cupido,
Qui sacrum hoc mittat sub Stygis ima Caput.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXII.

Ad

Nobilissimum & Amplissimum Virum,

D. JOHANNEM à NIENBURCH, JC.

Cos. & Senat. Alcm. sub Cujus præsidio & Auspiciis primum lapidem & fundamenta

PORTÆ SCHERMERANÆ

Filius ipsius, natu minor, posuit

JOHANNES à NIENBURCH,

Postrid. Kal. Jun. CIↃ. IↃC. LXI.

CURIA, NIEUBURGI Consul, Patriæque Salutis
Dum Cura in manibus, consiliisque tuis;
Et res Auspiciis, usque à Majoribus altis,
Non unâ incumbunt lege modoque Tibi,
Ascanie, datur, ecce, tuo nova condere Civi
Mœnia, & audaci Saxa locare manu.
Ut liceat tutâ *Portarum Clave* teneri,
Et vis se tantò major in hoste probet.
Edoctique novas armatæ PALLADIS artes,
Sit fas hinc contra fortiùs ire Tago.
Aggeribus valloque Urbes sed cingere tanti
Non est, quàm famam Gentis Avosque sequi;
Quorum humeris, tanquam fidis Atlantibus, olim
Credita Libertas, Relligioque fuit.
Vix ausa in Batavis risu cognoscere *Matrem*,
Hinc, inde Albani cædibus acta Ducis.
Magne Virûm, NEOBURGE, tuis hæc Gloria Fatis
Debita, non uno ut Numine mactus oves.

Illustr-

Illustres titulos jam dudum annalibus infers,
Unde Tibi in serâ posteritate decus.
His quibus Ipse tuos augustior addis honores,
Dum facili imperio subdita regna tenes.
Jamque vides pulchra, descendere origine NATOS,
Almeriæ rursum qui nova tecta locant.
Et *Patriæ*, & Proavûm qui per vestigia serpunt,
Ut possint totidem continuare Togas.
Gratulor ista Tibi, Mecœnas, Sospite Belgâ,
Numinis hæc in Te quod *bona Signa* vides.
ALMERIAMque iterum celsas exsurgere in auras,
Quam *Proavi* toties asseruêre Tui.

Pro Auspicio

BONÆ AMICITIÆ

Ad

Insignem Poëtam, & J C.

D. BARTHOLOMEUM ABBA,

Amstelodamensem.

QUis novus, en! Vates Batavis se Vatibus addit,
Et dignum Phœbi concinit aure melos?
ABBA, novus Vates, mox de Parnasside venit,
Qui palmam Musis præripit inde meis.
Amstela Quem succo tinxit meliore Minervæ,
VONDELIique manus pinxit, & ipsa Venus.
Ut Themidi, pariter, quod rarum est, militet Idem,
Tam bene Qui Phœbi munia Miles obit.

cIↃ. IↃC. LXVI. *Idib. Apr.*

Amstel.

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

ENGELBERTO van der MYLEN,

Advocato, Sponso.

Missis *Triumphalibus* Belgicis.

INter Dilectæ, MYLI, tua basia Sponsæ,
Hîc quoque nunc Batavi militis arma lege.
Et paullum nostris Musis postpone Dionem;
Et quicquid blandi dictat Amoris opus.
Hoc tacitè PRÆLINA rogat. Quæ Numine ab isto
Fortiùs audebit *Prælia* inire Tori.
Non tunc tuta satis, flagrare Cupidine: quando
Incubuit lateri Martius iste furor.
At nunc in cunctos stans imperterrita casus,
Seu noctu Huic cupias, sive placere die.
Felices Sponsi! Quibus, inter Publica serta;
Conseritur Thalami LAUREA sacra Domi.

cIↃ. IↃC. LXVI.
Divi Jacobi die.

BREDA *Loquitur.*

NUper, *Nassovios* inter, magnosque *Philippos*,
Nobilis, in Batavis, arca Martis eram.
In me, Trojugenûm Gentis, quæ fabula ficta est,
Belgarum Populo fabula facta vera est.
Quæ, fateor, tunc victa fui, plusquam arte Pelasgâ,
AURIACUS cum me sub sua jura dedit.
Non in Equo, ut quondam, trabibus qui staret acernis,
Sed nudo clausus cespite Victor agens.
Et furtim puppis latebrosæ absconditus alvo,
Ipsâ tunc tacitis nocte favente dolis.
Post iterum, *Tarteſſe*, Tibi per bella, famemque
Infami victam me obsidione dedi.
Donec me tandem generosi Martis Ibero
Eripuit Virtus, reddidit & Batavo.

Tandem

Tandem Ego, trigeminis exultans clara trophæis,
Totius Europæ PACIS arena feror.

Kal. Maji.
CIↃ. IↃC. LXVII.

Ad
BRITANNOS.

E Tripode est olim dictum: PAX UNA TRIUMPHIS
INNUMERIS POTIOR; PAX PLACET UNA DEO.

Hactenus adversum Superos, negat ista Britannus,
Qui PACI longè prætulit Arma tamen.
Et Populos, pridem junctos sibi fœdere sacro
Maluit ad Martis castra citare trucis,
Quàm tacita Regnum sub RELLIGIONE tueri,
Et pulchrè tutas quærere PACIS opes.
Quis tantus Tibi, Martis amor, REX Inclyte? Nescis
Solâ quod placeas Pace fideque DEO?
Ergò juvet, gratumque Tibi sit, CAROLE, firmâ
Cum Batavo Pacis Lege coire tuo.
Et rursum antiquas in amorem adscisce re Gentes,
Quas tanti nuper fecerat ipse Parens.
Sit nunc è Tripode & dictum: *Pax una Triumphis*
Innumeris potior; Pax placet una Deo.

Nonis Maji. CIↃ. IↃC. LXVII.

Ad
BATAVOS.

C Ertatum satis est, *Batavi*, de partibus Orbis,
Et Cuî cœrulei pareat unda Maris.
Humanæ pretium carni non ponere fas est,
Sanguine nec sævas commaculare manus.
Divisit sua regna Deus. Mare jure tenetur
Nullo, sed Ponti libera Sceptra manent.
Oceanusque vagus, vastum qui circuit Orbem,
Omnibus ex æqua Lege, Foroque patet:

Ut

Digitized by Google

ariter cepit volucres agitabilis Aër,
Et cunctas nutrit semine sylva feras.
ic, ô, nunc, *Batavi*, pestem hanc avertite tectis,
Et, post bella, datam Pace probate fidem.
E probate Fidem. Pax sola est Optima rerum,
Et, Veri in terris regula, Amoris opus.

X. *Kal. Maji.*
CIↃ. IↃC. LXVII.

Ad
BREDAM
Sub Adventum LEGATORUM.

REDA, tuis Orbem geminum quæ laudibus implet,
Ac toties facta es clara Palæstra Ducum,
nc iterum, spero, Fatis melioribus ibis
In Famam, & per Te lætior Orbis erit. (re
n strepitu Armorum, ut quondam; sed Pacis amo-
Longè per terras & maria ipsa patens.
æ nunc tot REGUM accipies sub tecta MINI-
STROS,
Qui pro PACE tuâ verba differta dabunt:
tandem, Populis in mutua Fœdera junctis,
Bellorum cesset causa, Ducumque furor.
REDA, tuos intra muros si ponere bella,
Et cum Britanno Pace coire licet,
a Te major, poteris sic, BREDA, videri,
Et plus quàm Laudes continuare tuas.

CIↃ. IↃC. LXVII. *postrid.*
Non. Maji.

Ad
LEGATOS,
Bonis Auibus in Zeelandiam delatos.

Alvete, Illustres Regumque Ducumque MINI-
STRI,
Exspectata diu, per pia vota, Cohors.

Qui

Digitized by Google

Qui, poſt Bellorum tam dira incendia, & ignes,
Advehitis nobis nobile PACIS opus.
Et, poſtliminiò, Populis commercia Terræ
Redditis, & curſum liberioris Aquæ.
Qualia non potuit, mediis irata ſub undis
Amplius ipſa Thetys vincula, vimque pati.
In commune omnes nati ſub fidere Cœli,
Imperio Terræ, atque Æquoris uſque pares.
Felices Morini! qui ſacro in littore Ponti
Porrigitis lætas, jam Jove teſte, manus.
HEROASque iſtos, Dominorum juſſa ferentes,
Hîc coram primi cernitis ore loqui.
Ducite, quò properant, Vittatis navibus, ire,
Ad ſperata diu, Pergama noſtra, Viros.
Ut bene, pro Batavis, Legati munere functi,
Otia dent Sociis, Otia & ipſa Sibi.

Idib. Maji.
cIↃ. IↃc. LXVII.

Ad Opt. Max. in Celis DEUM.

CONſedêre Duces, Batavos interque Britannos,
Optatæ Pacis conſociare jugum.
Ut ſacer Orbis amor, complectens omnia nexu
Æterno, Populos jungat amore duos.
Et rerum ſecura Salus, terrâque marique,
Poſt belli furias, otia rurſus agat.
Halcyonumque dies Læti, Concordia mundi,
Pulſâ de cœlo, Jubila, nube, ferant.
Tu, *Stator rerumque Sator*, DEUS Optime, tantas
Res, oro, ſapiens Arbiter inter age.
Inſpiraque pios animos & Pacis amorem,
In Quorum eſt manibus condere Pacis opus.
Tu medium ſiſtas Te nunc Conſeſſibus iſtis,
Et Regum in melius dirige Corda, DEUS.
Ut tandem in terris ſic ferrea deſinat ætas,
Aureaque hîc iterum Tempora Pacis eant.
Unanimes Belgæ tua tunc altaria circum

Spar-

Digitized by Google

Spargemus pulchrâ debita Thura manu.
ıx iter junctis nobiſcum Pace Britannis,
Tollemus Sanctum Nomen in Aſtra tuum.

prid. Id. Maji.
cIↃ. IↃc. LXVII.

PAX
BRITANNO-BATAVA.

dit orantes BATAVOS DEUS Ætheris alti,
Optatæque dedit PACIS Honore frui.
ſus ruere in ferrum mortalia corda,
Et, nullâ Fati lege vocante, mori.
ıe inter ſeſe paribus concurrere ſignis,
Quos uno genitos ubere Mater alit.
e Pietas iîſdem Sacris, Ariſque revinxit,
Temporis & longi conſociârat amor.
ı illo genus humanum qui fine creârat,
Ut quis, more feræ, ſit ſibi cauſa necis.
roprios artus, carnemque in viſcera condens,
In totidem clades, bella cruenta gerat.
ı filio meliore Deus nos vivere juſſit,
Et placido in terris degere quemque modo,
ıcordeſque animos etiam ipſa in morte tenere,
Cum quis in adverſis poſcit amicus opem.
ipotens! ſumus indigni, quod fronte ſerenâ
Nos tantis preſſos intueâre malis.
ıos ad ſcelerum toties faſtigia raptos
Non etiam toties fulminis igne petas.
cunctı in vitium propenſi, Numinis iram
In flammam atque faces ſe dare, cauſa ſumus.
ımvis ſit Superûm longè Clementia major,
Ut toties flammis ardeat ipſa ſuis.
thabitis Hominum juſtis, ob crimina, pœnis,
Protinus in pœnas non abit ira Dei.
emplo *Batavi* ſumus, &, Gens proxima nobis,
Albiones: fecit quos ſua culpa reos.
nondum ex toto fregit violentia Martis,
Nec ſpolium Fatis vis inimica dedit.

Sed,

Digitized by Google

Sed, tandem, è cœlis, Majestas Numinis alti
Dignata est oculis respicere alma suis.
Et simul in fidæ Pacis descendere legem,
Pristinaque officii jura tenere sui.
Magne, Potensque DEUS, pro tali hoc munere *Pacis*,
Quis poteris grates ritè referre Tibi?
Quis numeris æquare suis hæc facta Tonantis?
Inque Dei laudes quis satis oris habet?
Non ea vis animis Batavûm, non ista Britannis;
Transcendunt numeros Munera tanta suos.
Pro *Lituo*, Pacis *Lauri*; pro *Marte* cruento,
CHRISTIADÛM *Populo* reddita, *Pace*, *Salus*.
Reddita cuîque sua est *Sors*, & Fortuna bonorum,
Securusque suo sub Lare Civis agit.
Plaudite nunc, *Batavi*; nunc plaudite jure, *Britanni*;
PAX est nunc *Terris*: PAX quoque parta *Mari*.

clɔ. Iɔc. LXVII.

Ad

Nobilissimum Heroa, Virum Inclytum,

D. JACOBUM van der MOERE

Toparcham in Herenaspel, &c.

Cum ad Illum mitterem

FILII JULII

Primitias Poëticas.

SIc Tuus in sacros Montes assurgit *Julus*,
Primitiasque suas vult placuisse Tibi.
Est aliquid, fateor, succi melioris in illo
Carmine, & Ingenio non caret iste labor.
Afflatus propiore DEO, sic Filius olim
Pieridum poterit se inseruisse Choris.
Crede mihi, Auspiciis non hæc sunt scripta sinistris
Hic aliqua in tacito pectore vena latet.
Quæ quando capiet vires maturior ævo,
In numeros omnes exspatiata ruet.
Sic mihi non Avium fibræ, non omine dextro

Cornix,

Cornix, non Liber dictitat ipſe Pater.
Sed ſpes pulchra fovet, Viſque Illius enthea mentis:
In quâ quid Vates prævidet ipſe Boni.
Scripſimus hæc vacui curis, ſub Veſpere ſero,
Molliter adſperſi Flore, Lyæe, tuo:
Quo MECŒNATI placuit perfundere Venam,
Ne nimiùm Vati ſobria Vena foret.

cIↃ. IↃc. LXVII. VI.
Kal. Decemb.

Honori
Clariſſimi Viri,
D. JOHANNIS BLASI, JC.
Advocati & Poëtæ Eximii.
Cum novo Commentario illuſtraſſet Scripta
Amplissimi Viri,
D. EVERARDI BRONCHORSTI.

QUantum eſt, in terris laudum ſtatuiſſe Trophæa,
Et cum venturâ, poſteritate loqui.
Sub juga Barbariæ primùm vitiiſquè redactis;
Perpurgaſſe ſuis ſordibus inde forum!
Ne mala per civem innocuum contagia ſerpant,
Simplicitaſque vetus protinus exul agat.
Blaſius hoc fieri, Herculeo conamine contra eſt,
Reſtituens Themidi faſque fidemque ſuæ.
Cui nunc in teneris ſapientia naſcitur annis;
Orditurque potens qui nova facta Virûm.
Dum Magni eſt auſus *Bronchorſti* vellere Manes,
Illius & ſcriptis addere rite manum.
Ut, quod tanta Viri, forſan, nec viderat ætas,
Viderit hoc oculis altera cura ſuis.
Vos Batavi, quorum obtuſa eſt non amplius auris,
Blaſiadæ hæc jugi volvite ſcripta manu.
Et Phœnica novum ſic, credite poſſe renaſci,
Exuvias poſuit cum Pater ipſe ſuas.

In Albo
EJUSDEM.

TRes, duo ſufficiunt teſtes ad juris honorem,
Et cauſam hoc tutus nomine Prætor agit.
Blaſius hic noſter centenis teſtibus urget
Ingenii meritum poſſe probare ſui.
Rectè & ritè facit, corrupti his moribus ævi,
Principibus totidem perplacuiſſe Viris.
Et, cum nulla iſtas commendet littera Muſas,
In laudes unus ſufficit ipſe ſuas.

Illuſtri Viro,
D.D. THOMÆ ab EGMONDT à NIENBURCH,
Illuſtr. ac Præpp. Ordd. Holl. & Weſt-Fr. Conſiliario &c.

MAgne Vir, in Batavis rerum tutela mearum,
Et princeps doctæ Nobilitatis honor,
Hîc lege, *Neubuſii* calamo digeſta per orbem
Pieridum ſacrâ nomina digna tubâ.
Splendeat utque ſuis divina *Alcmaria* lauris,
Et poſſit reliquis urbibus eſſe Caput.
Cuî damus hîc pulchram titulis & Apolline famam,
Ut porrò Vatem protegat illa ſuum.
Et mea non ſterili Pallas paſcatur avenâ,
Vel ſale conditus ſit minus iſte labor.

CIↃ. IↃC. LII.

Amplſ.

Digitized by Google

Ampliſſimo Viro,

D. THEODORO VRYBURCH, M. D.

Conſuli Alcmariano & Scholarchæ, &c.

Nclyte Mecœnas, cujus ſub Numine dextro
Ferre ſolet pretium noſtra Minerva ſuum,
ic opus Auſpiciis, ac defenſoribus iiſdem,
Ut mea tranquillis Cymba feratur aquis.
gredior vaſtum dubiis Aquilonibus æquor,
In quo non partes Æolus unus habet.
d, ductu, *Palinure*, tuo, Cyclopea ſaxa
Jam fugimus dudum, Scylla nec ulla nocet.
rgimus Aonides lato dare carbaſa Ponto:
Nobiſcum hîc magni Diîque Deæque natant.

Nobiliſſimo Viro,

D. JACOBO de VEEN, JC.

Prætori Alcmariano, &c.

Uſa rogat, paullum differ vadimonia, *Prætor*,
Et ſileant ſolito jam *Tria Verba* Foro.
onec thure pio venerer tua templa, Sacerdos,
Auſpiciiſque tuis noſtra Thalia litet.
oc eſt, Cecropiâ præcinctum ſtare coronâ;
Hoc eſt, ingenuam promeruiſſe Togam,
llada poſt domitam, vitiis indicere bellum,
Et ſe Principibus poſſe placere Viris.

Nobiliſſimo Viro,

D. CORNELIO à TEYLINGEN, JC.

Conſuli Alcmariano.

[N Tua, TEYLINGI, ſcandunt Capitolia Muſæ,
Auſim quò meritis Vatibus ire comes.
Non aſſueta manus, bellis, non Martia turba
Nos ſumus. Imbellis ſtringimus arma Togæ.

Digitized by Google

Pierides ſumus innocuæ, pia turba, Poëtæ:
Heroum in laudes ore diſerta cohors.
Hîc facili, ſpero, ſe cardine limina pandent,
Et placeat Phœbo, poſſe vacare Jovi.

Ampliſſimo Viro,

D. JOANNI STEENHUSIO, RYP.

Conſuli Alcmariano.

NOluimus, Batavi, perituræ parcere chartæ,
Qui modò, *Centurias*, agmina tota, damus.
Teſſera militiæ noſtræ ſunt Palladis arma,
Qualia non cudit Mulciber ære ſuo.
Sunt lepidæ hîc voces, ſunt & poppyſmata docta,
Et calamo Vatis tinctile virus abeſt.
Optime *Steen-Huyſi*, quando vacat hora legenti,
Et mens non læva eſt, otia noſtra lege.

Nobiliſſimo Viro,

D. CORNELIO SONNEVELT, JC.

Conſuli Alcmariano.

SOnvelde, meus iſte labor, ne Numine dextro
Jam careat, fæxit cura laborque tuus.
Pieridum longè jam ſaxum volvimus illud,
Et ſub Siſypheo pondere preſſus ago.
Debetur noſtris ſudoribus area major,
Et tandem in Batavis plus ſalis eſſe mihi.
Scribimus Almeriæ meritas in ſæcula Lauros,
Et toties veſtrum Littera nomen habet.
Quæreage, Te noſtri memorem nunc ſiſſe, Senatûs,
Inque tuum Vatem pondere vergat amor.
Poſt Faſces Sacri Imperii, Divûmque labores,
Hîc tibi ſarcinulis ritè placere poſſes.

Digitized by Google

ALIUD.

SONVELDI, pius es in castæ templa Minervæ,
Ingenuasque artes promptus amare soles:
Et sudare Deo, totisque incumbere nervis,
Ut possit Pietas intemerata coli.
Nos etiam auxilium in partes cœleste vocamus,
Et pro communi nitimur esse pii.
Auspicio Jani Divûm instauramus honores,
Ut facilem nobis præbeat æther opem.
Ut benè Nassoviis; ut sit Pax candida Belgis,
Relligioque suum tollat in astra caput.
Ut situlos almæ Pacis lux aurea portet,
Et furias Mavors oderit ipse suas.
Patribus hæc summa est, nec quicquam quærimus ultra,
Quàm Tibi, SONVELDI, sit bene, sitque Tuis.

Nobilissimo Viro,

D. JOANNI à NIENBURCH, JC.

Consuli designato.

AUrea Saturni est ætas, & Virgine digna,
Cum redit à cœlis in sua Sceptra Themis.
Cum Legum probitas in civem Jura tuetur,
Et Virtus primum possidet alma locum.
Præreptosque sibi luget plebecula Fasces,
Et sua jam Livor vincula mordet iners.
Hoc fato stant regna suo; Regumque triumphi,
Imperiumque tenet cum Jove Belga suo.
Quæ nova temperies astrorum, & digna vetustis
Moribus Erigone sæcula nostra subit:
Dum tua, *Nibargi*, meditatur Rostra Juventus,
Et Pietas geminas accipit inde faces.
Quem florere diu *Almeriæ* Populoque Batavûm,
Omnibus in sacris Fœmina Virque rogant.

Digitized by Google

AD EUNDEM.

Cum Novam Domum ædificaret.

PYramidum cœlo dum molem educis & *Artes*,
Nieu-Burgi verum Nomen & Omen habes.
Qui, pridem Clavi titulis & honoribus auctus,
Fundamenta *Tori* pulchra, *Foriqne* locas.
Et, tangens superos geminis Virtutibus axes,
Officium Batavo ritè Deoque facis.
Quæ monumenta inter speciosaque marmora tecti,
Dulce Tibi in Thalamo gliscit Amoris opus.
Unde pio Generi, Fortuna stante Nepotum,
Arcibus atque istis incola clarus erit:
Et, post Imperii fatum, fœcundaque Matris
Oscula, se tollet fama decusque tuum,
Dii modò propitient præsentia! Staminis albi
Lanificæ & ducant pensa benigna manu!

AD EUNDEM.

Cum mitterem Nova Edit. Epistolas.

NIburgi, meus hic fœtus nunc prodit in auras,
Et se sub vestro nomine tollit humo.
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Nil metuens Syrtes, Icariasque vias.
Causa mea est melior. quia mecum *Gravia* trânat
Nubila, & auspicio candidiore favet.
Et tuus hîc mecum graditur per inania Phœbus,
Gaudet ubi sacra lege coire Tori.
Et rursum veteres oculo spectare triumphos,
Cum præda Auriaco Ganda vel Hulsta foret.
Sed, nunc *Plus* thalami fines protollitis *Ultra*,
Diceris & pulchra prole toroque Pater.
In Te, *Magne Virûm*, faveat Fortuna labori,
Inque tuos semper Littera testis erit.

Digitized by Google

Conſultiſſimo Viro,

D. CORNELIO SCHAGEN,

J. U. & Med. Doct.

Syndico & Senat. Alcmar.

SIc Tibi, Magne Virûm, videor ſine fronte Poëta,
Et niſi per titulos ambitione rapi.
Regia quæ non eſt ad Honoris ſemita templum:
Unde omnis longo debet abeſſe pudor.
Da veniam: ſæcli ſic me malus abſtulit error:
Sponte ſuâ Muſis Janua nulla patet.
Ergò, Mecœnas, ſequimur, quò non ſit eundum.
Sed, malo, ad palmam ſpontè feratur equus.

Ampliſſimo Viro,

D. JACOBO SCHAGEN-HOOCHLAND,

Cos. & Senatori Alcmariano.

HOochlandi, Tua ſint nobis hîc Numina præſto,
Dum ſua Pieridum præmia poſcit honor.
Cujus ab Auſpicio major fiducia ſurgit,
Et poterit Phœbo pulchrior ire dies.
Publica, Gymnaſium, res eſt. Tu, Magne Senator,
Otia da Muſis liberiora meis.
Ne cum Lernæis luctandum in pulvere Circi,
Annonæque premat nos diuturna lues.
In Te magna mei pars inclinata laboris;
In Te quid pulchri littera noſtra locat.

Ampliſſimo Viro,

D. GUILIELMO CORENIO, JC.

Dynaſtæ Dition. Neob. Senat. Alcm.

ADſpice, CORENI, quid portet Epiſtola monſtri,
An forſan Batavâ digna ſit aure legi.

Digitized by Google

Utraque testatur quos pagina fecit amicos,
Materiâ numeros suppeditante suos.
Nec satis est nobis, uno decurrere campo:
Pro re, proque loco symbola dictat amor.
Qui modò Pimplæos cum Phœbo scandimus axes;
Mox iterum vatem Musa pedestris habet.
Miscemus pariter docti commercia rerum,
Inventumque novâ Relligione placet.
Falle diem nostris sacris, ô chare CORENI,
Neuhusiumque tuum pectoris abde sinu.

AD EUNDEM.

HIc Tibi, CORENI, felix eluxerit Annus,
Sitque Tuis multi fons & origo boni.
Ut condas longos charâ cum Conjuge soles;
Filius & multâ Pallade, clarus agat.
Filiaque in plenos adolescens nubilis annos,
Quod tua lætetur Mater & ægra Soror!

Amplissimo Viro,

D. CORNELIO van der GEEST, &c.

Senatori & Secretario Alcm.

ERgò age, morosum, Vates, suspende Tribunal,
Et paullum solitus cesset in arte labor.
Neuhusius tecum jam gaudet jungere dextram,
Et *Corneliadem* demeruisse sibi.
Qui nunc Magnatum meritis suffragia quærit,
Inter quos, GEESTI, nomina magna geris.
Unum oro, sacrum ob Phœbum, Suadæque medullam,
Officii ratio stet Tibi pulchra mei.
Et, quando, proceres inter, Schola nostra loquetur,
Dignetur Vatem Calculus iste tuus.

Ampliss-

Digitized by Google

Ampliſſimo Viro,

D. JACOBO BAERT, JC.

Senatori & Scabino.

QUæ meus in multos calamus digeſſit amicos,
Hic unâ coram cernere fronte potes.
Heridum ſacras in fœcula mittimus artes,
Nec patimur, cedant Nomina veſtra rogis.
Reſpice Muſarum faſces & Fata, Senator,
Ut meliore ſui ſorte Palæmon agat.
Talibus auſpiciis floret Reſpublica: quando
Sunt Mecœnatum Numina, Phœbe, tibi.

Ampliſſimo Viro,

D. JOANNI STEENHUYSEN, BAERTS.

Senatori Alcmariano.

INter honoratæ, *Steenhuſi*, nomina Gentis,
Ingenuis fas eſt Vatibus eſſe locum.
Quorum cum Superis certant Inſignia, Lauri,
Quas Pietas juxta Nomina, celſa locat.
Auſpiciis, *Vir Magne*, tuis quod ſæpe probaſti,
Cum petere Aonidum tecta laremque ſoles.
Annue nunc nobis etiam, poſt pulpita nota;
Et placeat noſtrâ ſcripta tabella manu.

Conſultiſſimo Viro,

D. HENRICO DRUYFF,

Advoc. & Senat. Alcmar.

DEliciæ noſtræ, *Druyffi*, Phœbique corona,
Et nunc in Batavis gloria prima Mei:
Accipe, ſed facilis, veteris dictata Magiſtri,
Et placeant, Genio quæ placuere meo.
Utque ſoles, oro. Senecam præferre Neroni,
Sic nunc officiis utere ritè tuis.

Digitized by Google

Argumenta dabit Vobis provincia dura,
Res anguſta foris, difficiliſque labor.
Poſſum, jure, tuis ſtudiis incumbere, *Draykii*,
Cuî vitæ & morum regula prima fui.
Diî faciant, tuus in melius nitatur Apollo,
Et majora Tibi, tempore, præſtet honor.

Nobiliſſimo Viro,

D. JACOBO NEOSTADIO, JC.

SENATORI ALCMAR.

Ad Comitia Holland. Deputato.

SIc etiam nobis vellit *Neoſtadius* aurem,
Et pulchrè in Vatum tempora teſtis adeſt.
Cujus præclaræ quondam ſub nomine Gentis
In Batavis iterum Muſa renata fuit.
Juſtitiaque pium cœpit florere tribunal,
Et legum pœnas ritè timere nefas.
Salve, *Magne Virûm*: quo nunc ſub Judice Apollo,
Pieridumque magis floruit artis honor.
Nunc hæc in ſeros protrudis dona nepotes,
Et pretium es noſtro grande decuſque foro.
Exprimit has artes animumque illuſtrior Alter,
Pluribus & ſtatuis non caret illa domus.
Hoc optem! meus ex illo quid ſpiritus igne
Hauſerit, ut fama non minor eſſe queam.

Nobiliſſimo Viro,

D. PETRO WALTA,

Illuſtr. ac Præpp. DD. Ordd.

General. multis meritis & annis

DEPUTATO.

SIc etiam Heroum, pennis ſublimibus acta,
Auſa eſt porticibus noſtra Thalia loqui.

Et

Et Batavos ultra calamo perrumpere nubes,
Inque Deûm medias se penetrare domos:
Inde tuos in rure Lares & adire labores,
Tollit ubi cœlo machina tanta caput.
Et se *Frisorum* majestas explicat omnis,
Inque suo Virtus conspicienda sinu.
Hic inter doctas Nymphas, virideſque Napæas,
Alloquitur magnum Littera nostra Jovem.
Carceribus fac currat equus, spatiumque furori,
Concede Aoniis, *Vir Generose*, sacris.

Illustri Viro,

JACOBO CATZIO, Equiti,

Magno Holland. Syndico,

& ad

BRITANNOS LEGATO.

cIↃ. IↃC. LII.

SIste gradum, CATZI: cœlo non creditur isti.
Integra non Batavûm lintea puppis habet.
Istaque finitimos meritò vestigia terrent:
Cum vix hinc ficcâ morte redire licet.
Dira Thyestææ fervent hîc fercula mensæ,
Et sua non raro sanguine stagnat humus.
Hîc trux in Dominos acuit Mezentius iras,
Carnificisque manu cæsa Tiara jacet.
Non tam Scylla vorax, non sic infesta Charybdis,
Stymphalicæque domus plus feritatis habet.
Ergò animam dubiis noli committere ventis,
Et nunc hyberno sidere inire viam.
Canitiemque tuam primo objectare furori,
Parcere qui nescit Regibus ipse suis.

AD EUNDEM.

OMnia tuta Tibi spondes terraque marique,
Dum pia LEGATUS munia justus agis.
Inque Caledonias properas securior oras,

Digitized by Google

Utilior Patriæ Rebus ut esse queas.
Unanimesque tuæ Genti sociare Britannos,
Ut Pax sit nobis tutior inde domi.
In medio ponis lites, & sceptra Potentum,
Nec secum Batavus disputat illa tuus.
Terrarum populos qui Pacem poscimus omnes,
Et nulli volumus bella movere manu.
Ad Libertatem, tranquilla & in otia nati,
Et non offensis lædere quemque suis.
Hæc nunc in seros eat ut Fortuna Nepotes,
Divinâ Ingenii CATZIUS urget ope.

AD EUNDEM
EX ANGLIA REDUCEM.

SIc benè Fœdifragos linquis post terga Britannos,
Et nobis, CATZI, Numine dexter ades.
Bella licet tecum portes, pro Pace, Batavis,
Et nil, quàm lituos, vulnera, vimque crepes.
Non hæc temperies LEGATI pendet ab ore,
Quando animos rabies, atraque bilis agit.
Quæque suæ toties Patriæ vox blanda locuta est,
Protinus hæc visa est felle diserta suo.
Non sumus in causa, Batavi, quod sanguine pleno
Æquora nostra suo mox Tamesisque fluent.
Antè, Fides, quàm te violet, tuta Otia, Pacem,
Per genua, &, flexo poplite, Belga rogat.
Irrita spes omnis, neque respicit Albion ullum:
Unde diu Pietas fugerat, atque Pudor.
Fœda superstitio sacros exstinxerat ignes,
Mentiturque suum jam sibi quisque Deum.
Nec mirum, ut quondam, Pharios de more vetusto
Hîc quoque adorandus sis, Crocodile, Deus.
Sed tandem, spero, evincet bona causa Tonantem,
Ipse eris & canibus præda, Britanne, tuis.
Quàm benè, quod, CATZI, videas post terga Secures,
Et rursum dicas: Belgica, Te teneo!

cIↃ. IↃC. LIII.

Nobi-

Nobiliſſimo Viro,

D. JANO ab EGMOND à NIEUBURCH, JC;

Conſuli Alcmariano.

Magne Virûm, cujus manat Facundia labris,
Et fons Ingenii Numine largus ineſt:
omulidæque ſuo ſaturarunt nectare totum,
Et Themis ex multis millibus una colit:
ic etiam noſtro ſpatium concede furori,
Afflatique Deo reſpice Vatis opus.
onas in montes quem pridem duxit Apollo,
Inque ſuis ſacris fecit habere locum.
is ſeni Faſces, & Lato purpura Clavo
Pieridum prohibent conticuiſſe Lyram.
uguſtæque Domus Veſtræ, Cognomina tanta,
In ſeros Batavis uſque legenda dies.

Ampliſſimo Viro,

D. PIBONI à DOMA.

Ad Comitia Belgicorum Ordinum.

LEGATO.

Hic etiam nobis ſua nomina commodat orbis
Qui ſtupuit nomen, *Maxime Doma*, tuum.
um Procerum nuper mediis conſeſſibus aulam
Suada tua attonitam fulmine & ore daret.
t Tibi tunc ſoli Dicenti aſſurgeret uni
Purpura tot Regum, Curiaque iſta Patrum.
Magne Virûm! dedit hanc nobis provincia laudem,
Ut Te ritè mea voce Poëta canam.
iſdem qui tecum ſignis Aquiliſque Minervæ
Olim militiæ caſtra ſequutus eram.
Iunc pariter Sparta inſignes & Apollinis arte
Finitimos inter Nomina clara ſumus.
n teſtem veteris Recti, charique Cleanthis,
Hæc Tibi Amicitiæ pignora, *Doma*, damus.

Nobiliſſimo Viro,

D. JOHANNI à NIENBURCH, JC.

Scabino Alcmariano.

EXſpectat, *Neoburge*, tuos mea Littera plauſus,
Quam Tibi Filiolus, porrigit, ecce, manu.
Quæ tantò veſtras intrat ſecurior arces,
Tu quantò Phœbum diligis ipſe magis.
Cuî Latium, & veteres coram luſtrare Quirites
Contigit, atque oculis iſte probatus honos.
Et cui tot vivos aperit Sapientia fontes,
Inque ſuo eſt habitu conſpicienda Themis.
Unde ſibi pulchros, Batavo hæc ſpectante Nepote,
Poſteritas fructus utilitate metet.
Magne Virûm, Latias auſim Tibi mittere Muſas,
Qui plenum Latio Numine pectus habes.

Illuſtri Viro,

D. JOHANNI à WYNBERGEN, JC.

SENATORI.

Et Acad. Harderovic. CURATORI.

SIc quoque per medios mea Muſa effuſa Sicambros
Auſa eſt in titulos ire ſuperba tuos.
Sub ſpecie ut veteris Recti, officioque pudoris
Ingentis meriti ſit memor illa Tui.
Quo pridem potuit ſub judice major haberi,
Et propiore tuis Vatibus eſſe loco.
Inque triumphalem cum Phœbo ſcandere currum,
Unde ſibi conſtans fama tuliſſet opem.
Sed, viſum eſt Fatis aliter, Bataveque Minervæ:
Sub quâ nos modico fine palæſtra tenet.
Nec ſpernenda Togæ nobis hîc munia! Quare
In Latio pudeat nomen habere foro.
Argumenta meis numeris *Wynbergius* addit,
Neubaſium ex toto dum jubet eſſe ſuum.

Illuſtri

Illustri Viro,

D. JACOBO CATZIO, JC.

EQUITI, &c.

[Agne Virûm, quod adhuc felix Tibi spondeat æther;
od vitâ incolumi superes, vegetaque senectâ,
coram AURIACO Populi tueâre salutem
nfiliis, Batavi & Musæ lætamur ovantes.
os quoque non animis fracti, aut sudoribus almæ
lladis, Almeriam Latiali nectare Pubem
ingimus, & Patriæ damus incrementa Nepotum.
vimus ingenio sensimque adolescimus. Unum
oc opus, hic labor est, factis extendere famam,
paullùm nos tollere humo. Tu, maxime Vatum,
hymbræo non Patre minor, CATZI Inclyte, nostro
aude libens Genio, ac spatium concede furori.

Nobilissimo Viro,

D. THOMÆ HONERDO, JC.

Patrono suo.

Læferimus magni Titulos & Nomen *Honerdi*:
Cur magè se solitâ Littera tollit humo.
Non adversa meis, oro, sint Numina Musis,
Clarior ex illo Numine Musa mea est.

Nobilissimo Viro,

D. REINERO CASEMBROTIO, JC.

Et SENATORI.

SPonte suâ vestram, *Casebroti*, currit ad ædem
Littera: vix aliquo læsa pudore fui.
Dant veniam Musæ nobis. Animosior ausim
Cur Proceres inter Nassovioque loqui.

AD

Digitized by Google

AD EUNDEM.

Sic redit ad longo non visam tempore Matrem
Filius, & gaudet carcere liber equus.
Cui nunc à Musis pridem data plena potestas,
Publicaque applausum porticus ipsa tulit.
Scilicet in lævâ Juveni nunc parte mamillæ
Plus silit, & stimulos ipse ministrat HONOR.

Illustri Viro,
D. DANIELI HEINSIO
EQUITI, &c.

SAncte Pater Vatum, Tibi nunc has struximus aras,
Litteraque hæc meritò jam tibi thure litat.
Dic, tuus ut paullum quoque cesset Delius antro,
Ut possit vacuo Littera nostra legi.
Prima sed auspicio decurrit pagina sævo,
Quà memor Ascanii redderis usque Tui.
Quæ ne quid noceant, cingamus baccare frontem;
Tutus in Elysiâ valle *Forestus* agit.

Celeberrimo Viro,
MARCO ZUERIO BOXHORNIO,
Eloquentiæ & Historiarum Professori.

MAteriam nobis famæ BOXHORNIUS auget,
Quando nos Genio de meliore probat.
Hoc unum doleo, ac plenum facit esse pudoris,
Quod mihi sit Suadæ res nimis arcta domi.
Et non una pium Vatem deterreat unda,
Quæ sinat ex vero dicere posse virum.

Digitized by Google

Ad Nobiliſſimum Virum,

THOMAM ab EGMOND à NIEUBURCH,

Conſulem & Scholarcham,

EPIGRAMMATA SACRA,

Pro Auſpicio anni cIↃ. IↃc. LII.

I.

Um novus exoritur ſtellis rutilantibus Æther,
Et Phœbus fræno liberiore ruit:
tm cupiam Vates nunc in mea ſacra renaſci,
t Clario Muſas teſte probare meas!
ıs inter, *Neoburge*, Tuum plaudente Minervâ,
Hîc primo nobis limine nomen adeſt.
, decus Ingenii ſpatioſum anguſta coarctat
agina; Mæoniis verſibus illud eget.
: monſtrare queo, quæ ſentio pectore tantum,
)uæque ſuis mecum ſunt moritura rogis.
ano meritorum, ac magnæ molis acervo
)bruor, [redacted]aumeris munera veſtra carent.

II.

nc voto & precibus fervent Delubra Deorum,
Junc Pietas animos relligioſa tenet.
quæ per totidem ſiluere oracula ſoles,
Junc hæc ore ſuo cuncta ſacella tenent.
iſque ſuis vitiis animos & pectora purgat,
Auſpicioque ſuo Numinibuſque placet.
)poſitumque ſedet, non irritare Potentes,
)ffenſiſque ſuis aut violare Deum.
emplis oſtende fidem, caſtiſſima turba:
Arguit exemplum, non bona verba, fidem.

III.

ıs alio Iſacidæ Pietatem teſte probamus;
Nec fas eſt ficto thure litare Deis.
rum animum, puraſque manus, & pectora pura

Nos

Digitized by Google

Nos tibi, Cœlipotens, Pallade teſte, damus.
Deterior non vita mea eſt, quam vota fuerunt:
Reſpondent vitæ votaque cuncta ſuæ.
Quaque Deum colimus nunc religione Poëtæ,
Sic etiam exemplo turba modeſta ſumus.
Et, quo nunc ritu genua incerare Deorum
Convenit, hoc ſuperûm ritè probamus ope.

IV.

Optime Mecœnas, aperit dum Lucifer Annum,
Confecitque ſuam ſueta per aſtra viam:
Hoc recto vultu Superos, hoc pallidus opto,
Ut Tibi ſint cœli Numina prona diu.
Auſpiciiſque tuis, vaſto quæ credita Ponto,
In portum veniat publica cymba ſuum.
Et non à gelido ſurgant Aquilone procellæ,
Unde ſibi Batavus triſtia damna ferat.
Omnia ſed Fati decurrant Legibus æquis,
Et nos, Te nobis ſoſpite, Phœbus amet.

V.

Poſt triſtes Hyadas, Fatum & miſerabil[illegible]nni,
Aurea fac redeant ſæcula, Jane Pater!
Et tandem incipiant longi procedere menſes,
Cumæa nobis vaticinante bonum;
Ac Lacheſis ſerò niſi falcem libret in ictus,
Dans Mecœnati tempora cana meo.
Soſpite Quo Natum faciat Cornelia Patrem,
Gracchioloſque ſibi ſedula Mater amet.
Et circum blandos videat cunabula flores,
Inſcriptos olim Nomine DULCIS AVI.

Digitized by Google

In

MERITA AURIACA

Nobiliſſimi Viri,

D. JOHANNIS FORESTI, JC.

Senatoris ſummi.

POETÆ EXIMII.

VErnimus *Auriacas* hîc pulchro in carmine Lauros,
Alteraque Auguſtæ clara trophæa Domus.
Olim quas Batavis ferro *Mauritius* urbes,
Subdidit, ac latè ſtrenuus arma tulit.
Poſumque Æacidem longinquo ut fregerit orbe,
Non uno Oceano tunc famulante ſibi.
Belgica Libertas quos ſolo vindice contra
Tot Bellorum acies intemerata ſtetit.
Hæc calamo, *Foreſte*, tuo nunc acriter urges,
Cum Ducis *Auriaci* facta ſtupenda canis.
Sic cum laudato creſcit laudantis arena,
Cumque ſuo Vates Principe Victor ovat.

AD EUNDEM.

Cum Librum XIII. *Æneidos ſcripſiſſet.*

ANtiquæ Veneres ſic priſcâ in veſte revertunt
In Batavis, Cyrrhæque iterum manare lepôres
Incipiunt. Docet hoc excellens vena *Foreſti*,
Muſarum Legumque Patris. Quo Vindice major
Surgit honos Rutilûm Regi, regnoque Latino.
Et Juturna ſui Fratris felicibus urnam
Adſpergit lacrymis: gaudens in fonte renaſci
Tunc Numico, ut fidum Turni teſtetur amorem.
Credite: non noſtra ex toto deferbuit ætas,
Aut obtuſa adeo geſtamus pectora Belgæ,
Ut non ſæpè aliquid Divis & Apolline dignum
Proſiliat, nobis & pulcher origine Cæſar

Naſca-

Naſcatur. Nunquam deêrit mens enthea Vatum,
Si Mecœnatum dederit favor otia Muſis.

IN EJUSDEM
HISPANUM REDUCEM.

Hîc legis, ô Lector, Siculo majora tyranno,
Quæque tuus quondam Belga ſub hoſte tulit,
Quàm crudelis Iber laxârit fræna furori,
Cum nondum poto ſanguine, plenus erat.
Innumeraſque ſuis viduaret civibus urbes,
Tanquam ſi nihili res, Homo, nata foret.
Cum jam deficeret conſumpta in compede ferrum,
Inque ſuum doluit flebile Lictor opus.
Hæc Tibi *Foreſtus* vivis incudibus ornat,
Exemplo ut diſcas; Belga, cavere tibi.

IN EJUSDEM
EFFIGIEM.

TAlis erat magni facies generoſa *Foreſti*,
Hiſpanis quando jure timendus erat.
Qui, par Mæonio, fortem ſe librat in ictum,
Et calamo Vates bella diſertus agit.

ALIUD.

Omnibus ardor ineſt, titulis ornare *Foreſtum*,
Illius & multa cingere fronde comas:
Fruſtra materies ſed Famæ quæritur Illi,
Materiem famæ ſufficit Ipſe Sibi.

ALIUD.

Vos, quibus Heroum mos eſt in imagine vultus
Ducere, & æternas ſculpere in ære notas:
Nemo *Foreſtum* ex vobis bene ſculpſerit unquam;
Effigiem Æterni ſculpſit at Ipſe Sibi!

IN

IN EJUSDEM OBITUM.

[Ic nunc, quod doleant Batavi, Vatesque Batavûm,
Præcipiti nimium morte *Foreſtus* obit.
ternumque filet tantæ Facundia Suadæ,
Cur Phœbus Tripodes oderit ipſe ſuos.

ALIUD.

'ſtriacum nuper Batavæ fleviſtis Athenæ,
Belgica præſidiis cum foret orba ſuis,
reſtum merito nobis nunc flemus ademptum,
Muſa patrociniis cum fiet orba ſuis.

ALIUD.

ſt factum Patriæ *Foreſti* à funere vulnus,
Maxima, *Vryburgi*, vulnera facta Tibi.
ii propiore pium tangebas ſanguine Vatem,
Et plus Hunc aliis jure dolere potes.

Apotheoſis EJUSDEM.

Oreſtum in terris ſatis eſt potuiſſe videri.
Hinc cognata ſibi Numina & Aſtra petit.
ıb pedibuſque ſuis hoc totum calcat inane,
Et, Vates, alios hic canit ore Deos.

Ad DANIELEM HEINSIUM.

NObile par Vatum, dum Fata Deuſque ſinebant,
Heinſius in terris atque *Foreſtus* erant.
Nobile par Vatum, cum Fata Deuſque jubebunt,
Heinſius in cœlis atque *Foreſtus* erunt.

Ad

Digitized by Google

Ad

THEODORUM VRYBURCH.

TErra vale. Sequimur vates Te, magne *Foreste*,
Lactea quâ cœli semita signat iter.
Hîc miser intactum Paridi se oppignorat Atrêus,
In cœlo vatem sors sua digna manet.

cIↃ. IↃC. LI. XX. *Decemb.*

Clarissimo Amplissimoque Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH

MED. DOCT.

Consuli, & Scholarchæ Alm.

Pro Auspicio

Anni cIↃ. IↃC. LII.

I.

SIc abeunt nostræ paulatim tempora vitæ,
Et subitò mundi gloria vana fugit.
Vivendoque umbram, & fumos captamus inanes,
Fortunæ spolium, resque caduca sumus.
Et nihil est infra Solem, Lunæque labores,
Quod non interitum sentit adesse suum.
Descendunt statuæ. Atque aliis mox lampada nostram
Tradimus, inque vicem sors sua quemque manet.
Solùm felices, quod, post hæc lubrica rerum,
Nobis in cœlo vita decusque fiet.

II.

Frustra mortalis dextrâ sibi computat annos,
Atque optat vitæ stamina longa suæ.
Præcipites cuncti rapimur Phlegetontis ad umbras,
Et nullum in terris non sua Parca manet.
Permutant dominos fasces & sceptra potentum,
Alternantque suas gloria sorsque vices.

Quod

od docet exemplo facies toto orbe ſecunda,
Et, quæ de Capreis miſſa tabella fuit.
eu! quàm noſtro paſſim quoque ducimur unco,
Et pœnam à nobis exiget acta dies.

III.

æ portenta dedit nobis non proximus annus,
:um furerent damnis cuncta elementa ſuis!
nors Heroum magnorum invaderet aulas,
Dejiceretque ſuis grandia ſaxa jugis.
od pridem Auriaci magnas poſt Principis urnas,
Oſtendit funus, Clare *Foreſte*, tuum.
;nipotens Pater! ex alto nunc ſiſte furorem,
Nec patere, ut ſemper ſæviat iſta manus.

IV.

mpora nunc aliis Saturno digna revertunt,
Et facie ridet ſplendidiore polus.
: miſerum atratæ circumſtant agmine Curæ,
Nec planctu, aut lacrymis nox vacat ulla mihi.
m mea, ſed falsò, toties me amplectitur uxor,
Candidaque infelix colla Sichæus amo.
ite, Felices Vos, læto in poſte coronas;
Flebile nos vates pangimus ore melos.

V.

ndem etiam ſacrâ poſſet cum luce reverti
Multa domi nobis copia, multa foris.
: Batavûm Genti melior Fortuna renaſci,
Albionum & populo mitior ire dies.
oſtraque poſt triſtes urnas revireſcere Laurus,
Nec Fati ſemper me meminiſſe mei.
t, pro ſpe noſtra, compleri vota Tuorum,
Iſtaque ſub Phœbo luxuriare domus.
uguror hæc vates. Vellit modò Cynthius aurem,
Qui cœlo, juſſit lætiùs ire diem.

Am-

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

D. THEODORO SAECKEMA, JC

In Supr. Cur. Friſ. SENATORI.

PRiſca ſodalitii tecum mihi jura, Senator,
Et vero quondam teſte probata fides.
Nunc pariter Phœbo & ſtudiis diſtamus uterque
Nec Muſas eadem ſcena & arena manet.
Tu nova Friſiacis Judex oracula pandis,
Et Patriæ meritò diceris eſſe Pater:
Nos, huc ad Batavûm fines Aquilonibus acti,
Paſcimus Aonidum læta per arva gregem.
Sub Jove diverſo ſic nati rebus agendis;
Ut ſint perpetuo ſacræ in honore Deæ.
Hoc pridem cœlo, quam cernis, Epiſtola prodit;
Vultque tuas audax illa ſubire manus.
Viſere qui nuper noſtras dignatus Athenas,
Et conviva meo ſub Lare lætus eras.
Accipe *Nembſi* Lares nunc, *Saeckema*, Camenas
Cecropio Pallas cui dedit ore loqui.

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. JOHANNI COCCEJO.

Th. Doct. & Profeſſori Batavo.

FRiſia quàm nuper, Te diſcedente, dolebat,
Hoc gaudet Batavus, Te veniente, magis!
Scenica Doctorum ſic eſt fortuna virorum,
Et facimus ludos materiemque joci.
Inque pilæ morem nunc huc, nunc pellimur illuc,
Nec ſtatio eſt aliquo certa tenaxque loco.
Hoc illud verè pulchrum & monſtrarier: *Hic eſt*:
Si poteris multis poſſe placere ſimul.
Quæ, *Cocceje*, Tibi penè uni fama relicta eſt,
Non uni ut populo fama ſit iſta ſatis.

Ampliſ-

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

D. MATTHIÆ à VIERSEN, JC.

Senatorii Ordinis Præsidi.

N mea *Viersenio* surgit sub nomine Pallas,
Et nos in titulos area major habet.
jus honoratæ virtus & gloria Gentis
Materiem Vati non finit esse rudem.
î Cytharam merito magnus suspendit Apollo,
Cumque suis hederis pensa Minerva tulit.
Musis Augusta Domus! sæclisque futuris
In totidem Lauros quæ satis ipsa sibi.
iæ poterit nunquam fastis eradere Livor,
Nomina, vel serus rodere dente dies.
s ergò in Batavis turgescit pagina nobis
Sideribus! Quibus est *Frisia* tota minor.

Nobilissimo Viro,

HENNINGIO ANDREE, JC.

Senatori Frisio.

Hic liceat vati, *Andrée*, tua dicere facta,
Inque suos numeros grande referre decus.
ii potes Æmylios tabulâ jactare capaci,
Totque Equitum titulos connumerare domi.
ios inter magnus *Genitor* tuus æthere toto
Eminet, ac plausum posteritatis habet.
iem tua nunc humeris & honore Atlanta juventus
Excipit, & Generis das documenta tui.
ir Magno Patri Soboles: Par gloria Phœbo,
Et nostri in Frisiis Lumina rara soli.
uorum præsidiis olim mea Laurea famam
Rettulit, ac Proceres inter amata fuit.
i testem tantorum operum, cur, Magne Senator,
Postuma *Nenhusii* scripta Parentis habe.

Digitized by Google

Ampliſſimo Viro,

D. AHASSUERO à VIERSEN, JC.

Ærarii Præfecto, & Synd. Leoverd.

EN veterem nunc *Neubuſium* poſt buſta, renatum
Ad Rheni ripas ſcribere verba Tibi.
Et ſua *Vierſenio* depromere pectora totum,
Illi quo nemo junctior antè fuit:
Sive ſales repetas intra pomœria natos,
Seu mordente joco ſeria multa domi.
Cujus Tu toties minuens per carmina curas
Ægrotanti animo pharmaca docta dabas.
Hic, quantum potuit, veros penſavit amores,
Et dat Amicitiæ pignora, teſte rogo.
Exſtinctam nobis nunc lampada tradidit illam,
Quos juſſit memores jugiter eſſe Tui.

Clariſſimo Viro,

D. BERNHARDO SCHOTANO, JC.

Profeſſori Batavo.

PIerides, vos hæc Batavo portate Lyceo,
Clarus ubi Aſtrææ luce *Schotanus* agit.
Dicite: *Neubuſii* ſunt hoc in faſce Libelli,
Et pulchrum Aoniæ ſedulitatis opus.
Illud opus gemino Fratrum ſub ſidere crevit:
Illud jam noſtra tradimus, ecce, manu.
Et Te ritè Deæ ſolenni voce jubemus
Unà nobiſcum vivere poſſe diu.

Ampliſſimo Viro,

D. JOHANNI GUALTHERO, JC.

Ærarii Præf. & ad Comitia Deputato.

HIc legis, ad Rheni quæ ſcripta eſt Littera ripas,
Affectumque tui Patris, ad inſtar, habes.

Hic

potes inferias persolvere ritè propinquis,
: quondam Fratris visere busta tui.
ique novis titulis tædas spectare jugales,
gitimum seræ Posteritatis opus.
t in excelsa præconia cernere gente,
æ vestra in Patriam cura laborque tulit.
Gualthere, tuis pluteis monumenta repone,
iæ Frisiis Genitor post sua busta dedit.

Clarissimo Viro,

JOHANNI LINDANO,
MED. D.

Professori Batavo.

irus erat quondam Frisio, *Lindane*, sub axe,
Propter communem Pallada, noster amor.
m, credo, mihi tales invidit honores,
sint tot tacito lustra peracta pede.
: Batavo juncti pariter sub sidere Vates
irsus amicitiæ lege coire decet.
ris coram Musis sancire laborem,
c porrò solitas continuare moras.
, seu culpa est, seu Fati injuria longa,
pplicium certo pignore quisque luet.
i rei est melior, facinus cum sponte fatemur,
non errorem dissimulare pudet.
oteris non esse reus. Peccavimus Ambo.
l major post hac culpa tacentis erit.

Clarissimo Viro,

BERNHARDO FULLENIO,
COGNATO.

Professori Frisio.

eni, meus in Frisiam rate tendit Apollo,
Vultque Tibi prisco more & amore loqui.
pe Pieridum Nymphas amplexibus illis,

Et nos à Batavis noſtraque lætus habe.
Sic Tu *Neuhuſium* coram vidiſſe putabis,
Cujus nunc Genius trans mare verba facit.
Agminibus ſpatiiſque ſuis ingentibus errans
Jam numeros pangit, jam pede liber agit.
Omnia *Fullenio* pandens ſub cortice parvo,
Cum Quo tot coram cædere verba ſolet.

Clariſſimo Viro,

D. ADRIANO HEREBORD

Profeſſori Batavo.

ADſpice Socraticos ſudores inter & artes
Quid tenuis portet cura, ſcholæque labor.
Iſta rudes animos informat Epiſtola: mores
Ingenuæ pubis nec finit eſſe feros.
Vos tonitru & dirum fulmen quaſſatis Olympo,
Et ſtrepitus tantò major abolla facit.
Pulvere ſic Circi ſacro ſudamus uterque,
Publicaque Aoniâ penſa juvamus ope.

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. JOANNI KNYFFIO,

Eccleſiaſtæ Alemar. & Scholarchæ.

EN, Reverende Pater *Knyffi*, quæ ſcribere Varem
Nomina juſſit amor, ceraſque implere capaces
Quadrivio. Tuus hîc ſplendor ſeſe æquore toto
Exerit, ac pulchrè radias in imagine ſacra
Pieridum. Quando nuper, ſub Apolline dextro
Aonidum inciperes colles fulcire labantes,
Et Latio præferre facem, Divûmque potentum
In titulos grandire gradum. Nos, auſpice Phœbo,
Hæc canimus, laudiſque tuæ calcamus arenam,
Ac toties ſumus in Batavos hinc ore diſerto.
Materies auguſta mihi eſt. Tu, Clare Scholarcha,
Si placeant hæc ſacra Tibi, Delubraque vatum,
Hinc magis adſpira ſacro modulamine Muſas.

Reve

Digitized by Google

Reverendo Doctissimoque Viro,

D. JOHANNI SNELLIO,

Ecclesiasta Alcmariano.

Ui rarò inter nos, Musa prohibente, loquuti
Hactenus, hîc multis copia nata loqui.
norumque simul totam depromere sylvam,
:t tecum verbis pluribus esse domi.
»ius ergò aliis quæ Littera nostra loquuta est,
Junc eadem loquitur littera sola Tibi.
titi sic grande bonum, si sistere detur,
)uà tua vix, *Snelli*, Bibliotheca vacat.

In Consulatum

Amplissimi Doctissimique Viri,

THEODORI à VRYBURCH,

Med. D. Senat. Cos. Scholarcha Alcm.
cIↃ. IↃc. XLVI. XIII. *Kal. Aug.*

Agò age, felici curru Capitolia scande,
Commissumque Tibi grande capesse decus.
neriæ Proceres inter cape, CONSUL, honores,
Et triplici longùm munere sospes age.
totum nobis FORESTUM fata redonant;
:xstinctoque, iterum, Daphnide, Daphnis adest;
gusti redière dies. Redit inclyta Musis
Gloria, & antiquo Fas in honore viget.
a Pimplea suas nunquam marcescere lauros
Sentiet; hîc Phœbo grandis arena patet.
a favet Consi sacris Lucina: tribunal
Quæ prole & titulis afficit æqua suis.
plevit pia vota Deus. Tu, nostra voluptas,
VRYBURGI, in cœlum non nisi serus eas.

Digitized by Google

AD EUNDEM.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. XLI.

INter Amicorum tot verba & vota precantum,
Neubusii taceat sola Thalia, nefas.
Sed paucis. Fera conglaciant nunc sidera Cirrhæ,
Nunc prohibet carmen scribere, frigus iners.
Hoc unum Tibi, *Vryburgi* doctissime, Jano
Teste, precor: felix proximus annus eat.
Totaque se vobis de cœlo flumina pandant,
Unde tuis laribus non nisi mella fluant.
Et vivant in honore Deæ, Te Præside, nostræ;
Ac Phœbi semper sit tibi cura tui.
Lætaque proveniant, sacra cum luce, Sionis
Tempora, Christiadum post mala tanta chori.
Et benè Nassoviis, bene vortant omnia Belgis,
Cunctaque *Vryburgo* prospera, cuncta mihi.

Clarissimo Viro,

D. BERNARDO SCHOTANO, JC.

In Lugd. Batt. Acad. Antecessori & Rectori Magnifico.

Cum gravi morbo cubans examen Juridicum ederet.

HActenus ore tuo triplex Oràcla Lyceum
Hauserat, & Themidos pectore plenus eras.
Nunc coram AURIACO Suadæ vis enthea cessat,
Mensque reformidat ferre subacta *jugum*?
Diî prohibete minas. Nec tam obscæva veritas
In Batavis Phœbo tristis, & atra dies.
Si furor est cunctas Helicone arcessere Musas,
Paulatim mundi grande fatiscet opus.
Unum oro, SCHOTANE Pater: Tibi suppetat ævi
Longior, ac famæ sis satur ipse tuæ.
Quem nunc Elysiis penè in convallibus umbræ,
Dictantem leges obstupet ipsa THEMIS.

ALIUD.

Digitized by Google

ALIUD.

Quod Chaos antiqui Juris digeſſit in orbem
Fuſius, & multos in vada cæca tulit:
Hoc, *Vir Magne*, tuus labor in compendia miſit,
Ad Themidem ducat ne via longa nimis.
Sulta manu reſecas, quæ barbarus intulit horror,
Et grandem in rivos contrahis Oceanum.
Utile ſic dulci miſces. Jus faſque reponis,
Auſonii vindex, in ſua ſceptra, fori.
Auſpicioque tuo Batavis Aſtræa revertit,
Purior & priſcis fontibus exit honos.

EPIGRAMMA

In

Natalem Octogeſimum Tertium

Nobiliſſimi Viri,

D. REINERI CASEM-BROOT, JC.

Senatoris Batavi.

Ipſis Kalendis Jan. CIↃ. IↃC. LIIII.

QUis dubitet, VIR MAGNE, tuis conatibus Æther
Annuat, & felix ſitque SENECTA Tibi?
Qui cum Bicipiti numeras Natalia JANO,
Et coram Cunis cernis adeſſe DEOS.
Nec poteras ſine teſte DEO, ſine Numine naſci;
Aut dubiam hanc vitæ ſolus inire viam.
Aſt, *Phœbo* naſcente, ſimul tua ſtamina lætus
Incipere, & juxta Numina ferre gradum.
Crede mihi, haud fruſtra eſt, naſci concordibus Aſtris,
Et vitam ordiri penſaque, teſte DEO.
Arcanum, Lucina, mones. Natalibus iſtis
Unà cum *Phœbo* nata *Minerva* ſuo eſt.

Digitized by Google

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. LUCÆ VINCKIO.

Ecclesiastæ Alcmariano.

NUnc etiam Batavus jactat tua Nomina, *Vincki*,
Suspenditque suis ista trophæa tholis.
Nos humiles sequimur tua per vestigia vates,
Nomina qui fastis scribimus ista suis:
Obsequium Pietasque placet. Parsque illa laborum
Utilis, ingenui prodit amoris opus.

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. VERNERO ENSCHEDE

Ecclesiastæ Alcmariano.

CLare VIR, Almeriæ nuper decus addite terris
Et nostræ, post tot vota, SIONIS Honor:
Accipe *Neuhusii* quoque, Phœbo interprete, dictas,
Nec culpam in sacris vatibus esse puta.
Qui licet officiis non primus in æquore visus;
Haud minus hoc primus tangor amore tui.
Pro Te, proque Tua, sanctæque Penatibus urbis
Ad cœlum supplex vota precesque dedi.
Enschede, cum chara possis ut *Conjuge* longùm
Vivere, & in Thalamo prosperiore frui.
Et nobis tantò Tædis felicior esse,
Qui jam parte mei tristis & orbus ago.
Vovimus hæc nuper tacitis, penetralibus imis,
Et pars hæc priscæ Relligionis erat.
Nunc aliâ natas tibi fistimus æde Camœnas,
Qualia posteritas Nomina seta leget.
Utraque Sacra tuis animis oculisque patebit,
Qui totis cupio viribus esse tuus.

Clarij-

Clarissimo Viro,

D. HENRICO KOLDE,

HISTORIOGRAPHO FRISIÆ,

&

Gymnasii Leowerdiani RECTORI.

cIↃ. IↃc. LII. *Idib. Maji.*

SIc iterum prodit *Genitor* de faucibus Orci,
Et vult in Frisiis Te quoque teste loqui.
Fatidicosque suos rursum enarrare labores,
Ut nos hinc doceat ritè timere Deum.
Quas solitus secum in vivis expendere curas,
Et versare sua nocte dieque manu.
Salve, Magne Virûm, tanti Successor Honoris,
Quem juvat hunc titulis Nestora pone sequi.
Quemque tuis humeris jam nunc Atlanta Magistrum
Excipis, & gemina Lampade clarus agis.

Nobilissimo Viro,

D. THEODORO à NIENBURCH. J.C.

OPtime *Nihusi*, sæcli melioris imago,
Hîc etiam in nobis otia falle, rogo.
Et lege Perithous fido quid scribat Oresti,
Quæque sodalitii nomine dictet amor.
Argumenta mihi, varia est farrago loquendi,
Seria cumque jocis multa libellus habet.
Tristia cum lætis permiscet Epistola verbis,
Et Mimum in scena Proteaque alter ago.

Nobilissimo Viro,

D. PHILIPPO LANSCHOT, J.C.

ADVOCATO.

TU Juris nodos & Legum Ænigmata solvis,
Fortia, *Lanschoti*, natus ad arma fori.

Digitized by Google

Nos animos Juvenum, molleſque incudibus annos,
Fingimus & Muſis otia ſacra damus.
Teſſera militiæ ſic nos & purpura jungunt,
Officio at longè diſtat uterque ſuo.
Nos tamen hîc auſi Themidos tentare profundum,
Inque ſuos numeros ſollicitare Togam.
Annue, *Lanſchoti*, noſtræque ignoſce Thaliæ,
Et tenerum caſti ſuſcipe Vatis opus.

Doctiſſimo Viro,

D. JOHANNI STEENHUSIO, JC.

Ex vet. Diſcipl. dilecto.

EN Tibi, *Steenhuſi*, priſcæ virtutis imago,
Quæ mihi Calliope, poſt tria luſtra, dedit.
Quando te primum, noſtræ concreditus arti,
Formandum Phœbo ſub mea ſacra dares.
Et nunc in majus famam ſudoribus auges,
Ingenii pulchre dans documenta tui.
Hîc canimus Vates digniſſima nomina Muſis,
Inque triumphali veſte Senatus ovat.
Quas inter Lauros ſtatuam Tu ſponte mereris,
Quem non in Faſces Ambitio ulla rapit.

Clariſſimo Viro,

D. HENRICO BRUNONI,

Pro-Rectori Hornano.

ITe, meæ Muſæ, teretem *Brunonis* ad aurem,
Omnes Pegaſidum qui bibit unus aquas.
Ipſaque jàm dudum perrupit in atria Phœbi,
Furtim quà Muſis ſuſtulit omne decus.
Et ſibi jam ſoli theſauros colligit iſtos,
Unde, ſuo cenſu, quæque ſuperba foret.
Ite, meæ Muſæ, teretem *Brunonis* ad aurem,
Si quoque quid nobis hic ſalis eſſe putet.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Te, mei versus, divini Vatis ad aurem,
Ut vos Pegaseis irriget unus aquis.
Te vos trita sibi perducat in atria Phœbi,
Ut vobis illinc conferat omne decus:
Te tenui afflatu versus vos vertat in istos,
Ipsa quibus Clio jure superba foret.
Te, mei versus, divini Vatis ad aurem,
Ut bene vos mutet, si nihil esse putet.

HENRICUS BRUNO.

Amplissimo Viro,

D. GERARDO KETH, JC.

Senatori & Scholarchæ Harlingano.

PRisca mihi Tecum Fidei sunt vincula, *Ketsi.*
Et non à parvo tempore junctus amor:
Qui Batavos etiam Vatem comitaris ad axes,
Et non immemorem me sinis esse Tui.
Egregium sanctumque Virum qui nomine præstas
Semper, & in Musas pectora fida geris.
Hæc peto, Mecœnas, qua quondam fronte solebas,
Iisdem nunc oculis fronteque nostra legas.
Et maneat longùm, duretque in sæcla Nepotum,
Quæ semel auspiciis cœpta Minerva tuis.

Nobilissimo Viro,

D. CORNELIO ab EGMOND à NIEUBURCH,

A Septennii convictu charissimo.

Ne Tempestatibus se objiceret.

AUdin' Hyperboreâ notus ut bacchetur ab Arcto,
Diluviique novis ferveat æther aquis?
Tu non crede animam ventis, atque imbribus atris,

Digitized by Google

Subſidatque prius pontus & unda, precor.
Quam vehit hæc Argo, nimis eſt pretioſa ſaburra,
Nec minus Auriaco continet illa ſibi.
Nos tecum imbelles rapiamur in omnia Muſæ;
Nos lateri, Vates, proxima turba ſuimus.
Conſultum non eſt Aquilonibus ire per altum,
Cum ſtupet in Furias Nereus ipſe ſuas.
Hæc, *Neoburge*, tuos nequeant ſi ſiſtere curſus,
Quæſo, tuam ſiſtat *Cornelia* una fugam.

ALIUD.

Ut feliciter Speniam domum ducat.

CUm benè junxiſti facilem tibi lege Dionem,
Et ſatis eſt thalami firma tenaxque fides,
Huc ades, ô *Neoburge*, tuâ cum Conjuge felix,
Et clarum noſtris Civibus adde decus.
Hîc ſua ſunt Cereri quoque dona, & vitis Lacchо;
Hîc ſatis in cenſum Schermera dotis habet.
Miſceri fas eſt cognatis Numina terris,
Amſtela nec cunctis uſque morandus erit.
Illâ ſe Soceri prudentia jactet in aula,
Æquora cum ſternit molibus alta ſuis.
Hîc fœcunda dabit Mater *Cornelia* prolem,
Confunderque ſuum nobile ſtemma genus.

ALIUD.

In miſſionem novæ Edit. Epiſtolarum.

NIenburgi generoſe, tuam nunc mitte Dianam,
Retiaque Idaliis tendere, mitte, Feris.
Contemplare meas, oro, pro tempore Muſas,
Et ſpatium Phœbo det furor iſte tuus.
Iſtâ qui ſolitus decurrere mactus arenâ,
Inque meis caſtris Principis eſſe loco.
Quicquid Apollineæ per brumam impenderis arti,
Crede mihi, facilis ſarciet illud Hymen.
Utilitas aliqua eſt, noſtras coluiſſe Sorores:
Sic *Corneliada* baſia docta dabis.

Cleriſſi-

Digitized by Google

Clarissimo Viro,

D. ANDREÆ à SCHAGESTEYN, JC.

Advocato & Exstab. Alcmar.

INter tot Themidos curas, Vadimonia, lites,
Has quoque Litterulas, Clare Scabine, lege.
Invenies illic pulchræ *Molevlitidos* ignes,
Et, quæ tunc Veneri vota Poëta dedi.
Sic, quam, jure tuo, thalamis abscondis amatam,
Illam, jure suo, Littera nostra canit.

AD EUNDEM.

QUi modò, *Schagen*, tibi cecini lætus amores,
Nunc Thalamis istis tristis amaror inest.
Efferturque rogo vestræ pars optima vitæ,
Deliciasque tuas terra cinisque tegit.
Illa *Molevlitis* facies generosa sepulchro
Clauditur, & putris vermibus esca datur.
Hos ego jam pridem Manes & funera passus:
Conjuge cum charâ, prô dolor! orbus eram.
Diffluimus frustra lacrymis noctemque diemque:
En! præfert nostras Mors quoque certa faces.
Auspicium Æterni, jactura est, corporis. Olim
Hæc caro cum *Christo* nostra resurget ovans.

Ipso Exequiarum die XII. *Decemb.*
CIↃ. IↃC. LI.

Nobilissimo ac Felici
Aggerum Petterviorum Inspectori

D. CORNELIO SONNEVELDIO, JC.

ERgò etiam major Neptuno & fluctibus audit,
SONVELDI, tuus iste labor: Dum frangitur æquor
Molibus, & nostris avertis mœnibus hostem
Oceanum. Frustra jactas miracula, Nile;
Et victam, Pellæe, Tyrum. Nos Nerea totum
Aggeribus nudis, & solâ vincimus arte.

Digitized by Google

Neptunus loquitur.

QUi pridem, cum Fratre, notis bacchabar & undis,
Ac penitus toto litore rector eram:
Jam mea fatales eludunt Numina dextræ,
Et vix dum pelagi limine tutus ago.
Audax Iapeti genus, & furor ipse Batavûm:
Ausi Nereïdum qui violare domos.
PETTENUM, monumenta mei dabis æqua furoris;
Unde mihi toties clara trophæa tuli.
Hîc solitus Scythiæ montes & hiatibus ornos,
Ipsaque Tænariis mergere saxa vadis.
Nunc Ego, sed meritas poscet Rhamnusia pœnas,
Ipse meis regnis hospes & exul ago.

ALIUD.

VIncite jam Belgæ, Populos sub sole remoto,
Et toties vobis ritè Triumphus eat:
Plus facimus. nostris manibus qui Tethyos *undis*
Frangimus, & Vestæ mœnia tuta damus.
Quod probat exemplis SONVELDI mascula virtus,
Quando operi fortes commodat ipse manus.

Consultissimo Viro,

D. ÆGIDIO ab OUDESTEYN,

ADVOCATO.

SCripsimus hæc facili nobis dictante Minerva,
Et speciem vacuæ Littera mentis habet.
Alcinoi quales habitus Autumnus habebat,
Et vatia inducto Luna colore nitet.
Huc etiam advertat meus *Oudesteinius* aurem:
Cui puro quondam pocula lacte dedi.
Et primus rectam signavi ad Pallada metam,
Inque suis castris Ductor & Author eram.
Ægide nunc multa cui firmum pectus & *ære*,
Et pulchra in Latio gloria parta Togæ.

Clariss-

Digitized by Google

Clarissimo Viro,

D. JANO ERASMIO, *COLLEGÆ.*

MAgne Vir, Eloquiis Suadâ torrentior ipsâ,
Et Latios inter gloria prima Patres,
Accipe *Neuhusii* circum pia tempora Lauros,
Quas illi multa texuit arte labor.
Qui tua perpetuis hîc mandat nomina fastis,
Et Tecum exoptat post sua busta loqui.

Consultissimo Viro,

HENRICO NEUHUSIO, FRATRI.

Advocato & Synd. Worc.

POst Tibi continuo comites in fasce libellos;
Et centum lassi jurgia rauca fori,
Hîc etiam in nostros potes exspatiarier hortos,
Si vacat, & campo liberiore frui.
Materiamque mei pariter, magnique *Parentis*
Cernere inoffenso verba diserta pede.
Quæ mihi relligio tacitis fuit abdere lustris,
Aut mecum obscuro pressa tenere sinu.
Sic iterum inferias solvo. Vitamque Parenti.
Nunc reddo, vitam qui dedit ante mihi.

Reverendo Viro,

D. ALBERTO NYENHUYS,

Avunc. totos LX. *annos V. D. M.*

MAgni Mysta Dei, plausu dignare Camœnas,
Et faciant parvam pulpita sacra moram.
Quem nunc canities, atque octogesima dudum
Pulsat hyems, senio corripiente gradum.
Et cui nostra queant non amplius arma placere,
Nunc alium Genio præmeditante Deum.

Ultima

Digitized by Google

Ultima nunc, oro, faxis: Qui mortis in umbra
Usque etiam haud nostri non potes esse memor.

Reverendo, Clarissimo Viro,

D. JOHANNI PICARD. Cognato,

Theologo & Medico.

POst cineres nostros, & amicæ Conjugis urnas,
Hæc, Cognate, Tibi munera prima fero.
Munera chartarum, & foliam foecasse Sibyllæ,
Quod facili huc illuc cardine ventus agit.
Magna parte tamen meruit labor iste favorem,
Et poterit plausus forte mereri tuos.
Quippe, leges illic plena jam margine libri:
Roxialis Thalamos quà Brederoa subit.
Et pater ipse tuus Musarum in colle triumphet,
Propugnetque sacrum ritè Sionis opus.
Illo Te cupiam nostras adamare Camœnas
Nomine, & in Census ista referre tuos.

Clarissimo Viro,

D. JOHANNI ANSTA, M. Doct.

Archiatro Harlingano.

MAgne Vir, in Frisiis clarum & memorabile nomen,
Et Phœbo meritis gloria prima tuis:
Accipe nunc, Batavo quod Vates somniat axe,
Si quando afflata est mens propiore Deo.
Neuhusioque tuo currenti in Martis arena,
Cum plausu, stimulos subde facemque tuam.
Nomine sub vestro toties cui pagina currit,
Auspiciisque tuis prodit in ora Virûm.
Qui nisi Mæoniam solitus deposcere palmam,
Et cui plus nostris præstat Apollo domi.
Tolle tuum, precor, Hippocratem, doctumque Cleanthem:
Dum Tecum hîc paucis versibus, *Ansta*, loquor.

Reve-

Digitized by Google

Reverendo Viro,

D. GUALTHERO PICARD,

In Eccles. Groning. V. D. M.

TU ducis lætos, charâ cum *Conjuge*, soles,
Et magna in Frisiis dote maritus agis:
Nos tristes, charâ sine *Conjuge*, ducimus annos,
Et partim in Batavis pulvis & umbra sumus.
Sic vitæ scena & Fatis dictamus uterque:
Uxorem ille Toro possidet, ille rogo.
Hoc fecit Deus! ut, donis cœlestibus aucti,
Sortem quisque suam ferre patique queat.
Materiem tanti luctus levat una Thalia:
Unde aliqua est nostris hîc medicina malis.
Tu, *Cognate*, meos animo miserate dolores,
Interdum alloquio tristia corda leva.

Præstantissimo Viro,

D. GOTHOFREDO KINNEMA,

Ab Arte ad Martem evocati.

NUper apud Batavos placuit tibi solus Amyntas;
Aonidumque chori non malè cultor eras.
Nunc alium versas in aperto pulvere Martem,
Proque Togæ studiis Pallada miles amas.
Ut Patriæ rebus possis nec inutilis esse,
Et Divorum aras afferre atque focos.
Sarcina nec gravis est, Vatem gestare sub armis,
Et geminos una jungere mente Deos.
Talis Pellæus, sumpta Rex ipse Tiara,
Defensus Musis & pugione simul.
Sit, Cognate piis gladiis atque artibus usus,
Egregie patrias res tueare domi.

Doctis-

Doctissimo Reverendo Viro,

D. JOHANNI ROLDANO,

Ecclesiasta Enchusano.

DUm canis ingentem per pulpita sacra Tonantem,
Fortè tuos intrat nostra Thalia Lares.
Da veniam, *Cognate*, peto, si in limine peccet,
Et non officiis usa sit illa satis.
Proximà Nereïdum potuit loca Musa timere,
Et rabiem hîc vestri non benè ferre maris.
Promptius expediet Domini mandata: *Penates*
Olim cum melius noverit illa tuos.
Quando non sacras tunc perturbabimus aras,
Protinus admoniti conditione loci.
Nunc cape palantem, facilis *Roldane*, Thaliam,
Quæque mihi Phœbus dictat ab ore suo.

Doctissimo Viro,

D. JOANNI BRUNONI,

Ecclesiasta Egmondano.

NOminà defuncti quàm sint mihi chara Parentis,
Hæc mea non uno Littera teste probat.
Illius exequias lacrymis adspersimus udis,
Nec tumulo vates verba coëmpta dedi.
Ergò venturis nunc scribit Epistola sæclis:
Brunonem ex toto non potuisse mori.

Doctissimo Reverendo Viro,

D. JOHANNI MONACHIO, V. D. M.

Avunculo.

TU quamvis majore animo mysteria volvas,
Et coram doceas, Clare Vir, ore Deum:
Non tamen hîc aliena Tibi procudimus arma,

Qui

Qui Phœbo & Musis dedita turba sumus.
'eque tuosque cano Latiâ generosus arenâ,
Et rem divinam Numine tactus ago.
im calamo Vates, Magnatum missus in aulam,
Jam Patriæ causas ante tribunal agens;
ut in Coniugii tædas dilapsus, amores
Gratulor, aut carmen Præfica triste cano.
fateries non una mihi est. Tu fronte serenâ,
Cum vacat à sacris, otia nostra lege.

Clarissimo Viro,

D. ABRAHAMO van der BRUGGE,

Doctori Medico.

SIste gradum, *Braggi*; suspende Machaona doctum,
Hic Tibi nunc alio Numine Numen adest.
Pieridum turmas hic pulchro ostendimus albo,
Jamque etiam in terris nuncia Fama sumus.
Non tot mandatis Procerum Cyllenius unus
Sufficit. In partem nos labor ille vocat.
Sic quoque *Neuhusius* pedibus talaria nectit,
Officiumque Jovis jam famulantis agit.

Clarissimo Viro,

D. JOANNI GESTERANO, M. D.

Archiatro Alcmariano.

HIc, *Gestrane*, tuas mea Musa ebuccinat artes;
Atque inter clarum postuma nomen habes.
Qui meritò nobis primâ dicende Camœnâ,
Si tuus hoc fieri fortè tulisset Amor.
Sed, mihi tunc medium Phœbus confecerat orbem,
Cum tua Gertrudis basia prima daret.
Da veniam Vati, vestros turbare penates,
Pignoraque à tali Judice velle legi.

Reve-

Digitized by Google

Reverendo, Viro,

D. JOANNI KNYFFIO,

Ecclesiastæ Alcmariano,

ET

SCHOLARCHÆ.

EPIGRAMMATA SACRA,

Pro Auspicio Anni CIↃ. IↃC. LII.

I.

ACcipe nunc iterum nati Cunabula *Jesu*:
Mittere quo majus munere nemo potest.
Quos cum Natales toties vos ore diserto
Dicitis: hæc eadem sacra Poëta cano.
Nec Phœbum cupio causam ignorare salutis,
Absentemque meis artibus esse Deum.
Iisdem qui auspiciis moderamur fræna theatri,
Et sæcli vitiis hostis; uterque sumus.
Quare solennes hic CHRISTO ponimus aras,
Et volumus Vates non minus esse pii.

II.

Prima meas tangit Batavûm Res anxia curas,
Aurea cui cœlo sæcla redire velim.
Et tutâ veteres agitari in Pace triumphos,
Et florere suo colle Sionia opes.
Cui placidos inter Zephyros se præbeat æther,
Vitaque sub fagi tegmine dulcis eat.
Aut Bellona suos iterum trux commodet enses,
Si satis Hispano non sit habenda fides.
Sed, non ex illa metuo mihi parte periclum,
Et Batavis, spero, Dii meliora dabunt.

III.

Altera pro charis stimulat me cura Britannis:
Quos nunc adversi fluminis æstus agit.

Occa-

Digitized by Google

Oceanusque minax, & inundat sanguinis æquor,
Et plus Riphæo vertice frangit hyems.
Nunc ubi carpento vehitur per cæsa virorum
Corpora, & in proprios Mars furit ipse lares.
Hæc ut Sole novo rabies subsidat & ira,
Nunc sua tranquillus Numina Belga rogat.

IV.

Addimus his nostræ Musas & Palladis urbem.
Quæ sibi perpetuus mœnia Phœbus amat.
Et quo sub cœlo prudentia rara Catones,
Tot cognata suis laudibus ora, videt.
Mirandumque sui rerum Natura paratum,
Artificisque Dei nobile cernit opus.
Hîc, utinam! nostro major fiet area Phœbo,
Et semper Pallas Templa Laremque colat.
Tu nuno, *Jane*, fave. Nec spes ut fallat amantem,
Testetur certâ proximus Annus ope.

V.

Claudimus hîc rivos. Anni jam scena peracta est;
Et tot Fatorum per mala finis adest.
Hinc alius nobis franget subsellia Phœbus,
Et meliora suis otia Daphnis aget.
Pieridumque chorus, post pensa infanda laborum,
Inveniet solito lætiùs ire diem.
Omine quod nobis Fausto ut promittat Olympus,
Hic precejam superos nostra Thalia rogat.

In Effigiem
EJUSDEM.

TAlem Te, KNYFFI, Polycletus sculpsit in ære,
Si aliquid vivi Numinis instar habes.
Pulchrum Animum, & Mores ductos meliore metallo
Artificis potuit sculpere nulla manus.
Cui Patrum nuper chorus assurrexerat omnis,
Staret ab Auspiciis cum pia causa tuis.

Et

Et coram AURIACO, Christi Legatus ad aulam,
Assereres nostræ grande Salutis opus.
Sic nunc, post Rheni ripas, ALCMARIA gaudet
Præsidiis Tanti sartaque tecta Viri.
Magne DEI Vates! Meritarum Encomia laudum,
Livor ubi cessat, posthuma Fama dabit.

EFFIGIES
Incomparabilis Viri,
DANIELIS HEINSII,
EQUITIS, &c.

CErnitis? Hic mundi Phœnix, ille alter Apollo,
Heinsius, ut pingi corpore & ore potest.
Parte sui meliore, Animo, transcendit Olympum,
Jamque diu Divos inter & astra fuit.
Qui plures doctè scripsit, quàm viximus annos;
Et, prætextatus, Nestore major erat.
Livor abi. Palmam Batavæ meruistis Athenæ,
Nec regio Vatem viderat ulla parem.

Amplissimo Viro,
D. THEODORO VRYBURGIO,
MED. D.
Consuli Alcmariano.

HAs foribus, *Vryburge*, tuis suspende coronas,
Cypria quas docta texuit ipsa manu.
Et nuper Divûm Thalamis suspendit Apollo,
Auspicio lætus Numinis ipse sui.
Quas Tu cum tacitis oculis & mente pererras,
Ipse tui Generis Nomina celsa legis.
Et seges ista Virûm prodit sub luminis auras,
Sub quibus hic felix otia civis agit.
Et manibus defensa olim, ac victricibus armis
Libertas Batavûm, Religioque stetit.

Hinc

Digitized by Google

nc nova progenies, & clarus origine ſanguis
In Patriam Julos Aſcanioſque dabit.
iolis, Faxit Generos modò Juppiter æquus,
Proxima debetur pagina, fortè, tuis.
cendit Cytherea ſuos ad Carmina Vates,
Et furor in pretio eſt ſæpè laborque pius.
Hatumque juvat Genii melioris ab œſtro
Ire per Heroum grandia facta modis.
titulos inter Procerum, & connubia caſta
Nympharum, ſolidum fallere ritè diem.

Doctiſſimo Viro,

JOHANNI NEUHUSIO.

Ara mihi lætam prætexit Epiſtola Laurum:
Quam legis, à Capreâ miſſa palude venit.
iſſimilſque mihi facies aperitur in illis,
Ut ſolet Autumni fallere ſæpe dies.
um non æquales oſtendit Cynthius orbes,
Nec cœlo pluvias una minatur Hyas.
ccipe, & humanos hinc, Frater, diſce figuras,
Quamque illud totum, *Vivere*, triſte, *Nihil*.

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. JOHANNI PICARD,

Med. Doct. & Theologo.

Cum Patriæ ſuæ Antiquitates ederet.

Quid veteres, *Picarte*, ſuâ tellure Gigantes
Elicis, & Pyrrhæ ſæcla redire facis?
ſti nunc ſileant Manes incudibus Ætnæ,
Quos dudum rapuit fulmen & ira Jovis.
Non genus Alcidæ Saliis in finibus ortum;
Terraque non homines educat iſta malos.
Mitius hic cœlum nobis, & mollior Æther:
Qui non hanc ſoboleſ ſuſtinet eſſe ſibi.
Ergo omnis Vatum mentita eſt pagina nobis,
Et certam Siculi non habuere fidem;

Si,

Digitized by Google

Si, *Picarte*, tuis ſcriptis eviceris illud,
Cyclopas Saliis finibus eſſe ſatos.
Tu tamen in famam prodi, venæque ſecundæ
Nobile faç multâ luce fruatur opus.
Et, novus Inventor, priſcis Annalibus ævi
Erue, quo poſſis Teſtis habere fidem.

Clariſſimo Viro,

HENRICO NEUHUSIO, JC.

FRATRI.

Advocato & Penſionario Werenſano.

INtonuit totum nuper Tarpejus in annum,
Libera nec lacrymis hora dieſque fuit.
Non aliter quam ſi Pyrrhæ nova monſtra redirent,
Et fureret priſco, Deucalione Deus.
Publica mutabant toties in funere veſtem,
Nec ſatis in pœnam *Carolus* unus erat.
Belgica ſe regum tantorum miſcuit urnis,
Crinibus effuſis totaque triſtis erat.
His adjunge meos in charâ *Conjuge* Manes,
Et pridem noſtræ Funera nata domi.
Sperandum, cum Sole novo, Fata aſpera ceſſent,
Et melior nobis luxerit aſte dies.
Inque vicem ponat tonitrus, ac fulmina tollat
Omnipotens: cœlum lætiùs ire jubens.

Reverendo Viro,

D. FEIKONI OEDSONIDÆ,

In Eccleſ. Leoverd. Paſt. fideliſ.

O *Edſoni*, tua me Pietas, & neſcia quemquam
Fallere mens, memorem nunc facit eſſe Tui,
Et, Batavos ultra, veſtras invifere Muſas,
Antiquamque Tibi teſte probare fidem.
Qualia, cum paucis, animi commercia ſolus
Inter ſumma Boni culmina jure locas.

Nemo

Digitized by Google

Vestibulum hîc cernis, fua nunc poſt buſta, renatum,
Poſt cineres ipſos, nomina chara tibi.
Quem toties vivum & per pulpita voce diſertum,
Obſtupuit Templis ipſa Minerva ſuis.
Occurretque ſimul, quæ nobis dogmata quondam
Ad vitæ dederit tunc melioris iter.
Et, qui ſic ſtudiis teneris fuit utilis olim,
Poſt ſua non etiam funera gratus erit?

Doctiſſimo Viro,

D. AUGUSTINO HARINGIO,

Optime merito Præceptori.

RGò avibus dextris ad priſtina ſacra revertor,
Et ſolito vobis farre litare libet.
Quæque alio paſſim ſub ſidere victima cæſa eſt,
Victima nunc aris cæditur illa tuis.
Afferimus patrio lectas de more Camœnas,
Qualia ſub Batavo ſidere Phœbus amat.
Et ſibi delicias non ſpernit noſter Amyntas,
Inque ſui pretio Pollio doctus habet.
Hæc etiam gelido poſſint ſub *Friſidos* axe,
Otia ſi fuerint, fortè placere Tibi:
Qui teneros nobis duxiſti pollice mores,
Ingenioque rudi ſemina prima dabas,
Ne dubita: fixus nobis radicitus hæres,
Et mens hæc ſacro flagrat amore Tui.

Doctiſſimo Viro,

IOHANNI NEUHUSIO, V. D. M.

Fratri.

QUum Phlegetontæas Alecto ardeſcit in iras,
Et Furiis nullum dant elementa locum:
Tu validis contra Satanam nunc viribus urges,
Suſcipis inque humeros Hercule majus opus.
Compedibus Stygium ut poſſis frænare Draconem,
Et felix tantis obvius ire malis.

Digitized by Google

Fortem poſce animum, Frater, terrore carentem,
Ut ſpolium victor de Babylone ferás.
Et populum ædificans CHRISTI, cum fœnore muto,
Depoſitum domino reddere grande queas.
Et nunc in *Morrhâ*, poſt tædia lucis iniquæ
Ætatis longæ ſit tibi facta *morâ*.

Clariſſimo Viro,

D. JANO BORGESIO,

Theologo, in Illuſtri Gymn. Groning. Rectori.

HIs etiam Pietas tabulis generoſa Parentis
Inſeruit nomen, poſt ſua Fata, tuum.
Qualia nos tacitis, Cinerum cuſtodibus, urnis,
Et damnare ſitu. Relligio ipſa vetat.
In vos, inque pios Manes injurius eſſem,
Et facerem immeritò ſtigmata, Phœbe, Tibi.
Ad quod non facinus ſatis eſt, ſi culeus unus,
Cum ſerpente uno, ſimiaque una fiet.
Ergò hæc è Batavis, *Borgeſi*, mittimus oris,
Et volumus Fidei templa ſubire tuæ.

Doctiſſimo Viro,

D. NICOLAO JUNGIO, Affini.

V. D. M.

ERgò inter medios planctus, atraſque cupreſſos
Fratris *Alexandri*, Littera nata mea eſt.
Dumque alius famam ſcribendo captat inanem,
Hic nimium triſti funere raptus obit.
Sic Homines ſumus, & ſtatio quibus illa peracta eſt,
Gratuito tantùm fœnore vita data eſt.
Quod ſatis Aonides non uno hîc teſte probabunt:
Materiam Parcâ ſuppeditante mali.
Fruſtrà nos miſeri gemino ſub ſole triumphos
Ducimus, aut magnas accumulamus opes.

Hæc

Digitized by Google

c nos felices saltem, ut, post nobile Lethum,
In Cœlo existat, nostra Corona, Deus!

AD EUNDEM.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LII.

Ube unâ involvit, *Jungi*, se proximus Annus,
Communisque fuit Lerna, segesque *Mali*.
Superi vellent mundo properare ruinam,
t nos iratis mergere rursus aquis.
neliore diem auspicio nova Cynthia promat,
loc supplex orat Belgica tota Deum.
ossint *nitidi* nobis lucescere soles,
ui sint optati causa segesque *Boni*.

Doctissimo Viro,

HENRICO MONACHIO,

Cognato, Theologo.

Te Mosa Pater, seu te, Cognate *Monachi*,
Fortè tenet riguis Isala lætus aquis:
timus hos animi testes ad limina nota,
nde Tibi faciles ad mea sacra manus.
pro jure peto, quocunque sub axe moraris,
e nos prætereant tecta Laresque tui.
imus incerti, sed, certam in funeris horam,
t, dum quis cessat scribere, forsan abit.
d satis incertis Aquilonibus edocet annus,
xemplisque suis mors inopina probat.
be, nec officium longas hinc differ in horas:
fficii certam non habet hora fidem.

Digitized by Google

Doctiſſimo Viro,

D. NICOLAO BRAMIO,

Apothecario Clariſſimo.

NON Tibi odoriferos hîc, *Brami*, mittimus Indos,
Aut Arabum meſſes, pinguia thura, dapes.
Sunt Caſiæ nobis molles & Cinnama, Muſæ
Qualia cum Phœbo munera Daphnis amat.
Hæc Tibi de Ponto, vel Colchide mittit Iaſon,
Et Natura ſuo parturit alma ſinu.
Diſſimiles igitur. Flores nos fingimus *iſtos*:
Vobis Parnaſſus totus & Hybla domi eſt.
Sed, patere, ut ſerpam Vates hos inter odores,
Vobiſcum & calcem Lilia miſta Roſis.

Doctiſſimo Viro,

D. ANDREÆ WINCKELIO,

Eccleſiaſtæ in Abbekerck, ex vet. Diſciplinâ dilecto.

EN Tibi, *Winckeli*, noſtros in imagine vultus,
Promiſſumque tuis artibus illud opus:
Quod ſub nominibus magnis titulisque Virorum
In lucem prodit, nec timet ire foras.
Hîc tua venturis etiam præconia ſæclis
Scribimus, & teſtes in tua ſacra ſumus.
Hîc legis, & paſſim veteris veſtigia Muſæ,
Quæquondam ſtudiis ubera plena dedit.
Parte aliqua invenies lacrymas & Funera Chari
Conjugis: Officium hîc ſponte dolentis agis.
Poſthumaque adglomerant ſe magni ſcripta *Parentis*
Quodque mihi reliquum fecerat inde rogus.

Digitized by Google

In Albo

EJUSDEM:

Inckeli, tua te Pietas, Doctrina, decusque
Æternum in terris vivere jure sinent.
itur dignum tanta Virtute theatrum,
ræ reliquis Virtus cui placet una, *Deus*.
er: & in magnos conatus erige mentem:
st semper Pietas utilis ipsa sibi.

Doctissimo Viro,

OLPHARDO BELIDA,

DISCIPULO.

Et in Rectoram Harlinganam Successori.

lspare nos Fato felices vivimus Ambo,
Et pulchrum est, vario Numine, Cuique Suum.
bis divitias grandes Cyllenius adfert,
Multaque dat terris commoda, multa mari.
s hic Almeriæ trahimus data pensa Minervæ,
Et turba in Lauros ambitiosa sumus.
, juxta Phœbum, titulis & Honoribus auctus
n patriæ præstas nomina magna foro.
s procul à clavo Musæ, suffragia nulli
endimus, & Batavis nomina muta sumus.
pare vivamus Fortuna & moribus Ambo,
ontenti rebus: Sors sua cuique placet.

Amplissimo Viro,

VENTIDIO RICCIO,

Dynastæ Pomerendano.

CONVICTORI.

N Tibi, *Ventidi*, à solita nunc munus arena,
Et nostri in sacram Pallada amoris opus.
od pridem Almeriæ dextro sub sidere natum

Digitized by Google

Ingenio magnos tollit ad Astra Viros.
Et Tecum, juxta Batavæ Præconia Gentis,
Cumque Tuis, ultra Vertice scandit humum.
Quare age, Palladias intra tua tecta Puellas
Accipe, & antiquam ritè tuere Fidem.
Qui toties animum Musis candore probasti,
Inter delicias & mihi primus eras.

Præstantissimo Viro,

D. JOANNI à SANE,

Reip. Monachodamensis Scabino.

CONVICTORI.

QUid tuus in feros nunc Vates moliar annos,
Hæc Te, Care mihi, Pagina, *Sane*, docet.
Qui meritò primum annumeras Te Heroibus istis,
Et non obscurum Nomen in ære refers.
Attentamque meis præbens Virtutibus aurem
Non raro meritus carmine & ore cani.
Ergò cum dederit Vobis pius otia Consus,
Interdum Nobis hora locusque vacet.
Complexuque tuo sit fas & amoribus uti,
Et paullum curas dissimulare foris.

Doctissimo Viro,

D. PETRO CUPERO,

Collegæ Conjunctissimo.

DUm strepit assiduo circum aures garrula pubes,
Sisypheusque suo crescit in orbe labor:
Alternis admitte meas ad pulpita Musas,
Ut possis animo liberiore frui.
Qui non te ducam vaga per triscurria rerum,
Nec Fescenninis moribus apta dabo.
Illa leves subeant animos; mihi Musa pudica est;
Versibus & castis esse Poëta volo.
Ut, quales aliis formamus imagine mores,

Hos

Hos primum in nobis noſtra juventa probet.
Batavûm hîc ferimur titulos & Apollinis arcem,
Materieſque meam non ſubit una manum.
uæ, *Capere*, tuis oculis & acumine luſtres,
Neubuſii ex animo Te pia Muſa rogat.

RESPONSIO.

)*Um ſtrepit aſſidue circum aures garrula pubes,*
Siſyphenſque meo creſcit in orbe labor.
lternis admitto tuas ad pulpita Muſas,
Ut poſſim Genio liberiore frui.
on tu me duxti vaga per triſcurria rerum,
Nec Feſcenninis moribus apta dabis.
a leves ſubeunt animos. Tibi Muſa pudica eſt;
Verſibus & caſtis eſſe Poëta ſtudes.
t, quales aliis formas imitamine mores,
Hos in te primum tota juventa probet.
Batavûm hîc ferris titulos, & Apollinis arcem,
Materieſque tuam non ſubit una manum.
ec, Reinere *meis oculis & acumine luſtro,*
Sic utinam pergas, te mea Muſa rogat.

PETRUS CUPERUS.

Præſtantiſſimis Juvenibus,

DD.

AURENTIO & JACOBO CLOCKIIS,

SS. LL. Studioſiſſimis.

NObile Par Fratrum, *Clockî*, divina propago
Palladis, & noſtræ Lumina clara Scholæ:
ccipite hæc lætis animis à Socrate veſtro,
Et nunquam curæ cura ſit iſta levis.
ngenio ſolum ac Virtute extendimus ævum,
Unde in perpetuum fama decuſque manet.
Cætera ſunt fumis & inani proxima vento:
Sola ſuum neſcit Laurus honorque rogum.
Sic mecum cineres ultra cum Caſtore, Pollux,
In cœlum raperis non Ganymede minor.

Digitized by Google

AD EOSDEM.

Lockiade, noſtris non ſunt hæc tempora Muſis
Commoda: nec Vati nunc licet ire foras.
Improba cogit Hyems nidum ſervare calentem,
Quando adverſa nimis Juppiter Aſtra facit.
Tunc adero Vobis, ſpero, Tirynthius alter,
Cœperit ut primum mitius ire dies.
Et, domita glacie, ponent ſe immania venti
Murmura; Threïcio nec fremat axe Notus.
Nunc facilis venia eſt contractis frigore Muſis,
Ipſaque tempeſtas non ſinit eſſe reum.

Nobiliſſimo Juveni,

GWALTHERO LANSCHOT,

Lugdunenſi. Convictori. SS. LL. Stud.

DA veniam tardè ſacris properantibus iſtis,
Quæ tuus, at fruſtrà, ſpectat & urget amor.
Aëris eſt vitium, qui longo frigore Pontum
Vinxerat, & ſolita non dabat ire via.
Nunc glacie fracta, & Phœbo propiore Bataviſ,
Sponte ſua carpit Littera noſtra viam.
Et tecum primis gaudet congreſſibus uti,
Qui ſolitus noſtras totus amare Deas.
Sic intermiſſas, *Lanſchoti*, pendimus horas,
Abſtulerit Brumæ ſi quid avara dies.

Præſtantiſſimo Juveni,

GERBRANDO BERCHOUTIO,

Monachodamenſi. Convictori. SS. LL. Stud.

Berchouti, Soboles magni generoſa Parentis,
Et quondam Phœbi gloria prima mei:
Nunc age, pro nobis, cauſas in Apollinis urbe,
Legatique vices experiare, precor.
Et Magni *Heinſiada* præclarum limen adito,

Ber-

Digitized by Google

Boxhornique meo nomine vise Larem.
Vivere me dices, *Berchouti*, Heroibus illis,
Et Phœbo, juxta Palladа, ritè frui.
Quod modò *Neuhusii*, sacra addicente Camœna,
Littera centenis testibus ipsa docet.

Egrègio Studiosissimoque Juveni,

ACOBO LANSTIO, Edamensi,

SS. LL. S. Convictori.

EN lacrymas fletusque pios, charissime *Lansi*,
Quos tuus in nostro funere fudit amor.
Qui nunc hîc tecum, Thalami Consorte peremptâ,
Fatorum tristes ploro gemoque vices.
Sed mea cum multis habeo communia damna,
Inque tuos aliquid partior inde sinus.
Nec plorare veto quemquam mea vulnera secum:
Cum forsan Fatis inde levamen erit.
Sic pulchrè nobis veterem testaris amorem,
Et vis nunc animo non minus esse pius.
Dî Tibi, cum reliquis, oro, qui Funera nostra
Sparsistis Lacrymis, dent superesse diu.
Et nequeat vestro pariter servire dolori,
Qui satis in propriâ morte doloris habet.

Præstantissimo Juveni,

PETRO WIBO, Hornano,

CONVICTORI.

SIve novis nuptis lætas in poste Coronas
Figis, & officium Fratris amantis agis;
Sive sacras Phœbi supplex te sternis ad aras,
Et tuus antiqua sudet in arte labor:
Hîc paullùm jubeo solitas Te sistere curas,
Ac Musis tota mente vacare meis.
Ut, cum lecta tibi veteris sint verba Magistri,
Inde aliqua agnoscas juris & esse tui.
Lubrica quæ possit, cum fructu imitarier ætas,

Digitized by Google

Et Pietas factis ipsa probare suis.
Non ultrà teneo. Tua nunc ad sacra reverte,
Et Phœbo totos littore pande sinus.

Præstantissimo Juveni

NICOLAO OUTCLAES,

Edamensi, Convictori.

NUper eras nostris, *Outclasi*, gloria Musis:
Quem nunc, chara sibi pignora; Rhenus habet.
Aut forsan Batavi nunc es pars magna Lycei,
Amstelaque Aoniis fontibus ora rigat.
Quoque loco fueris dulces ad Phocidos undas,
Neuhusii semper sit Tibi cura tui.
Qui soletà veteri convictu & amore Minervæ,
Eque suo missos totus amare sinu.
Hæc, quæ nunc dubiis Fatorum credimus auris,
Invenient tutum, Numine ducta, larem.
Inter Apollineas si forsan sederis artes,
Littera nam vestras tentat adire manus,
Hunc breviter præsta nobis, sacra inter, honorem,
Quæ dixit Batavis Littera nostra, legas.

Ingeniosissimo Juveni,

CORNELIO KNYFFIO,

Addicentibus Auspiciis, in Indiam Orientalem profecturo.

DUm Patri, & Patriæ, *Knyffi*, Charisque propinquis
Extremum dicis, forsitan, ore, *Vale*:
Hoc unum à Nobis monumentum & pignus amoris,
Tot sub sideribus, pectoris abde sinu.
Ut, si fortè meos oculos non videris unquam,
Hæc Tibi sit fidei tessera viva meæ.
Neuhusiumque tuum portes terraque marique,
Officii & monitus illius usque memor.
Cætera, quæ versas animo, bene prosperet æther,

Digitized by Google

Et lateri cuſtos excubet ipſe Deus.
, poſt ingentem trajectum puppibus orbem,
Ad Patrium redeas, ſoſpite Patre, Larem.
novus Æſonides, poſt raptum ex Colchide vellus,
Tunc iterum in Batavis auctus honore ſies.

cIↃ. IↃc. LII.

ALCMARIA TRIUMPHANS.

Sive Gratulatio

DE

VICTORIIS BELGICIS

EXPUGNATO HULSTO.

cIↃ. IↃc. XLV. 5. *Novemb.*

AURIACUS.

e, FREDERICE, Tuo rurſus ſub nomine Belga
Plaudit, & in triviis claſſica læta ſonant.
Triumphe, novus cœpit labor eſſe Poëtis;
Lætitieſque ſui vix capit ipſa fidem.

ALIUD.

ıſpicio majora geris. Clementia cœli
Ipſa Tibi terris & famulatur aquis.
ſt PATREM, FRATREMque tuum, TE PRINCIPE, victrix
Hiſpani ejurat Belgica jure jugum.

ALIUD.

ıod Tibi progenies Heroum, Roma, Camilli;
Quod quondam Patriæ Lumina tanta ſuæ:
oc, Pater AURIACUS, Belgis. Quo ſoſpite nunquam
Otia defuerint Civibus alma ſuis.

ALIUD.

eficiunt apices, nec habet victoria finem:
Quod ſatis exemplis Hontaque & HULSTA docent.

Digitized by Google

Dommala teſtaris veterum monumenta laborum,
Inque tuum toties, Moſa, diſerte malum.

ALIUD.

Tu, FREDERICE, cave caput objectare periclis:
Quæ proſtant pretiis corpora, miles habet.
Plus eſt, AURIACI, fatum properare, triumphis
Innumeris: tanti Breda nec ipſa fuit.

AD BELGAS.

AUrea nunc verè ſunt ſæcula. Pulchrior auro
AURIACO rurſum Laurea parta Ducis.
Felices BELGÆ! quibus, uno ſæpius anno,
Fronde novâ toties Laurus honoſque viret.

ALIUD.

Jam nobis ſordet veteris victoria SASSÆ.
Texitur ad priſcas jamque corona recens.
SPINOLA præluſit. Mox fractum mœnibus HULSTUM
Imbelles Batavo ſubdit inerme manus.

ALIUD.

Aut gravida enixa eſt Belgas Bellona ſub armis;
Aut Thetis in mediis fluctibus hunc genuit.
A teneris belli ſtudiis aſperrimus audit:
Id ſibi depoſcat Veſta, vel Unda geri.

ALIUD.

Si quondam Batavo lævam objectavimus aurem:
Dic ubi nunc armis, vel rudis aure ſiat?
Auribus, atque armis quod non rudis amplius ille eſt
Hoc docet exemplo ſub juga miſſus Iber.

ALIUD.

Belgica jam dudum ſpatioſum impleverat orbem,
Inque ſui invidiam creverat aucta ſatis.

Tellu-

Digitized by Google

Tellurem, soliſque vias quod proferat ultra
Imperium : hoc ſoli vendicat Illa Deo.

HULSTA.

ERgò iterum veteres HULSTÆ migrare coloni,
Cogimur, & trepidæ credere terga fugæ.
Fruſtra poplitibus flexis ſudamus ad aram :
Occludunt aures Numina noſtra ſuas.

ALIUD.

Quo res ſumma loco, Cives ? communis Erinnys,
Cocytuſque ſuis omnia turbat aquis ?
Jam quoque Tarpeji nutant faſtigia ſceptri ?
AURIACUS palmam cum Jove victor habet ?

ALIUD.

Nos facies Trojæ, & Cannæ infelicis imago ;
Alteraque in Morinis Ilia facta ſumus.
Annua NASSOVIO ſpondet victoria lauros,
Jamque ſuis numeris penè trophæa carent.

ALIUD.

Fulmina Salmonei, tonitruſque imitabar Olympi ;
Et feci partes ſic ſatis HULSTA meas.
Da veniam nobis, ANTVERPIA : non mea culpa eſt,
Olim ſi ſubeas tu quoque victa jugum.

ALIUD.

Una ſalus, tutam à Batavis expoſcere pacem :
Hæc una eſt noſtris ara reperta malis.
Contra cœlicolûm furor eſt bellare catervas.
Pro Batavo pugnat fortiter ipſe Deus.

ANTVERPIA.

NUper terror eram non uni ANTVERPIA mundo.
Eheu ! nunc miſeram terror & error agit.

Sic manibus fruſtra vittas, & verba precantum
Præferimus: cœlo ſurdaque turba ſumus.

ALIUD.

Qui mihi, qui toties portavit divitis Indi
Scaldis opes; nullam jam mihi portat opem.
Deſeruit nudam, poſitæque in limine lethi
Suſtinet haud modico fonte levare ſitim.

ALIUD.

In me delicias, res, & ſpem Maurus habebat:
Quæ regni fueram pars ego magna ſui.
At nunc, quod plaudunt Batavi, Fortuna receſſit.
Nunc mihi non unum mors facit una metum.

ALIUD.

Ut gravior vaſtum decimis non fluctibus æquor
Fluctus habet, rabido cum furit ore Notus:
Sic me non, HULSTI poſt mœnia victa Batavo,
Hoc illo gravius vulnere vulnus habet.

ALIUD.

Quid Tripoda, ô Civis; quid conſulis antra Sibyllæ?
Actum eſt in Flandris. Ilicet, ire licet.
Non ſumus Hiſpano curæ, trans Herculis orbem;
Jam pudet & PANEM ſollicitare DEUM.

GANDAVUM.

VIderat AURIACUS, Gandæ ſub mœnibus altis,
Illius auguſti ruris & urbis opes.
Et dixit: Fortuna, tuis ſatis uſa trophæis:
Nunc iſto fulgent noſtra trophæa loco.

ALIUD.

Quis furor, infandi jurare in verba tyranni,
Cui cura eſt juris nulla, timorque Dei?
In Batavis agimus priſco pro more Quiritum,
Hîc tibi non dabitur Punica, Ganda, fides.

ALIUD.

Digitized by Google

ALIUD.

'is Marte ferox toti inclarescere mundo,
Loricæ & meritis addere sacra Togæ:
n Batavis Flandros stabili fac fœdere jungas:
Hic etiam Flandris Orphëus alter erit.

ALIUD.

Stenus Ausoniis servitum matribus ibas;
Nec Libertatis spes erat ulla tibi.
cute triste jugum. Mauro parere recusa:
Hîc tu cum Batavis sceptra tenere potes.

ALIUD.

nit summa dies, maturaque fata Philippo.
Extremùm à nobis, Bætica terra, vale.
s dudum tellus Tartessia senserat ignes;
Exemplo hoc rursum comprobat HULSTA suo.

DUINKERKA.

Quid Tibi nunc, DUINKERKA, animi sub rege PHILIPPO,
Cum res sic anceps falleret aura tuas?
ic vicinas cum Gallia vinceret urbes;
Cingeret hîc portus Belgica classe tuos?

ALIUD.

ilicet, ærumnis tunc deformata jacebas,
Et querulus totâ planctus in urbe fuit.
curos potuit tum nemo ducere somnos;
Nemo Panitio ritè litare Deo.

ALIUD.

lil, ais, heu miseræ quàm, VINCI, denique restat!
Ipsa sibi tutum non habet ara locum.
ccidimus. Restat, quod inani nomine vivam,
Fabulaque in Belgis turpiter acta legar.

ALIUD,

Digitized by Google

ALIUD.

Ut cerva infelix lethalibus icta sagittis
Corripit incertam tesqua per hirta fugam:
Sic ego, tacta recens cœlo, exhorrescere cœpi,
Et positum volui nomen in igne meum.

ALIUD.

Extremum hunc, Hispane, mihi concede laborem:
Jam nequeo in Morinis utilis esse tibi.
I nunc, Hesperiam propriis tutare columnis.
Ista sibi victor Pergama Gallus habet.

GREVELINGA.

POrtus ego Hesperiæ, populis & portus Eois;
Perque vagos fluctus libera vela dabam.
Diripior jam tota domi. Galloque sub hoste
Invisum didici ferre subacta jugum.

ALIUD.

Regia puppis eram validâ fundata carinâ;
Illa sed infestis obruta puppis aquis.
Disce malo alterius jam nunc, DUINKERKA, timere
Impendet capiti dira procella tuo.

ALIUD.

Mœnia quæ toties vallumque objecimus hosti,
Hic intra vallum mœniaque hostis agit.
Gallus habet muros, spolioque incedit onustus:
Libera quæ fueram, sic fero serva jugum.

ALIUD.

Quin potius pacem Batavos oremus, amici:
In bellis non est amplius ulla salus.
Deficimus cuncti, lentoque perurimur igne:
Utque solet, miseris jam medicina nocet.

ALIUD.

Digitized by Google

ALIUD.

tum est, Posteritas. sic antro immugit Apollo;
incumbitque mihi pestis & ira Deûm.
certum: alterutri Flander parere coactus,
Pareat AURIACO, vel, LUDOVICE, Tibi.

HISPANO-BRABANTUS.

Rigis audaces an adhuc BRABANTIA cristas;
Et nondum finem fastus inanis habet?
bula mutata est. Personam inferre theatro
Judice nunc alio resque locusque monet.

ALIUD.

spicis, ut totis flagrent incendia Tungris;
Et Nemetum populo non bene tuta fides?
viaque infelix, vastata & Wasia tota:
Attonitusque Jovis fulmine Sealdis agat?

ALIUD.

inc memora ERNESTOS Rurmondæ ad mœnia cæsos:
Hoc tanto Ernesti constat, Ibere, rogus.
ut jam Calloæ pugnas annalibus infer:
Hîc plus Calloâ vincimus. HULSTA perit.

ALIUD.

IRIACOS posthac saturatos sanguine Delphos
Objicis, horrendi criminis illud opus?
ut istos Albâ damnatos judice Patres?
Hîc tibi cum multo fœnore pœna redit.

ALIUD.

sse Lycaonias nobis obtrudere mensas,
Et tot NASSOUM corpora rapta Ducum:
unc luere incipies primùm. Vindicta paratur
In coelis. BABYLON, jam tua fata vides.

Nobi-

Digitized by Google

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT à NIEUBURCH,

In Illuſtri Batavorum conſeſſu Conſiliario.

NOndum omnis, *Batavi*, nobis Fortuna peracta eſt,
Hîc ſolitam à cœlis fert Deus almus opem.
Contra tentârit cunctas hic Dæmonis artes
Tartarus, & Stygius de Phlegetonte labor.
Stamus adhuc talo recto, validiſque columnis,
Ut medio Rupes fulmine tacta Jovis.
Hîc ad Carpathium currentes navibus axem,
Occiduas illic puppe adeunte domos.
Tot Populis nobis in mutua Fœdera junctis;
Sceptrorum haud uno conciliante fidem.
Quamvis non illâ liceat ſpe vivere tantum;
Sæpe etiam tacito gurgite Scylla latet.
In pretio Regum tamen eſt hæc Purpura. Et uſum
Illud amicitiæ nobile pignus habet.
Inprimis, Authore DEO, ſtat Belgica puppis,
Et tuta eſt, cœlo vindice, noſtra Salus.
Quo, dubio Martis toties in pulvere, Belgæ
Vicimus, & forti geſſimus arma manu.
Qui nos in tantos unus dedit ire Triumphos,
Et per tot terras vertice ad aſtra tulit.
O utinam! ſeri vivant hæc ſæcla Nepotes,
Et ſors non facilem moverit illa pedem.
Et, quæ molimur cives terraque marique,
Eventus fidis teſtibus illa probet.
Lilia mixta Roſis, clarique Inſigne Leonis
Perpetuæ inter ſe fœdera pacis agant.
Sic Libertatis, ſic Relligionis avitæ
Per totidem populos gloria major erit.
Tuque mei, NEOBURGE Pater, pars intima ſenſus
Hanc etiam in dubio dirige mente ratem.
Cujus ab Auſpiciis PROCERUM Tibi credita cura:
Unus ad hoc pulchrum ritè repertus opus.

Dii

Digitized by Google

Dii Tibi dent longùm PATRIÆ supereſſe Saluti,
Et toties ANNOS accumulare Novos.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LVI.

Ampliſſimo Viro,

D. THEODORO VRYBURGIO,

MED. DOCT.

Cos. & Scholarchæ, &c.

TEmpus adeſt, SUPERI, Felicia dicere JANO,
Auſpicioque ſacros concelebrare dies.
Et ſolenne meis Muſis perſolvere Carmen:
Quo PATRIÆ eveniat ſartaque tecta ſalus.
Noſtraque LIBERTAS, tantis ſudoribus empta,
Intemerata ſuum tollat ad aſtra caput.
Et Belgæ Unanimes, coëuntes fœdus in unum,
Conſocient firmâ pace fideque manus.
Sic nihil Heſperii metuemus ſceptra Tyranni;
Res erit in tuto, Cymbaque noſtra, vado.
Et, quæ per Batavas nuper Contagio terras
Serpſerat, haud nobis ſit metuenda magis.
Sat luimus Muſæ innocuæ perjuria Gentis;
Amſtelaque, in parvas ſic ſatis unus eras.
Ne nobis Ganges claudatur, & oſtia Nili;
Aut propriis Pallas finibus exul eat.
Gloria Belgarum ſtat defenſoribus iſtis,
Nec nobis neutrâ hîc parte carere licet.
Ille Arabum gazis, atque horrea frugibus implet;
Hæc validas leges ſcribit & arma Foro.
Inprimis ſit læta ſeges per florea rura
Muſarum, & ſemper vernet Apollo novus.
ALMERIIſque habitet virtus ſub mœnibus altis,
Et PIETAS illis relligioſa Scholis.
In quibus Aſcanius tuus eſt pars maxima nobis,
Moliturque ſuo nomina pulchra loco.
Digna DEO res eſt, teneram informare juventam
Moribus, atque animos erudiiſſe feros.
Barbariemque ſuis larebris ac ſtirpibus imis
Eruere,

Eruere, & puro cernere Sole diem.
Quale opus in noſtris incudibus uſque moramur,
Auſpiciiſque tuis vult ſapienter agi.
Unum oro, tua ſit nobis prudentia ſemper
Prævia, & ad laudum præmia læta pharus.
Teque tuis vitâ incolumi, ſæpe aureus aſtra
Per duodena ſuis Solque recurrat Equis!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LVI.

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. JOHANNI KNYFFIO,

Alcm. Paſt. Pr. & Gymnaſii Publ. Curatori.

SOLE novo lætos modulamur carmine plauſus,
Cunctorum & felix Iò per ora ſonat.
Lætitieſque animi totâ diffunditur urbe,
Propitiatque ſibi Numina quiſque Deûm.
Noſtra nec in præſens poterit tacuiſſe Thalia,
Indictos ſacros nec ſinit ire dies.
Ne, quod in Auſpiciis altus nunc fecerit anni,
Illa ſuum officium turpiter una neget:
Quippe Deûm ſoboles, nati melioribus aſtris,
Nos ſumus, & Phœbi relligioſa cohors.
Qui toti Iſacidûm ſacras ſudamus ad aras,
Et devota Diis libaque & exta damus.
Per nemus Elyſium ſemper capita alta ferentes:
Queis Pater Aonidum præſidet ipſe jugis.
Magnè Virûm, KNYFFI, tua nunc mihi major imago
Et Pietas verſu dicere digna venit.
Ad quæ ſolenni jam tempore Muſa Poëtam
Impulit, & puro pectore cogit amor.
Ut, quoties Titan ſua per veſtigia fertur,
Atque anni aſſuetas itque reditque vias;
Tu toties, famâ incolumis, vegetaque ſenectâ
Annua nobiſcum, Feſta ſuperſtes agas.
Nec quicquam Ingenii vivo de robore ponas,
Damnaque vel læſi corporis ulla feras.
Et ſpatiante ſuis duodena per aſtra quadrigis

Luci-

Digitized by Google

Lucifero, toties Tu quoque lætus oves.
Afflatuſque Deo propius, per celſa Tonantis
Atria divino fulmine victor agas.
Et Populi Cenſor, Caſtigatorque malorum
Ipſe tuo poſſis prævius ire gregi.
Juſſerat hæc ſacro jam pridem Delius antro,
Et dixit: Felix proximus annus erit.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LVI.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMONDT, à NIEUBURCH,

Illuſtribus & Præpp. Ordd. Holl. & Weſt-Fr.
à Conſiliis,

SCHOLARCHÆ Alcm. &c.

AUrea ſic nobis, *Mæcenas*, ſæcla revertunt;
De cœlo melius Numen & Omen adeſt.
Poſtque graves Hyemes, & Martis ſidus iniquum,
Vivimus in Batavis liberiore polo.
Sollicitis animi curis, poſt terga, revinctis,
Vix capiente ſui poſteritate fidem.
Omnibus abſterſis lacrymis à cordibus imis,
Et Genio priſcos jam modulante jocos.
Nam noſtra in dubias nuper delata Charybdes
Hæſerat infeſtis naufraga puppis aquis.
Quæ nunc, poſt pelagi furias, toto æquore ſupra eſt,
Libera per terras & ſpatiatur aquas.
Felices! ſua Chriſtiadæ bona ſi benè nôrint,
Et ſortem poſſint ferre parique ſuam.
Ne benè compoſitis rebus Diſcordia ſeſe
Miſceat, & Fratrum ſic malè duret amor.
Concordeſque animos Lis aut Vis improba turbet,
Inque ſui demens viſcera civis eat.
Nos, cum Sole novo, Pacem imploramus amicam,
Et rigidi, Vates odimus arma, fori.
Optamuſque Deos Belgarum in vota faventes,
Cymbulaque in placidis iſta feratur aquis.
Et poſſint noſtræ, Vobis authoribus, Artes

Ferrè

Ferre sui pretium, publicaque ora pati.
Fortunentque tuos, *Musarum ô Mysta*, Penates
Commoda multa domi, commoda multa foris.

CIↃ. IↃC. LV. *Kal. Jan.*

IN OBITUM

Clarissimi & Doctissimi Viri,

D. BERNHARDI FULLENII,

In inclytâ FRISIORUM Acad.

Matheseos Professoris Celeberrimi, Cognati desideratissimi.

HActenus ingenio Cœli FULLENIUS orbes
Scanderat, & celsi missus in astra Poli.
Inque novas rerum formas, tecta alta Tonantis,
Mens divina Viri protenus acta fuit.
Sed vera hæc nubes, & frivola vera fuêre;
Visibus humanis nec penetranda satis.
Nunc aliâ pulchrum cernit sub imagine Verum,
Viribusatque exit celsior ipse suis.
In medium Cœli spatium transcribitur Hospes,
Et procul à terræ sordibus exul agit.
Nec jam Stoicidâ queritur sub judice: quare
Non oculis pateat porticus illa suis.
Omnia perfectum nunc hîc castigat ad unguem,
Et nihil est, de quo jam dubitare queat.
In penetrale Dei longum super æthera raptus
Aligerûm, cernit cominùs ore choros.
Ac totidem ignotas olim sine nomine Stellas,
Quas serus Arcturus, truxque Lycaon habet.
FULLENI, meliore Tibi jam vita paratur
Auspicio, in cœlis dum Tibi vita redit.
Quâ cupiam tecum tandem me valle receptum,
Mors eadem incîdet cum quoque fila mihi.

CIↃ. IↃC. LVII. *Kal. Feb.*

Digitized by Google

PIIS MANIBUS
Cl. Viri,

D. BERNHARDI SCHOTANI, JC.
Professoris Batavi.

SIc vitæ, SCHOTANE, suæ quoque vespera venit;
Sic jam defesso ponitur hasta Tibi.
Postquam Nassovias satis est decorasse Camœnas,
Et Themidem luci restituisse suæ.
Non moreris totus: Quem Pallas vivere fecit;
Et cujus cineres fama perennis alit.
Corpora Terrigenûm strictâ Proserpina falce
Demetit. Hac solùm parte nocere potest.
Cætera sunt nulli Fatorum subdita legi;
Parsque, Animus, melior libera semper agit.
Etenùm Tibi parta quies sub vertice sacro
Musarum, Batavæ gloria prima Scholæ.
Hostesque tuæ quondam Gentis, sub Frisidos axe,
Non uni Populo victima tristis abis.
Virtutumque feres gemino sub sidere testem,
Et semper Batavo rite colendus eris.

CIↃ. IↃC. LIII.

Amplissimo Doctissimoque Viro,

D. THEODORO à VRYBURCH,
Cos. & Scholarchæ.

QUàm nihil est, Hominum sub cælo fidere rebus,
Et vitæ dubiâ conditione frui!
Nascimur è terris primùm, spes anxia matrum,
Herba velut riguâ surgit & exit humo.
Mox tacito cuncti rursum denascimur ævo,
Ceu levis in fumos solvitur aura suos.
Debemur morti nos nostraque. Purpura nedum
Ipsa suis Dominis continuata manet.
Adspice Te sortemque tuam, *Clarissime Consul*;

Inve-

Digitized by Google

Invenies, quàm sit sors tua plena malis.
Luxisti nuper supremo funere Natam,
Inque domo totâ non nisi planctus erat.
Et Lauri, & Lacrymæ, in foribus tristisque Cupressus
Tantaque tunc animi signa dolentis erant.
Nos quoque per similes casus Fortuna sequuta est,
Discimus & quàm sit sors quoque nostra nihil.
Prima mei Thalami fax est exstincta. Vicissim
Nunc aliæ nobis perplacuere faces.
Inviti rapimur nunc huc, nunc cogimur illuc,
Votaque consistunt non nisi nostra parum.
Has inter curas annos numeramus & astra,
Ipsaque propositis mens minus æqua suis.
Donec tot saturis rerum, fractisque senectâ
Mors aperit nobis regna foresque suas.
Macti animis simus Vates. Non nostra caduca est
Sors unquam. Cœlo Musa Deusque beat.

Kalend. Januar. CIↃ. IↃC. LV.

Nobilissimo Viro,

D. CORNELIO à SONNEVELT, JC.

Secundùm *CONSUETA*,

Auspiciis Illustriss. PRINCIPIS AURIACI.

CIↃ. IↃC. XLV.

Laudimus Aonidas Musæ, Respublica quando
Palladiâ claros promovet arte viros.
Et non plebeculæ fidit se Purpura rerum,
Indocilesque tenent publica sceptra manus.
Pro Clavi sapimus doctæ moderamine Musæ,
Et sequimur Genium quisque forumque suum.
Salve læta dies! quâ nunc SONVELDIUS Heros
Auriaco nobis Judice Consul adest.

Auss.

Amplissimo Viro,

PETRO PAWIO,

Senatori Almariano, &c.

D nova jam Titan redivivus Signa revertit,
Et subitò nobis tempus & Annus abit.
ulatim morimur, tacitisque senescimus horis;
Resque Homines nihili ridiculæque sumus.
nni cuncta domant. Rebusque infensa vetustas
Omnia sub leges imperat ire suas.
:ternum sub sole nihil. Spes tanta nepotum
Corruit; & frustra Pergama celsa locat.
saque majestas regnorum, & purpura Regum
Obsequiis parent, Parca severa, tuis.
ividit hîc unâ nobis mors omnia lance:
Hîc pariter dites nos inopesque sumus.
îc vehitur mediis Irus permixtus Achivis,
Atque idem imperium, sceptra, Ligoque valent.
æc solum à nostris superant solaria bustis,
Suspexisse animis grandia facta Dei:
t vitam duxisse piam. Medicina salutis
Amissæ, est iterum nubere, Christe, Tibi.
'u vivos latices nobis; Tu ducere succos
Nectaris æterni cœlicolûmque facis.
t jam de domito Satanâ victoria nostra est;
Nec vis Electis ulla nocere potest.
'u porrò, Pater, ex alto res adspice nostras,
Et curam Christi pro grege fidus age.
'u Patriæ Patrem Auriacum Paviosque tuere,
Almeriæque diu floreat Urbis honos.
'u Batavis dona Pacem æternosque triumphos,
Ac felix nobis proximus Annus eat.

Prid. Kal. Jan. CIↃ. IↃC. XLVII.

Digitized by Google

Ingenuo Adoleſcenti,

BERNHARDO SOMERO, Cogn.

In Gymnaſio Fliſſingano Diſcipulo rari ingenii ac induſtriæ.

SIdere felici nuper tua tradita nobis
Littera, & in fidas illa recepta manus.
Impreſſitque meis penitus tua charta medullis
Oſcula, quæ dulci nectare plena ſui.
Ante annos quoque grata ſuos, non illius ævi;
Auſpiciis ipſis candidiora ſuis.
Quales miramur tantillo in corpora ſenſus,
Et nos in Batavis uſque ſtupemus opes.
Chare DEO, Patrique tuo ſpes, optime Fili,
Ingenii ſpecimen nobilioris habes.
Promittiſque tuis, cum ſerâ ætate, beatas
Ruris Apollinei pulcher Iulus opes.
Unde decus nomenque tuum plus ſe exeret ultra,
Ipſaque Poſteritas Pallade major erit.
Et nova SOMERI ſe gloria, rapta quadrigis,
Per Morinûm terras clarior uſque feret.
Hæc Sparta eſt ornanda Tibi ſudoribus æquis,
Macte Puer! ſolâ hac itur ad aſtra viâ.

cIↃ. IↃC. LV. *Kal. Octob.*

CL. VIRO,

D. HENRICO NEUHUSIO, JC.

Advocato Friſiæ. P. W.

cIↃ. IↃC. L.

HENRICE, Aonidum ſacris & Apolline docto,
Nec tantum Fratris nomine junctæ mihi:
Hoc precor, ad ſacri Vobis Natalia Jani,
Ut novus ex votis Annus & Aſtra fluant.
Ac deſideriis felix reſpondeat æther,
Annuat & facie candidiore polus.

Digitized by Google

quē diu titulos & opes Leowerdia donet,
Urbs pariter Phœbo, & clara Leone ſuo.
s Batavûm ad pulchras Arces & regna vocati:
Almeriæque mihi ſidera ſola placent.
lcis & alma Quies ubi noſtras reſpicit artes;
Et ſine Fratrum odiis, & ſine lite Forum.
enuiſque licet ſtudiis ubi prodere Famam,
Et ſolito vitam degere more meo.
c quidquam rerum de Libertate mearum
erdere, & alterius ferre patique jugum.
n mihi Naſſovides tanti, non purpura tota
risiadum, ut caream thure ſociſque meis.
tandem exſpecto placidas ſub mœnibus umbras;
lic Vates gratâ contumulabor humo.
us ubi Phœbus Lauroque auroque refulget,
ic toties noſtrum Pollio Daphnin amat.

AD EUNDEM.

In Obitum

UXORIS.

Iderat in terris tua res quàm lubrica, CONJUX,
Et nihili prorſus, quamque caducus Homo:
cipitentque ſui mortalia cuncta ruinam,
Et ſtent in [illegible]ſus omnia prona ſuos.
ıre agite, ô ſuperi, *Dixit*, me ſolvite vinclis,
Et facite, ut vitâ proſperiore fruar.
nituit dudum carnis compage teneri,
nque diem totidem damna neceſque pati.
diit æterno Natam complexus amore,
uminaque & Lethes ſopiit imbre DEUS.
leſtemque animam mortis terrore carentem
ranſtulit ætherei pulchra ſub aſtra Poli.

Digitized by Google

Clariſſimo Viro,

D. THEODORO VRYBURGIO,

Medico Eminentiſſimo

CONSULI & SCHOLARCHÆ Alcmariæ.

Cum remitterem ad Ipſum Medicum Patavinum.

ITe Patavinæ propria ad proſcenia Muſæ,
Hippocratemque tuum, *Mercurialis*, adi.
Neuhuſio ſeritur nihil iſtis artibus, *Artes*,
Atque aliam noſter Pallada Phœbus amat.
Inſtrumenta damus Morum, vitæque tenendæ,
Et morbos animi ritè levamus ope.
Corporibus certant alii præſcribere legem,
Utque homines valeant, ars tua, Phœbe, valet.
Nos nihil in peſtem, ſtygias aut coximus iras:
Ingeniis ſolùm pharmaca docta damus.
Ut tuus Aſcanius, Batavo cum flore juventæ,
A noſtrâ multùm ſedulus arte trahat.
Ergò Patavinæ procul hinc, procul ite, Camœnæ,
Hippocratemque tuum, *Mercurialis*, adi.

CIↃ. IↃC. LIII. *Kal. Aug.*

AD EUNDEM.

EN Tibi, *Mecœnas*, Collegæ CONSULIS urnas,
Tactaque cœleſti fulmine Templa Jovis.
Quales exuviæ jam me fecere Poëtam,
Ut cogar lacrymis ora rigare meis.
Qui noſtræ toties convello ſacra Minervæ,
Publica me quoties ſcena forumque vocat.
Seu dolor irritet me ſcribere triſtia: ſive
Materia invitet pangere dulce melos.
Promptus ad arma feror. Nolim tamen eſſe diſertus
Optime Mecœnas, ut tua Fata canam.
Aut nunc TROMPIADÆ rapiar per vulnera Vrsi:
Quo liceat nobis omine in Hoſte frui!

CIↃ. IↃC. LIII. VI. *Id. Aug.*

ALIUD

Digitized by Google

ALIUD.

vacat à vestro Plutone & Apolline, CONSUL,
Fac oculos videat nostra Thalia tuos.
, non tacta diu Musarum limina, iursum
A vultu recreent se redivia tuo.
coram cernas, quas nobis struxeris arces,
Quumque habitet nostro proxima Musa Toro.

Amplissimo Viro,

PETRO SCHILDER, JC.

Curiæ Brab-Belgicæ Senatori, &c.

Ost hesterna tuæ convivia læta SORORIS,
Et toties nostrâ ducta Falerna manu,
inc in Musarum divertere castra, SENATOR;
Ad Pylademque juvat scribere verba meum.
st epulas & vina vide, quid Littera portet;
Istaque nunc nostris dilue sacra Jocis.

cIↃ. IↃC. LIII. *Kal. Sept.*

AMNESTIA ANGLICANA.

Cripsimus hæc nuper Martis crudelis ad aram,
Talia cum Pietas Vatibus arma daret.
unc alia in Batavis pendent anabathra tigillis,
Totaque mutata est scena, fidesque Fori.
ro Satyrâ, & mordente joco, poppysmata dantur
Blandula, & hîc populo vox nisi grata sonat.
uspiciisque piis CROMWELLIUS audiet olim,
FRONDE SACRA evinctus tempora, noster AMOR.

cIↃ. IↃC. LIV.

Digitized by Google

CL. VIRO,
D. LUCÆ VINCKIO,
In Eccl. Alcmarianâ Theologo Eminentissimo.

ULterius sic gliscit amor. Suspendimus una,
Et foris, & vestræ Nomina tanta domi.
Ut, qui pectoribus Natorum vivit in imis,
Nusquam etiam ex oculis absit & ille tuis.
Da veniam Vati, lacrymas qui irritat amando,
Et toties vobis vulnera crudа facit.

AD EUNDEM.
Cum munusculo reducem ad Liberos.

AD Te etiam, VINCKI, parasitus venerit infans?
Et, res ad tenues cernere, cura tua est?
Muneribus tantis nos TROMPI opponimus urnis,
Et Patriæ, tristes, busta rogosque damus.
Si non, quod Lector, forsan modò judicet æquus,
Tristia, pro lætis, reddere, grande nefas.
Sed, verat illa tuus generoso in pectore candor,
Quo coram, haud facilè est, criminis esse reum.

clɔ. Iɔc. LIV.

Nobilissimo Viro,
D. JACOBO NEOSTADIO, JC.
Consuli Alcmariano, SOCERO.

MAgne Socer, dilecte mihi penetralibus imis,
Et mecum sancto fœdere juncte DEI,
Hæc nunc Thura fero, nostris solennia Musis
Munera; *Cornelii*, præmia clara tui.
Qui nunc illustrem in Gentis se tollit honorem,
Et Proavûm titulis non cupit esse minor.
Net non & Superos votis precibusque fatigo,
Ut Tibi cum Phœbo tempora læta fluant.

Ut

Digitized by Google

't noſtros ſpectet felix Fortuna Penates,
Utque tuam maneant proſpera multa Domum.
t, poſt tot viduas noctes, vitæque labores,
Et portum noſter tangat & intret Amor!

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LV.

Bonis Avibus ac itineri,

Cl. Poëtæ,

HENRICI BRUNONIS.

AOx Phœbi inviſo ſudans ſub pondere, BRUNO,
Siſyphea totus compede vinctus eras.
iberior Bruto nunc, BRUNO, es, Pallada tecum
Nunc ipſam ad Morinos, poſt tua terga, trahis.
ſeroumque lares veterum tot lætus adibis,
Ipſe animi, factus juris & ipſe tui.
ſon equidem invideo. Dolor imis oſſibus hæret,
Illò quod nequeam puppibus ire comes.
t coram, *Hagenios*, illuſtria nomina Vatum,
Cernere, & auſpiciis clarior eſſe tuis.
'ade, Deſum ſoboles. Et, ſi non noſtimur Illi,
Me totum Almeriæ noverit eſſe ſuum.

cIↃ. IↃc. LV. VIII. *Kal. Octob.*

Ad

Clariſſimum Virum,

D. ABRAHAMUM van der BRUGGE,

MED. D.

Apud inclytos Hagienſes.

ELoquii titulos, Phœbique in pulvere Faſces
Imperii obtulerat ſponte *Potentia* amor.
t ſplendore Togæ, ſacrique in parte Senatus,
Collegam Aonides me voluere ſibi.
GELDRIA prima favet, noſtræ molimine Famæ,
Et nos Illuſtri gaudet habere loco.
FRISIA, poſt annos bis ſenos, auget honores,

Digitized by Google

Et patrio revocat me quoque jure domum.
Neutra tamen potuit noſtras arceſſere Muſas;
Aut trahere in partes officioſa ſuas.
Plus Batavi tenerum in Vatem potuêre Potentes,
Plus mihi terrarum hîc angulus iſte placet.
Dulcis ubi requies, & Pax invitat ad Artes,
Jamque animo toties liberiore fruor.
Spemque meæ video paulatim adoleſcere Gentis,
Et totidem numero pignora chara tori.
Omnia debemus, fateor, nutricibus iſtis;
Depoſcitque ſibi Patria prima locum.
Et nimium placita eſt tantæ fiducia famæ,
Soli quæ merito debita Fama venit.
Diîque meæ teſtes fidei, quòd pectus in imum,
Qui datus eſt plauſus, ceſſerit iſte mihi.
Una tamen tantis plus eſt ALCMARIA votis,
Quæ me tot vinclis obligat eſſe ſuum.
Et facilè hoc patiar ſub cœlo ferre ſenectam,
Æternumque meis invigilare ſacris.
Applaudas, ô BRUGGI, meis Conatibus iſſes,
Nec pridem ad FRISIOS me rediiſſe voles.

cIↃ. IↃC. LVI. *Idib. Jun.*

Ad

Eminentiſſimum Juvenem,

HENRICUM PICARDT,

De Jure Tutelari Diſputaturum.

PICARTI Domus, ac tituli Nomenque decuſque
Jam dudum patulis inſonuêre tubis.
Et, Procerum in medio, fulgent hac ſtirpe Suorum
Aoniâ inſignes Nobilitate Viri.
Quos THEMIS, & pulchro commendat honore MINERVA
SANCTIOR, & meritis tollit ad aſtra ſuis.
His LEPIDIS, illis, in Curribus, Æmylianis,
HENRICE, inferior non cupis ire gradu.
GUALTERI Auſpiciis Magni Patris, indole tanti

Con-

Conſpicui; Et pennâ non morientis Avi.
Macte novis, *Cognate*, Avibus! Tibi dexter Apollo
Propitiet faciles in tua vota vias.
Et, per tot ſalebras, per tot prærupta locorum,
Muſarum aſſiduus te comitetur amor.
Quarum *Tutelâ* & clypeo ſeptemplice tectus
Perfugium poſſis *Tutor* & eſſe reis.
Ac toties ſcelerum laqueis, & fraude Potentûm
Implicitis fidas addere ritè manus.
ILLUSTRIS de quo tandem GRONINGA triumphet,
Et ſecum tacitus gaudeat ipſe PATER.

cIↃ. IↃC. LVI. *Id. Aug.*

Reverendo Clariſſimoque Viro,

D. PETRO PRÆLINO,

Eccl. Alcm. Paſt. fideliſſimo.

ACcipe, ſed facilis, noſtros, PRÆLINE, labores,
Quos pridem prælo noſtra Thalia dedit.
Prælucere tuum eſt, in ſacra valle Sionis,
Et Populum verbis eruditſſe DEI.
Prælucere meum eſt, in ſacrâ valle Minervæ,
Artibus atque animos eruditſſe rudes.
Almeriæ Muſis ſic prælucemus uterque,
Et volumus noſtrâ non ſine luce mori.
Sic porrò nobis felix præluxerit Aſtrum,
Lux noſtra ut mediis luxerit in tenebris.

cIↃ. IↃC. LVI. X. *Kal. Decemb.*

Extemporaneum

In

INTERFECTOREM,

PRINCIPIS AURIACI,

DELPHIS.

TUnc ſcelus in ſummo ſtetit, & vis improba cœlum

Digitized by Google

Terruit, ac Stygiis ſeſe penetravit ab undis
Tiſiphone: quando multo madefactâ cruore
Delphica Laurus erat. Naſſoaque corpora letho
Concíderent, ſanguiſque pius, ceù flumina ripis,
Manaret. Cum non potuit Tarteſſia pubes
AURIACI perferre jubar, tituloſque triumphis
Hoc Authore datos. Ergò dat juſſa ſuperba
Carnifici trux Alba ſuo, per tela, per ignes
Occupet Auriacum, purgetque hac peſte tribunal.
Rumpite ſegnitiem, *dixit*, generoſa propago
Trojugenûm, furiaſque iſtas avertite ſummis
Imperiis. Iterumque meos Fortuna ſecundans
Inceptus, famam AUSTRIACI determinet aſtris.
Tuque, ô Lictor, ades vinclis ac carcere toto,
Et Duc magnanimam nunc in tua retia rara
Hanc prædam. talique velis parêre Philippis
Auſpicio. Tunc ritè tuos Naſſovia Virtus
Ibit in amplexus. tunc cuncta obſtacula tolles,
Vimque datam ſceleri, ac toto dominabimur Orbe.
Cernimus Auriacæ ut volitent per rura phalanges,
Et turbent mea caſtra foris, Bœtimque Tagumque.
Quæ formidatos nobis opponere faſces
Adſuetæ, à Batavo Vires & robora ſumunt
Nomine. GUILIELMI latus appete fortiter enſe,
Sitque nefas iſtâ rurſum de ſtirpe renaſci
Hectora. Sic Regi Heſperio ſua regna manebunt
Ampla ſatis, Victorque ducum ſe æquabit Olympo.
Dixerat. Hic Diras omnes, arteſque doloſque
Advocat in medium. Furit implacabile vulgus,
Devotumque caput ſceleri ſpem provocat auſis.
In manibus fervet ferrum, telumque retorquet
In pectus, GUILIELME, tuum. Sic iſta Tyranni
Fida manus *Patriæ Patrem* proſternit ad aras.
Hîc videas oculis coram, mirabile dictu!
Auriaci exſangues Manes, & pulvere circum
Fœdatos latè crines, haſtamque trementem,
Sternitur infelix Batavæ tutela ſalutis
Vulneribus crudis, Vitamque & lumina linquit.
Inde per Europam jam deſperare ſalutem

Digitized by Google

ert animus. Nubesque novæ per Belgica rura
immeriis terrent tenebris. Immania sentit
ulnera Libertas. juxta dejecta serenos
elligio vultus, Fati solamina quærit.
i cladem stant prona suam Delubra Tonantis,
t Pietas & cana fides. Res tota Batavûm,
xitio vicina, ruit. Nec jam amplius ulli
tlantes dubiis rebus succurrere visi.
eu ! malè tunc procul à terris commissa carina
elgarum, ut tantus cœpit crebrescere fluctus,
nmanisque furor crudelis fervere Iberi.
iique Deæque omnes perdant cruciatibus Orci
uneris authorem tanti. Neque Juppiter unquam,
i cœlis ferre hæc animis immania posset,
i scelus, & scelerum promptus sævire Magistros.

In Consulatum Quartum

Amplissimi Viri,

D. THEODORI VRYBURGII,

SCHOLARCHÆ, &c.

NOn eadem placuêre meis suffragia Musis,
Quando sub dubio Judice Consul erat.
Exiit in lucem felici Nomen ab urnâ,
Istaque non lævo sidere nata dies:
Reddita splendori quo Curia, Pallas honori,
Almeriæ Pietas, Relligioque Scholis.
Plaudite Pierides: noster jam regnat Apollo.
Res cecidit votis dextera tota meis.
Sed, capis invitus, quos plurimus ambit, honores,
Mecœnas; sæcli gloria prima tui.
Qui, si Fata volent, quod publica vota negabunt,
In tacitâ cuperes vivere valle Tibi:
Dulcis ubi vitæ requies, portusque senectæ
Exciperet curas, canitiemque tuam.
At non, Velle, tuum est: Qui rebus natus agendis.
Nec fas hîc humeris excutere illud onus.

Digitized by Google

Accipe lætus onus, quod ter cum laude tulisti.
Debetur Laurus sæpius ista Tibi.

cIↃ. IↃC. LV. VII. *Kal. Jan.*

ROSA SEROTINA.

Autumnalis.

Vita mea, Autumni primo quam frigore mittis,
Si spectes anni tempora, Sera Rosa est.
Effigies tamen illa Animi mihi verna; nec unquam
Ille mihi serus, crede, repertus Amor.
Nil mihi vobiscum est, violæ; nil mascula *Thura*,
Thure omni ac violis pulchrior illa *Rosa est*.
Hoc optem: nunquam mihi sit Flos iste caducus;
Floreat ast Vati semper honore novo.
Non hæc Alcinoi nata est Rosa Phæacis horto:
Cyprigenæ nata est hæc Rosa pulchra sinu.
Quam nolim in Batavis totidem mutare Hyacinthis,
Munditiis totidem non, Cleopatra, tuis.
Nec tanti nobis gazis Tarteſſia tota est,
Omnis & auriferi ripa beata Tagi:
Es quanti nostris, Flos ô pulcherrime, Musis;
Qui Dominæ nobis traderis, ecce, manu.
Ludere quem facio quando præcordia circum,
Basia sic Illi jam dare plena velim.
Amplexuque meo blandis hærere lacertis,
Et Veneris sacro jungere more Rosas.
Præstringis nimio mentem fulgore Poëtæ:
In quem tu solido plus adamante vales.
Non aliter, quàm si tenebris, Aurora, fugatis,
Luce tuâ retegas candidiore polum.
Illa, Pudicities, facies tua. Floſculus ille
Penelopes tabula est ingeniosa meæ.
Qui meruit seros nunquam flaccescere in annos,
Occiduisque olim marcidus esse comis.
Quæ quoties nostrâ tractaris, purpura, dextrâ,
Das animo toties pabula læta meo.
Quotque animas succis halas fragrantibus intus,

Pigno-

Digitized by Google

Pignora das animi tot mihi fida tui.
men ineſt lætum roſeis ſub frondibus iſtis,
Et non occultis res caret illa notis.
ıot folia hîc parvo viridique in cortice cernis,
Crede mihi, toties nomen Amantis habes.
ıreus imber erat, qui te, dulciſſime Florum,
In Dominæ ſacras miſerat antè manus.
ıreus imber erit, cum, poſt tot triſtia rerum,
Sit mihi fas Dominæ parte jacere Tori.
ta mea, in tales eſto fœcunda coronas,
Et veniant roſei ſic mihi ſæpè dies.
arge Roſas, oro, ventura in tempora Brumæ:
Frigore cum ſteterint flumina, ſparge Roſas.
ınc mihi non durum, Saturni à frigore lædi;
Nec Dominæ vigiles ante cubare fores.
ınc avidus pergam ſacras ſudare per artes,
Tunc pro parte aliquâ, Te, *mea Vita*, fruar.

ROSA LAUREATA,

Vernalis.

JOndum triſtis hyems noſtros exſtinxit amores;
Aut Veneris pulchræ deperiêre Roſæ.
Fectuſque animi nondum cum frigore friget.
Quodque jugum ſolitus ferre, referre juvat.
:ce Roſas Lauroſque novas, quas parturit Æther,
Quæque ſuo Vati Præmia Flora dedit.
elicias iſtas pro tempore Bruma removit,
Et paullùm latuit ſub nive flamma ſuâ.
unc ſeſe in veteres habitus Natura reſolvit;
Nunc aperit blandos Ver geniale ſinus.
ıando animis iterum ac membris calor æſtuat imis,
Et ſua non ſegnis ſigna Cupido tenet.
æſentitque novum ſub pectore Phyllis amorem,
Ut complexa ſuum Demophoonta fuit.
ec facilè, ad primam Fato revoluta figuram,
Optet nunc fieri truncus & arbor iners.
eris amor blandi tetigit præcordia Phœbi;

Digitized by Google

Jam ſequimur ſtimulos quiſque faceſque ſuas.
Senſerat hunc pridem Veris *mea Vita* calorem,
Cum per rura ſuos ferret, amœna gradus.
Et *dixit*: nova mî facies cum Solibus iſtis,
Incendiſque jecur fomite, Phœbe, novo.
Et meus hîc adſit purâ cum mente Sacerdos,
Hîc cupiam ſeros vivere nupta dies.
Alcinooſque ſimul defigens lumen in hortos,
Inde legit noſtris laurea ſerta comis.
Temporibuſque meis digitis has implicat herbas,
Officii memores fertque refertque notas.
Hac tali cuperet pingi mihi fronde ſenectam,
Et ſibi perpetuus conſtet & ille color.
Talibus expugnat tacitos Virgunctula ſenſus,
Vimque meæ menti, & vulnera blanda facit.
Et *mox*: tantarum confuſus imagine rerum,
Dic mihi, quid reddi vis, *mea Vita*, Tibi?
Purus amor, dos prima mihi. Dos altera Phœbi
Carmina, & ingenii nobilioris opes.
Iſta Tibi toeidem pro Lauris dona rependo,
Nec meliore animi dote litare queo.
Cætera ſunt Fatorum. Et nos ſperamus in uno
Numine. Fortunæ pars neque læva ſumus.

Ad

Virum & Vatem eximium

HENRICUM BRUNONEM,

Cum

Salomonem ſuum ederet.

NOn hîc Bilbilicæ, Lector, legis otia chartæ,
Aut olim nebulas ex Helicone datas.
Hæc meliore tibi decurrit pagina ſucco:
Ventilat hîc alio Spiritus igne facem.
Purus amor *Sponſi Sponſam* hîc circumligat ulnis,
Et pulchrum in vero pignus Amante vides.
Hîc Solymæ quoque Fata notas, luctuſque piorum:

Non

Non unâ nobis bella parata manu.
Dignum opus, ut Batavam possit prodire sub auram,
Et nostras aures eruditisse rudes.
Post sacros numeros, & magni Carmen Iessæ,
Sic etiam esse cupis non Salomone minor.
Macte animis, BRUNO! Genio DEUS annuat isti,
Et perge Auspiciis talibus esse pius.

cIↃ. IↃC. LVII. *Non. Jan.*

Reverendo Clarissimoque Viro,

D. JOANNI KNYFFIO,

Ecclesiastæ Alcmariano.

LUce novâ redeunte polo, *Clarissime Knyffi*,
Officii Musas admonet illa sui.
Et vult cum Phœbo Vatum ferveſcere curas,
Thuraque succendi religiosa Scholis.
Ut sine labe suos apponat candidus annos,
Ac rursum læto tramite signet iter.
Tempore tam dubio rerum, fatisque siniſtris,
In certam nulli cum datur hora fidem.
Omniaque insano passim concussa tumultu
In luctum & lacrymas exiliumque ferunt.
Et Libertatem juxta sacer ordo Senatus,
Isacidûmque cohors vulnera mœsta dolet.
Hæc nos hora monet sacris advolvier aris,
Et graviter læsum poscere Numen opem.
Ne nos in Scyllam totos absorpserit Orcus,
Aut totidem in scopulos cæca Charybdis agat.
Nec furor armorum Batavis hinc ingruat atrox,
Et flagrent signis bella cruenta suis.
Albion infelix nec nostras destruat arces,
Istaque Majorum Pergama pacta manu.
Et Tu, *Jane Pater*, Jano spondente serenum,
In Pylii possis vivere sæcla senis.
Unde meæ referant olim solatia Musæ,
Pieridumque salus auctior esse queat.

Kal. Januar. cIↃ. IↃC. LIV.

IN

Digitized by Google

IN HONOREM
Doctissimi & Præstantissimi Juvenis,
D. GERARDI BRAMII,
Cum in Illustri Frisiorum Academiâ,
Med. Doctor salutaretur.
cIↃ. IↃc. LV. v. *Kalend. Julii.*

IN Batavis nuper, BRAMI, spolia ampla tulisti,
Et lauro hîc unâ non modò dignus eras.
Dignus Apollineâ Vates de fronde Coronâ,
Musarum & Mystis proximus ire gradu.
Hos etiam applausus, LINDANO teste, merebas,
Nec poterant aliter pulpita nostra loqui.
Nunc Patriam Ingenii vis illa & vena beabit,
Inque meos Frisios iste revertet honor.
Et circum HARLINGÆ degent hæ littora Musæ,
Olim quæ nostræ littora sacra Togæ.
Huc reduces spectate Deas à sole Batavo
Frisiadæ, & Phœbo victima læta cadat.
JUDICIBUS tantis Ponti hîc gustare venena,
Et miscere datur pharmaca tuta manu.
Morborum omne genus certo compescere puncto,
Securumque sui corporis esse mali.
Magnus amor JUVENI, causas penetrare latentes,
Scrutariqueſoli viscera, vimque poli.
Omnibus impulsus stimulis ad sacra Minervæ,
Inque tuas audax scandere, Phœbe, domos.
Non facilè hîc totos animos despondeat æger,
Auxilium Hic ægris dexter, opemque feret.
Nec Tibi pestiferum metuas sub corde dolorem,
Hic est, lenitur cujus ab arte dolor.
Hujus ad incudem veniat nodosa Podagra,
Et Quartana suo quem coquit igne gravi.
Herbarum Hic doctus Vires, usumque medendi,
Anticyras toras, Helleborumque tenet.
Ille novas dabit Exuvias, roburque senectæ,

Digitized by Google

Et Fati terror, mortis & horror erit.
Felices illi! Quorum natalia, BRAMI,
Extendi vestrâ longiùs arte queunt.

IN OBITUM

Chariſſimæ Uxoris

HENRICI NEUHUSII, JC.

Fratris.

SIc petimus geminis cœleſtia ſidera pennis,
Et fruimur multum numine propiore Deo.
Parte aliâ terris noſtri migrante ſub axem,
Parte aliâ in terras jam redeunte ſuas.
Non hæc infelix eſt permutatio vitæ,
Si quando ex ipſo funere vita redit.
Nobis carceribus mundi ac fœtore relictis,
Inque ſuo vitâ depereunte ſitu:
Conjugibus noſtris longè ſuper æthera vectis,
Si ſit in Elyſiâ valle reperta ſalus.

Idib. Feb. CIↃ. IↃC. LII.

IN EFFIGIEM

Reverendi & Doctiſſimi Viri,

D. ADRIANI SNELLII, MED. D.

Eccleſ. Alcm. Paſt.

QUod mortale, Tui eſt, SNELLI, ſic pinxit Apelles,
Ingenii at dotes pingere nemo poteſt.
Quo dudum pretio Diis Te immortalibus inſers,
Et Batavi, vives, dum ſtabit orbis honor.
Almeriæ cives, ſapite hoc ſub Judice Verum;
Hic Vos ex vero nam docet ore DEUM.

ALIUD.

SIc ſolet ad Populum, Almeriæ ſub mœnibus altis,
SNELLIUS ingentem voce tonare Deum:
Enthea vis animi latet imis fixa medullis.

Hîc

Digitized by Google

Hic oculos tantum, mutaque membra vides.
Illa Viri virtus, pulchra & facundia Linguæ,
Ex toto in pluteis conſpicienda ſuis.

IN EFFIGIEM

Clariſſimi & Doctiſſimi Viri,

D. MARTINI BRUNONIS,

Scholarchæ & Paſtoris Ibidem.

CErnitis hîc vivos oculos, BRUNONIS & ora;
Qualis CHRISTIADUM ſacra docere ſolet.
Nonne animum hoc etiam credas *in corpore pulchrum*,
Et quid divinæ mentis ineſſe Viro?
Hoc toties ſacris loquitur Sapientia Roſtris
Hoc Batavis toties Suada diſerta probat.

Ad Reverendum Virum,

D. JOHANNEM KNYFFIUM,

Kal. Jan. cIↃ. IↃc. LV.

VIR dilecte Deo, KNYFFI, dilecte Camœnis,
Mecœnas: nunc ſacra iterum ſolennia nobis,
Et ſoles rediere novi. quo tempore læti
Iſacides toti mundo gratantur honores,
Auguſtumque diem & Cunas naſcentis IESU.
Sola triumphantis Solymæ quæ gaudia dici
Jure queunt. Sponſæque Dei ſperata voluptas
Unica, & in dubiis ſecurum Rebus aſylum.
Nil ubi Cecropides, ubi nil Judæus Apella
Invenit, ut ſibi tranquillæ Solatia mentis,
Et tantum Cœli poſſit promittere pignus.
Nos illi ſumus à cœlo, poſt ſæcla, Nepotes,
Quos Superûm labor à multâ caligine rerum,
Et vitiis facit immunes. Quos, arduus Æther,
Intuitus miſeros lapſus, Hominumque ruinam,
Collectis rurſum tabulis, à morte reduxit.

Pien-

Digitized by Google

rides, Vos hæc seris transcribite sæclis
mpora, & in memores fastos atque acta referte
antæ molis opus. Majestatemque supremi
uminis, expressam in CHRISTO IMMANUELE
videte.
Tuque Patris Magni Vates, Phœbique Sacerdos,
KNYFFI, toties nobis penetralibus imis
a cane; ac solitis sese Facundia taxet
uminibus, quando sacram vox personat Ædem,
: NATI nobis PUERI gratâris amores.

In auspicatissimas nuptias

Clarissimi, Doctissimique Viri,

D. REINERI NEUHUSII, JC.

Gymnasii Alcmariani Rectoris;

Et Lectissimæ, Ornatissimæque Virginis,

DILIÆ NEOSTADIÆ.

Celebratas prid. Cal. Martias.

M. LC. LV.

)Rocul hinc recedite, concavæ curis genæ,
Et vix labante sustinens collo caput,
.ecede, pallor, carnifex amantium,
ianesque ad imos ire securus velis,
EUHUSIOque linquito NEUSTADIAM,
IEUSTADIÆque linquito NEUHUSIUM.
labet, peractum est. Sternitur Genio torus:
enè vertat, auspex inquit, & tabulas jubet
telegi notatas. Eruditi jurgiis
'erventius certant Poëtæ dulcibus.
Dicaxque Fescenninus adjicit jocos
electiores. Obstrepunt, & occinunt
'eneræ diu lascivius puellulæ.
am salva res est, sospes est certè Venus:
Nam teste cœlo vivit. En rediit vigor,
Et nitida tingens ora purpureus rubor.
Ne, SPONSE, cesses; optimos vitæ dies

Effue-

Digitized by Google

Effluere prohibe. Restitue exhaustum genus.
Ecce æra Paphium rauca cantant classicum.
Aquilâque pugnam signifer motâ vocat.
Celerato gressum. Sudor atque algor prement;
Natosque natorumque dum natos leges.

J. Erasm.

Nobilissimæ Lectissimæque Virginis,

D. ODILIÆ NEOSTADIÆ, *Sponsæ,*

Ad Clarissimi undiquaque Viri,
Ictiac Poëtæ,

D. REINERI NEUHUSII,

Gymnasiarchæ Alcmariani, *Sponsi,* ædes Domumductio.

Alcmariæ, prid. Cal. Martias
CIↃ. IↃC. LV.

DUcite ritè domum, mea carmina, ducite Sponsam;
Juno favet domiduca; nihil nisi carmina desunt,
NEUHUSIO dicenda. Neget quis carmina vati?
Belga neget vates Belgarum carmina Phœbo?
Ducite rite domum, mea carmina, ducite Sponsam.
Alter amor Phœbi Daphne jam Belgica Belgæ,
Moribus, ingenio, Generis splendore, pudore
Ingenuo patrias inter clarissima Nymphas,
NEUHUSII quæ corde novos accenderat ignes,
Flammâ tacta pari, parilem respexit amorem.
Ducite ritè domum, mea carmina, ducite Sponsam.
Ingenuus tardat pudor & sperata moratur
Gaudia, Sponse, palam Tibi, clam sibi gaudia lecti.
Phosphore, conde diem, REINERE, quid ipse moraris?
Noctifer esto Tibi, toti ceù Lucifer orbi.
Almerius Tibi deseruit nunc Hesperus Oeram.
Carminibus succende faces, mihi lampada trade,
ODILIÆ quæ monstret iter, quâ semita ducit.

Ducit

Ducite ritè domum, mea carmina, ducite Sponſam.
Promat Sponſa diem blandis NEOSTADIA ocellis,
Et facili riſu vultuiſque nitente ſereno
Siderei tandem procedat Conjugis aſtrum,
Et tandem, quò fata trahunt, veſtigia ducat.
NEUHUSII atque NEOSTADII nectantur in unum,
Ut genus amborum ſe ſanguine ſcindat ab uno.
Ducite ritè domum, mea carmina, ducite Sponſam.
Ipſe Pater Conſul, prætor trahit ipſe Cupido,
Cypris Acidalios init hinc, novat inde calores,
Omnis Hymen Hymenæe domus canat; omnis & unà
Frondibus Almerii nemoris reſpondeat Echo.
Ducite ritè domum, mea carmina, ducite Sponſam.
Frontibus, aut fallor, ſed non ego fallor, amœnis
Committetur amor; Locus & jocus omnia ſpondent.
Auguror, hæ nugæ vitalia ſeria ducent.
Ducite ritè domum, mea carmina, ducite Sponſam.
Jam ſatis eſt; jam verborum ſubducite ſummam.
Summa rei ſimul & voti ſit & omnis & una,
Ut SPONSO ſimul & SPONSÆ reſpondeat æther.
Annuit hic, non abnuit hæc: hinc itur, & illuc.
Parcite, ritè venit jam, parcite, carmina, Sponſa.

HENRICUS BRUNO.

Clariſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. THEODORO VRYBURGIO,

MED. D.

Senat. & Coſ. Alcmariano.

SCHOLARCHÆ, &c.

Quando FILIUM *haberet ſub noſtra inſtitutione*

CIↃ. IↃC. LIV. *&c.*

CRas, Aurora ſuos ubi primos extulit ortus,
Pieridum, *Conſul*, ſit Tibi cura, rogo.
Et noſtrum in ſacris ſudorem examine pende,

Et

Et quàm sit Batavis utilis ille labor.
Fervet opus sub honore tuo. Quid cætera turba
Judicet, haud vortat nostra Thalia manum.

ALIUD.

SIc tuus Ascanius geminos bis finiit annos,
Quo mecum Cereris sacra fidemque probat.
Virtuti semper vixit. nulloque labore
Fractus, per durum sæpè cucurrit iter.
Hinc properat cœptis majoribus ire per altum,
Et dat sponte suâ colla manusque jugo.
Plaude bonis Avibus, *Mecænas*. Omine *dextro*
Sic Tibi Natorum in nomine crescit Honor.

ALIUD.

CYrrha suos aperit latices hîc flumine vivo,
Et fas est, sacram hoc fonte levare sitim.
Fruge Cleantheâ modò Filius inserat aures,
Et solers nostro vivere more velit.
Sic erit, illius lambant ut tempora Lauri,
Atque illo Pallas Vate superstes agat.

ALIUD.

KNYFFIUS à terris procul & moderamine sacro,
Trans Batavûm fines, & mare raptus agit.
Thessalici coram cernit monstra horrida Ponti,
Crudeles ubi nunc intonuêre noti.
Nec tumidum patitur pelagus dare carbasa retro,
Et sic infestas scindere puppe vias.
Scilicet est etiam toties trânantibus undas
Utile, non faciles semper habere Deos.
Noster Apollo tamen, quamvis custodibus illis
Nunc carcat, vestrâ nititur unus ope.
Curia fulta tuis monitis, & nomine solo
Apta dabit Musis tempora & arma suis.

ALIUD

ALIUD.

OMnia felici respondent fidere Musis,
Et nullo titubat mensque manusque modo.
Knyffius unus erat, Quem Pallas nostra dolebat
Tunc tecum Aoniis nuper abesse sacris.
Iblica lex vetuit tunc nostram aperire palæstram,
Nosque usi campo liberiore sumus.
Neglectumque nihil, quod non bona corriget hora,
Et tuus excuset Knyffiadæque favor.

ALIUD.

JUnc cœlum ridet, nunc & sine nubibus æther,
Nunc niveos promit Phœbus ab axe dies.
Ingula quadrupedum nunc campos impete trudit,
Curribus atque rotis semita cuncta calet.
Sunt, qui trânando fluvios sua tempora fallunt;
Sunt, qui avibus ponunt retia rara, plagas.
Qui turbare feras docti, seu fallere visco,
Et canibus, vastos qui populantur agros.
Luxuriare pecus cernis convallibus imis
Et Satyros nudos ducere dulcè choros.
Illic Pegasidum fertur per gramina turba,
Quæ studio peragit desidiosa nihil.
O si nunc liceat suspendere Palladà nostram,
Et facere, ut cessent pensa, laborque gravis!
Servitio sed non licet ulli exire Sororum,
Ipsè Deûm præfert lampada ritè labor.

ALIUD.

VIsa mihi Pomona tua est. Spes ampla colonis,
Et præda hîc oculis pulchra reperta meis.
Tunc quoque, da veniam nobis, pro more, Poëta
Dè totidem naris oscula plena tuli.

ALIUD.

NIl tuus in censum Musis nunc Filius adfert;
Pallade suspensâ jamque Poëta tacet.
Majus opus fervet, vicino examine, nobis:

Et

Et non est solis versibus iste locus.
Plus Tibi Musa volet, non uni dedita curæ.
In varias artes nunc labor iste vocat.
Da veniam Vati, *Mecœnas*. Nolle Poëtam
Nunc agere, hoc Nato non sine jure datur.

ALIUD.

AUreus iste imber glebas nunc frangit inertes,
Et sudore suo digna colonus habet.
Plus est fertilibus campis agrisque paternis,
Ascanii multâ messe & honore frui.

ALIUD.

SIc tuus in clivum Ascanius nunc totus anhelat,
Et Phœbo tandem proximus ire parat.
Spem cape, *Mecœnas*. Tuus hîc quoque gliscit Apollo.
Atque olim, hic nobis surculus, arbor erit.

ALIUD.

PETRE, tuum carmen cudi meliore monetâ,
Debet, & ingenio plus placuisse meo.
Plus Musis placuisse novem, Vatumque furori,
Judicioque tui plus placuisse Patris.
Nunc anni vernant. Ætas maturior illud
Postulat. Hoc rogo te per mea sacra, PETRE.

ALIUD.

PHœbe fave. Tua sacra vocant in gaudia Musas,
Et torrente novo fortiùs urget amor.
Tam sudum nobis jam promittentibus astris,
Et pecude in læto luxuriante solo.
Hoc est, orbe novo, sub primis Patribus ævum;
Hæc sunt Indigetum pristina sæcla Deûm.
Quæ curæ, quæ dura fuit, ex, quod Numen in auro,
Te, *Vir Magne*, queat detinuisse domi?
Et non, suspenso Plutone & Pallade mecum
Admoneat propere jam foris ire gradu?

ALIUD.

Digitized by Google

ALIUD.

Mecœnas, vivo sic fingo pollice Natum,
Ut fieri Vates Te quoque teste queat.
Spè manuduco, & coram vestigia figo,
Nobiscum ut recto tramite tutus eat.
Spè etiam iratus damno mala verba juventæ,
Et nolo ut labem parva tabella trahat.
Nec Tu collaudès, quod nostros non sapit ungues.
In magnis opus est arte manuque simul.
Difficiles aditus sunt primæ Palladis. Inde
Vasta per ora Virûm semita lata patet.

ALIUD.

Ursus in Oceanum magnum dat vela Minerva,
Et longè terras post sua terga videt.
Nec prius in Latium veniet, sedesque quietas,
Quàm nova per Batavos gramina campus alat.
Cerides, votis nostris date prospera rerum,
Tuque mihi solito sidere, Castor, ades.
Tu puppis: Tu prora mihi; Tu portus & aura,
Typhis & Automedon Tu mihi solus eris.

ALIUD.

NON Tibi divinum sic pulchrâ in veste Maronem
Dignus, quem capiat Consulis ipsa manus.
Majus opus nunquam mortalis dextera vidit,
Quod cerebro exsculpsit Juppiter ipse suo.
Nos fungi sumus. Et tanti fastigia Vatis
Non nisi de longo cernere mente licet.
Ascanius tuus hac mecum decurrit arenâ,
Et sua sub tanto præmia Vate feret.

ALIUD.

Sic iterum nobis faciunt exordia Musæ,
Et Phœbo major messis amorque venit.
Paulatimque ferent sese ad fastigia rerum,
Quæ tenui hîc tantum serpere rore vides.

Digitized by Google

Adde novis plantis largum feliciter imbrem
De cœlis, oro, magne potensque Deus.

ALIUD.

SOrdida quæ vulgus celebrat convivia Bacchi,
Prò pudor! & Musis causa fuêre mali.
At non in melius cuîquam hæc mutare potestas,
Ut liceat Musis & sine labe frui?
Degeneres Batavi! quibus hæc est cura superstes
A Satanæ tenebris, Panitioque Deo.

ALIUD.

ULtima debetur Natæ reverentia Vestræ,
Et posthac tristi sistimus ore loqui.
Nec vult in lacrymas toties dolor iste citari,
Qui dolor in cœli gaudia totus abit.
Pierides nostræ postremum hoc munus ovanti
Dant manibus puris pectoribusque piis.

ALIUD.

OPtime VRYBURGI, non ultima gloria Vatum,
Quando erit, ut tecum cominus ore loquar?
Ac totidem redimam officiis tot damna dierum,
Quæ me visa tuis dissociare sacris?
Crede, meis non est tardis hæc culpa Camœnis:
Innocuas prorsus quas decet esse Deas.
Nec quicquam nostros, temerè interturbat amores,
In furias audax Cypridos iste puer.
Penè pudor Vatem Templis semovit ab istis,
Quæ toties Vati Templa patére solent.
Pande fores iterum. Genua incerare Deorum
Mens agit, & supplex dat Tibi Musa manus.

ALIUD.

FRigore nunc duro patimur dispendia Musæ,
Et Vatum facta est frigore vena minor.
Non tamen à cœlo lædant sic frigora Musas,
Frigeat in nostram ut Pallada noster amor.

ALIUD.

ALIUD.

Ripiunt ipsis Batavis cœlumque diemque
Jam nunc imperiis Numina sæva suis:
ostra tamen nullo consistit frigore Musa,
Inque pios Vates nil fera Bruma valet.

ALIUD.

Bstulerat nostros versus Tibi sidus iniquum,
Officioque minus dextra parata fuit.
rimus error erat, Phœbo indignante, sub isto
Auspicio, & Vatem spes sua fallit iners.
Ipa tamen minor est, quàm factum pœna sequatur,
Stultaque mens illi, non scelerata fuit.
c ego nunc coëo, *Mecœnas*, fœdere tecum,
Ne posthac latebras carmina nostra petant.

ALIUD.

Ccipe Filioli natas per frigora Musas,
Et devota Tibi pignora mentis habe.
ion officium respondet ad omnia Vatis,
Excusent Vatem Frigora dura tuum.

ALIUD.

Jdin' ut horrendo tonitru cœlum omne remugit,
'ulminibusque suis æther & igne micet?
c caveant Superi, ne tanta tonitrua nobis
Quid monstri in Batavis, quidve furoris alant.
istiades, orate Deum, nunc poplite flexo,
Jt cœlo nobis prospera cuncta fluant.
reat & Pietas, cum Libertate Batavûm,
elligioque suum tollat ad astra caput.

ALIUD.

tonat in Batavis rursum Bellona flagello,
Prælia Mavortis quisquis & arma crepat.
ursum pugnent Batavi, quis noverit illud,
n bella hæc Batavo bella futura satis?

Digitized by Google

Nos Batavûm optamus genti, terraque marique
Possit ut in pulchrâ vivere Pace diu.

ALIUD.

CRas sibi colloquium poscunt Phœbeia sacra:
Quorum Tu princeps cura, salusque mihi.
Addixit dextris avibus sua KNYFFIUS ora,
Et volet Aoniis se annumerare sacris.
Tu, si Fata Tibi dederint, & Apollinis ruda,
Fac nostris sacris pars quoque magna fies.

ALIUD.

NOn bene, *Mecœnas*, nobis cum corpore nostro
Convenit. Hæc tremulâ scripsimus ipsa manu.
Dira minaxque febris penetralia pertoquit intus,
Jamque manus Phœbo mens gerosa vacat.
Scilicet hæc Sponsi titulis & amoribus apta!
Hæc Veneris pulchrè sunt monumenta mea!

ALIUD.

EXiit à nostro jam rursum corpore febris,
Et meliore mihi sanguine vena fluit.
Non benè Pieridum turbæ Rex convenit æger.
Hîc opus est firmis viribus, atque manu.
Dii facite, ut porrò felix respondeat æther,
Et mens in sano corpore sana siet!

ALIUD.

ADspice, quæ dederint Bacchi solemnia Musis
Damna piis. Quantum nocent convivia vati,
Et malesana fames, ventrisque immanis hiatus.
Per populos. Utinam! nusquam vestigia prisci
Exstarent sceleris. Sed mens sibi conscia recti,
Et Pietatis amor cœlo descendat ab alto.
Sic non innocuas Musas censura Potentum
Læderet, atque extra culpam foret ipsa Minerva.

ALIUD.

Digitized by Google

ALIUD.

FIlius in Veris flores & gaudia ſperat,
Nos Veneris forſan ſera ſenecta manet.
Sed mihi ver poterit lætum, crudamque ſenectam,
Et donare animi robora firma Deus.

ALIUD.

ITe meæ Veneres, Paphiæ commercia turbæ;
Me nunc, poſt Venerem, pulchrior urit amor.
Dilla una meos nuper ſuccenderat ignes,
Nunc etiam Pallas ſubdit & ipſa faces.

ALIUD.

POſt, Hymenæe, tuas nebulas Helicone petitas,
Nunc poſtliminiò ſeria Pallas aget.
Affatuſque Deo, & motu propiore caleſcens,
Mecum agito ſolers grande ſalutis opus.
Deque Jove & ſuperis melior quid ſentiat orbis,
Hoc unum noſtram Pallada ſcire volo.

ALIUD.

PRælia Palladiâ mox committentur in æde,
Et major noſtro in pulvere pulvis erit.
Aſcanio quare jam non vacat eſſe Poëtæ,
Bella movens animo ſervidiora ſuo.
Tunc Tibi, *Mecænas*, Muſis ſubmittere faſces
Fas erit, & meritis præmia ferre ſuis.

ALIUD.

TU donas nobis, inſcriptos nomina Regum,
Mecænas, flores; Nos Tibi verba damus:
Qualia non toto permutem verba Tonante,
Veſpere ſub ſero nec dabis, Inde, mihi.
Plus nobis Licinis, plus eſt Pallante, ſupellex:
Atria quæ Phœbi ſplendidiora facit.
Sic ſumus ergò pares. Tu paſcere ſedulus auro
Pieridum turmas; Nos dare verba Tibi.

ALIUD.

UNius ex Astri subitâ caligine, Vulgus
Totius ac urbis penè quievit opus.
Degeneresque animi passim incerare Deorum
Jam genua, & visi thura parare focis.
Teius Ipse Pater tantas præsenserat umbras,
Extremus mundo ceù foret iste dies.
Vixque suo eloquio Lucis satis esse locique
Cimmeriaque polum, Templaque nube tegi.
Non stupet ista animus, verum qui prêndere causas,
Et didicit cœli scandere mente vias.
Forsitan hoc aliquid, *Mecœnas* optime, *damni*,
Deliquium Musis, Ascanioque dedit.
Qui majora suis posthac conatibus addat;
Hoc velit, & patrius jusserit ipse labor.

ALIUD.

ISte etiam Nemesi furtim subdûcitur Annus,
Inque novos iterum pergimus ire dies.
Quis scit, an adjiciat plures his Juppiter annos,
Et non hic nobis ultimus annus eat?
Incertum est, qualis nostri sit Terminus ævi:
Hic etiam vitæ Terminus esse potest.
Ergò animos fortes Fatum sumamus in ipsum,
Ac nobis fas sit, non sine laude Mori.
Corporis exuvias ubi nox absumpserit una,
In cœlis iterum vita perennis erit.

ALIUD.

KNYFFIUS hos animi testes modò deferet Hagæ
Et volet hoc nobis officio esse plus.
Collegæque tuo, magni NEOBURGIDOS aulæ,
NEUHUSII Tecum vota legenda dabit.
Interpres sic fidus eat, pars magna Sororum,
Et nostri causam ritè Patronus agat.
Tu clavum in Pelagi medio, *Palinure*, tenebis,
Et contra fluctus remige doctus ages.

Nos

Digitized by Google

s animi ſemper meritis, tibicine firmo,
Nitimur, & Phœbo ſub Duce vela damus.

ALIUD.

QUamvis ſæva tuos infeſtent tela Penates,
Et verras triſti Syrmate rurſus humum;
bſit, noſtra tamen poſtponi luctibus iſtis
Numina, & Aonias inde dolere Deas.
nſuetum eſt, nunc poſſe mori juveneſque ſeneſque:
Quâ non in vita certior ulla via eſt.
elices! omnes ſi mors hæc terminet urnas,
Tiſiphoneque ſuum jam grave ſiſtat opus.

ALIUD.

TYBURGI à thalamis longè abſint pocula Lethes,
Et nulla hos turbet vis inimica Lares.
lenus amor, ſuperûmque favor, felicibus Aſtris,
Aſſiduò hanc intrent, inhabitentque Domum.
t Natos natorum, iſtâ de ſtirpe renatos
Uſque, ſuis meritis ritè Batavus amet!

ALIUD.

FILIUS Oceani ſcopulos emenſus & undas,
Securuſque ſuo navigat Ille mari.
Te, Palinure, tamen, cujus non una Carinæ
Commiſſa eſt Curæ, Carbaſa plura vocant.
Quæ quoque decurrant Pelagi feliciter undas,
Et, tam propitio Numine, vela levent.
Adde manum clavo, Palinure, & in æquore Teucrûm
Dirigat errantes ars tua docta rates.
Sic quoque, poſt viridi partas Parnaſſide Lauros,
Roſtrata eſt Muſis parta Corona meis.

ALIUD.

PURius it nobis, pulſâ caligine, cœlum,
Et tandem Batavis ſolvitur acris hyems.
Inque vicem redeunt blandi, poſt frigora, ſoles;
Naturæ & facies redditur ipſa ſibi.
Qualia, *Mecœnas*, optem Te ducere ſæcla

Æternùm, & noſtro in pulvere Phœbus æmat.
Ergò, ſi fas eſt, pulchri ſub imagine Veris,
Cras etiam noſtræ Te quoque ſiſte domi.

ALIUD.

CRas Te Muſa citat ſacræ ad Delubra Minervæ,
Qua Divûm fuimus pars modò magna ſacris.
Totius ut Phœbi pateat Tibi ritè receſſus;
Et quid agant Muſæ, Curia tota ſciat.
Lege tamen veſtrâ, placidus ſi affulſerit æther,
Martia tempeſtas & ſinat ire foras.

ALIUD.

JAm SOL Nemei tranſcendit terga Leonis,
Et cuncta à flammis incaluêre ſuis.
Aret ager, plenæque ſitim patiuntur ariſtæ,
Ac penè in nimiùm vertitur iſte labor.
Nec ſatis hoc. Furit Ætnæis crudelis ab undis
Tiſiphone; occultum terraque virus alit.
Et tacitè incipiunt violentæ ſerpere febres,
Nec Mortis ſimplex protenus ire genus.
Funera præludunt plebeïa. Fortè, Potentum
Vis etiam major Funera magna dabit.
Diſ meliora Piis! Noſter, ſine labe, Cytheron
Explicat audaces Aſtra ſub ipſa manus.
Nec metuit mortiſque minas Mens enthea Vatum.
Illis nec pudor eſt in ſtatione mori.
Sic facit intrepidos Superûm præſentia. Nunquam
Eſt animi fortis, quem ſubit inde timor.
Lætior Auguſto patet hîc ſub ſidere porta,
Et cras hîc Tecum vellet Apollo loqui.

V. *Auguſti* CIↃ. IↃC. LVI.

Digitized by Google

IN OBITUM
Eximiæ Lectissimæque Virginis,
CATHARINÆ à VRYBURCH,
Pro pio solamine
AD
Mœstissimum Patrem
D. THEODORUM à VRYBURCH,
MED. DOCT.
Cos. & Scholarcham Alcm. &c.
clo. Ioc. LV.

PArs Ego magna tui luctus, *Clarissime Consul*,
Nec possum gemitus non dare ritè meos.
Dum video lacrymas pleno torrente meare,
Tuque tuâ nimium Conjuge mœstus ages.
Et mox ad plures tristi *Catharina* feretro
Exportanda tuâ, Filia prima, domo.
Filia, quæ major sexu, & virtutibus annos
Præveniens, rarâ dote fideque fuit.
Filia, quæ, tantos animo complexa Penates,
Una Patri & Matri spesque decusque fuit.
Filia, quæ multâ Pietate & Moribus æquis,
Et castâ exemplum Virginitate fuit.
Quam non una Venus donis cœlestibus ornans
Artifici in laudem sculpserat ipsa manu.
Quam toties volui Lauro decorare poëta,
Materiem læti carminis, atque tori.
Aſt aliter visum est superis. Trans æthera alti
Qui spatia hanc propriam nunc voluere sibi,
Nec passi in terris pulchrum hoc decus esse perenne,
Unde procul mundi debuit esse manus.
Magne Virûm, magnæ Natæ Tibi gratulor urnam,
Soli quæ CHRISTO nubere digna fuit.
Tales nos erimus, qualis jacet illa cupresso:
Hæc est Viventum gloria, ritè Mori.

Digitized by Google

EPITAPHIA
In
EANDEM.

PATER.

DEliciæ quondam noſtræ, CATHARINA, fuiſtis.
Nunc in Deliciis es, CATHARINA, DEO.
Permutat ſic ſcena vices. Terreſtria nuper
Qui fuimus, cœli pars modò magna ſumus.

MATER.

Prima mihi nomen *Matri Patrique* dediſti,
O tam dilecti ſpes, CATHARINA, tori.
Ubera ſed fruſtra preſſabas, Filia, Matris,
Atque ipſum hoc nocuit nunc mihi ventris onus.

FRATER.

Vulnus grande mihi nuper, Germana, dediſti.
Nec ſatis in lacrymas tunc erat una ſoror.
Tota domus pullo jam tunc ſquallebat amictu,
Et ſolitæ in cœlo vix micuere faces.
Ominor. in terris cum nox ſic ingruit atra,
Purior in cœlis Fax, CATHARINA, tua eſt.

DEFUNCTA.

Quid mihi vobiſcum eſt, infelix gloria mundi?
In cœlis mea nunc gloria ſola, DEUS.
Quæ, nunc à terris pennis ſublimor actis,
Virtutum famâ celſa ſub aſtra feror.

POETA.

Hîc, CATHARINA, tui manes in pace quieſcunt,
In CHRISTI tandem læta recepta ſinum.
Hîc procul ex alto rides ludibria Mundi,
Et ſibi quod fallax ſperet amantis amor.
Jamque potes vero, VRYBURGIA, nomine dici:
Quæ nunc cum ſuperis gaudia vera tenes.

Digitized by Google

Et cui LIBERTAS ultrò contingit ovanti;
Proque Viro Sponsum se dedit ipse DEUS.

Ad Cl. Virum,

D. REINERUM NEUHUSIUM, J. C.

Gymnasiarcham Alcmarianum.

CUM

Obitum UXORIS *charissimæ deploraret.*

NUper in excessum venerandi patris, acerbum
Tam mihi, maturus quàm fuit ille patri,
Patris in exequias, cujus mihi semper oberrat
Funus adhuc oculis, funus adhuc animo,
Sparsisti lacrymas, præclare Poëta, canoras,
Sparsisti lessus voce manuque tuos.
Carminibus meritas retulissem carmine grates,
Officio, vates officiose, meo;
Sed silui, fateor, luctu obluctante, laborque,
Quicquid tentabam scribere, vanus erat.
Perdiderat mea dextra chelyn, mea lingua loquelam,
Mens animum, gemitus verba doloris erant.
Tu tenui veniam vati nequiisse disertè,
Tu veniam mœsto da, nequiisse loqui.
Quin veniam, memini, veniam, REINERE, dedisti:
Scis, non neglectu me siluisse tui.
Nunc miser exstinctâ dum Conjux Conjuge ploras,
Quæ tuus unus amor, quæ tuus ignis erat,
Dum gemis HOPTILLÆ Cineres, tumuloque sepultos
Amplexus, risus, oscula, verba gemis,
Dum tua, pars animæ, præclara BOETHIA, dumque
Semianimi rapta est altera vita Tibi,
Dum tua feralí mutatur tota cupresso,
Omnis & in taxum squallida laurus abit,
Brunonis Musam deposcis, amice, vicissim,
Solamen poscis, dulcis Amice, meum.
Da veniam, ô iterum precor, ô iterumque iterumque
Musa mihi nunc, ô Optime, muta mihi est.

Digitized by Google

Condoluiſſe foris potero tunc carmine demum,
Cum primùm potero dedoluiſſe domi.

HENRICUS BRUNO.

Ad Clariſſimum Fratrem,
REINERUM NEUHUSIUM, JC.
CUM
Obitum UXORIS BOETHIÆ *lugeret.*

QUid, Frater REINERE, doles crudelia Fata?
Vimque Deûm adverſam, & contraria Numina votis
Incuſas? Dum chara Tibi ſejungitur *Uxor*,
Et rurſum inſeritur nova per connubia CHRISTO.
Non eſt, crede mihi, mors hæc; aut Fatum acerbum,
Quod pateris: CONJUX tua, pro mortalibus auris,
Si Jovis ambroſia veſcatur, & ætheris aura.
Corpus humo, magnæ matri debemus, Olympum
Altera pars melior ſcandit. Qua protinus acti
In ſublime, humilem mox fruſtra deſuper orbem
Quærimus: unde juvat nequicquam ad tarda reverti
Corpora. Nos hîc in mediis convallibus orci,
Heu! quoties gemimus ſub iniquo faſce laborum,
Et patimur ſine fine malum. Mors optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt. Nam tranſitus iſte
Hinc nos à pœnis peccati, & crimine multo
Eripit, Elyſiiſque jubet conſiſtere campis.
Ergò minor tuus eſt luctus, Chariſſime Frater.
Qui propiore Deum nexu jam tangis amorum.
Cujus, noſtra ſoror, divina *Boëthia*, CHRISTI
Vivit in amplexu, vitæ & ſtatione peracta
His iterum nolit Sponſum mutare latebris.

HENRICUS NEUHUSIUS, JC.
& Advoc.

Digitized by Google

Ex veteris convictus memoriâ & affectu.

Euhusi, quàm chara Tibi, quàm lecta medullis,
Et nuper pleni Numinis Uxor erat!
bi secum tacitæ toties stupuêre Camœnæ:
Quando etiam vestri pars ego magna Laris:
gna Jovis Thalamo Conjux! Si Juppiter orbem
ncolere, atque hominum vivere more volet.
nc Pietas longè nostri secreverat ævi
Moribus, & magna parte levarat humo.
ndoris pulchri exemplum, vitæque pudicæ,
Et fax fœmineos inter amata choros.
nni dote potens. Seu pulchri corporis artus;
Sive animi expendas munera rara boni.
uid de tot gemmis, de tot Virtutibus ergò,
Neuhusi, ac tanta perdere dote putas?
l perdis. Nihil istorum mors atra sepulchris
Claudit, in hoc Orcus nil quoque juris habet.
orpus humum, matremque petit Vis enthea mentis
Exitium nunquam ferre, morique potest.
æc oculis animi spectas. Hæc lance beata
Æstimat in cœlis aligerûmque chorus.
c qui raptus obit, vitæ statione peracta,
Coram oculis haurit contuituque Deum.
lò sese infert, Divina Borthia, Conjux,
Excussitque suum, libera carne, jugum.

Andræas Winkelius. V.D.M.

Aliud.

NUnc, ô Calliope, mœstis singultibus ora
Fas pulsare tibi. Cecidit digniſſima Phœbo
Altera Juno parens. Cujus temone sub æquo,
Heu! quondam nostri sudarunt ritè labores,
Dote pudicitiæ moniti. Clariſſime Vatum,
Neuhusi, quantos sensisti jure dolores!
Vulnera quanta Tibi tunc sunt sub corde relicta,
Cum Te tam læti thalami fortuna fefellit!

Hæc facies, hæc scena tua est, ô magne Virorum,
NEUHUSI, Dilecte mihi. Dispendia sortis
Consiliis moderare piis. Qui sæcula prisca
Si tecum in trutina pendas ac lancibus æquis,
Nil Tibi flere novum evenit. Mors omnia vertat:
Omnia nata semel paribus damnanda tenebris.
Flere tamen nimium, finit haud prudentia, Vatem,
Et Pietas: quæ sola Deo se jactat alumno,
Exemplisque Virum te pulvere poscit in illo.
Chara Tibi CONJUX nunc vescitur Ætheris aura
Aligerûm in media turba, Divûmque corona.
Nunc immortali cœlestis munere mellis
Pascitur, & saturo nectar destillat ab ore,
Ambrosiasque dapes carpit, tandem *inclyta cœli*
Atria, & augustos metitur lumine campos.
Perque domos Superûm saeris evecta quadrigis
Altiùs, humanos ridet secura labores,
Et quicquid sub sole placet. Certamine pulchro
Eminet, & Lauro in cœlis victrice triumphat.

GUALTHERUS LANSCHOT.
J. U. D.

ALIUD.

NEUHUSI, Phœbi interpres Legumque sacerdos,
Cujus ad Eloquium nostra Minerva stupet:
Et quo Majestas sub Judice major habetur
Musarum, & Batavis clarior extat honos:
Pone modum lacrymis, sævos compone dolores,
Qui Te sollicitum nocte dieque tenent.
Ne querere æternùm, quàm sint Tibi sæva Tonantis
Numina! Quæ Thalami sit tibi rapta comes!
Aut pete in amplexus, Quam nunc amplectitur æther;
Quam vult esse loco jam meliore Deus.
Frustrà est, NEUHUSI, lacrymas opponere Fatis;
Quam luges, tua non, sed fuit illa Dei.
Si Lachesis pulchros placidosque incîdit amores,
Debitores Repetit, quam dedit antè Deus.
Felicem nunc astra tenent; ubi Numine coram,

Ange-

Digitized by Google

ngelicos inter verſat amœna choros,
am Chriſtiadum graditur per templa Camœnis,
ermutans aliis otia noſtra Roſis.
ixit, cui vita proba eſt. Quamque improba terra
on meruit, cœlo hæc invenit ipſa locum.
qui ſæpè aliis vivendi mite dediſti
onſilium, ſis nunc utilis ipſe Tibi.
otes, & poteris non æquos ferre dolores,
ui toties mundum dicis inane Nihil.

JACOBUS LANST. J.U.D.

ALIUD.

Agne Vir, à Cujus locuples facundia Linguâ
In Batavis vivo fulmine & ore tonat;
jus ad exemplùm Aoniides accendimur omnes,
Et cupimus Phœbo proximiore frui;
tarunt Tibi Fata vices. Et pulpita læta
Pieridum triſtes ingemuêre rogos.
cor amans Tibi jam medio ſubducitur ævo,
Et viduo, ante dies, imprimis ora toro.
ialem nulla dies thalamo reparare Maritam,
Altera nec Cypriæ reddere cura poteſt.
æ formare Larem vivâ Virtute ſolebat,
Dum formanda tibi ſacra juventa foris.
toties curas animi, poſt Pallada, fregit;
Et, poſt tot nubes fronte ſerena fuit.
lagne Virûm! ſunt hæc Superûm moderamina juſta.
Tu tantæ æternum Conjugis eſto memor.

PETRUS WIBO. J.U.D.

ALIUD.

Ic abit in tetricas nubes & nubila tandem
Natus Homo; prorſuſque nihil ſunt optima rerum,
Quas hîc in terris tantis ſudoribus urget.
NEUHUSI, Tibi fœminei conceſſerat æther
Florem animi, ſexuſque decus. Sed, debita morti
Penelopetam pulchra fuit. Quam rarior ætas,
Quam Pietas rigidis nequiit ſubducere Fatis.
Diſcimus exemplo, quam res ſit lubrica, Mundus;

Et

Digitized by Google

Et ſcenæ quàm ludus iners, & inania cuncta
Sub ſole, & Cœli convexo, Fluminis inſtar,
Præcipiti in caſum lapſu dimittimur Orco,
Et tenuis bullæ in morem evaneſcimus omnes.
Hoc ſupereſt: dare Virtuti poſt funera teſtem,
Et famæ, ac veterum pulchrè meminiſſe laborum.
Macte Virûm! Fer Divini mandata Parentis
Forti animo: intrepidumque rogis oppone Catonem,
Nec ſuccumbe minor, Divina BOETHIA carnem
Exuit, & veros in CHRISTO agnoſcit amores.

NICOLAUS QUTCLAES. J.U.D.
CIↃ. IↃC. LV.

ALCMARIA LITERATA.

ERgò novem Muſis *Almaria* noſtra ſuperbit,
Atque illic ſummâ Pallas in arce ſedet.
Barbarieſque iſtâ feliciter exulat Urbe,
Et tandem cuncti turba diſerta ſumus.
Priſcus Honos, Faſceſque illic & purpura Patrum
Permeſſi à vivo flumine tota ſapit.
Quæ res invidiâ nunquam, aut Livore carebit,
Et pulchrè Batavum tollet in aſtra decus.
Scilicet antiqui redièrе in ſceptra Catones,
Et rarâ ad clavum nobilitate Viri.
Qui propriâ in Populum pandunt Oracula voce,
Legibus armati, Juſtiniane, tuis.
Pierides, veſtris narrate Nepotibus iſta:
ALMERIA IN SOLA PALLADE PONIT OPES.

CARMEN VERNALE.

CEſſit hyems, gelidæ cœlo ceſſêre pruinæ;
Nunc alium nobis ventilat aura Jovem.
Non Boreas Aquiloque truci circumvolat umbrâ,
Præcipiteſque Noti prælia fronte gerunt.

Pax

Digitized by Google

Pax habet Æoliam. Non classem tristis Orion,
Arcturusque suo sidere turbat aquas.
Æquora tuta silent; tacitéque strepentibus undis
Rara procellosam verberat unda ratem.
In sua cum Geminis redierunt cornua Tauri,
Et lætos aperit Ver geniale sinus.
Nunc terris sua vita redit, cœlique calore
Concipiunt animas pinguia rura suas.
Parturiunt Elementa simul. Naturaque rerum
Solvitur in fœtus luxuriosa novos.
Najades hîc, illic, vitreas ad fluminis undas,
Thestylis in læto gramine pascit oves.
Mollibus & Zephyris, gratissima Filia Veris,
Elysios pulchrâ veste coronat agros.
Hæc inter resonat volucrum concentibus æther,
Et limosa suis rana coaxat aquis.
Adspicis, ut petulans Cytherea invitet Adonim,
Detineatque suum mollis Elisa Virum.
Omnia prætendunt vitæ socialis amorem,
Et nihil est cui non jam suus ardor inest.
Aëre tam blando, Verisque tepentibus auris
Quis non Idaliam Cyprida blandus amet?
Et sua candidulis submittat colla lacertis,
Proliferique ferat semina læta Tori?

Doctissimo Juveni,

D. THEOTANDO HOBMA, Frisio.

Patriam repetenti cum Batavis.

QUando nunc iterum Frisios petis, *Hobma*, Penates,
A tergo fidus sum comes ecce, Tibi.
Ponè sequor Vatem Vates, terrâque marique,
Et pariter tecum Frisidos arva peto.
Sed pennis animi ligno me credo doloso,
Corpora non ausus credere nostra rati.
Illâ parte mei poteris mandata referre,
Cum dices cunctis: *Neuhusio esse bene.*
Atquè illum tali sub climate vivere Cœli,

Semper

Digitized by Google

Semper ubi ex merito Vatibus exſtat honos.
Non dubium, *Camminga* tuus lætabitur iſtud:
Ille ſuæ Patriæ floſque decuſque Virûm.
Et noſtri memor, à teneris, applaudet ovanti,
Fortunaſque abſens annuet ipſe meis.
I, felix, Vates, pelago, ventoque favente,
Et multum Frifiis dic bona verba meis.
Quos ſuperi fervent, oro. Auſpiciiſque ſecundis,
De Cœlo facilis proſperet uſque Deus.
In reditu, *Neptune*, tibi cadet hoſtia. Vatem
Cum reddas Batavo, *Nereidumque* ſibi.

IV. *Kal. Julii.*
CIↃ. IↃC. LXV.

In Auſpicatum Natalem

Reverendi, Clariſſimi Viri,

D. PETRI SCHACKII, *Eccl. Alcm. Paſt.*

Cum annum Ætat. ſuæ XXX. *ingred.* VIII. *Aprilis.*

DUm redeunt iterum Soles & Sidera Mundo,
Et facies pulchri candida Veris adeſt,
Unà etiam nobis, quod Diî voluere favente,
SCHACKIADÆ pulchrum nomen honoſque redit.
Nataleſque Viri tanti Lux illa redonat,
Quæ *terras aperit*, quæ *Veneriquo* ſacra eſt.
Menſe ſuo *bis quarta dies*. Quæ gratior exit,
Quod frugum atque anni Spem melioris alat.
Felices mundi Soles. Vos tempora vitæ
Hæc regite, & longâ ducite penſa manu.
Nec facilè immutent triſtes ea gaudia luctus,
Gaudia quæ SCHACKII nomine quiſquis habet.
Ut dubitem Laribus propriis auguſtior hic ſit,
An toti Alcmariæ lætior ille dies.
Perpetuum hunc optem nobis Natalis honorem,
Unde tibi tantis, CHRISTE, renatus honor.
Et ſancti patuêre magis delubra Sionis,
Et plus quam ſolito ridet Apollo meus.

MDC. LXII.

In

In

Natalem Sexagesimum

Reverendi, Clarissimi Viri,

D. JOHANNIS KNYFFII, Eccl. Alcm. Past.

Qui dies illustri Alcmariæ sacer, pulso feliciter à mœnibus Regis Hispaniarum exercitu.

OMnibus es felix numeris, *Clarissime Knyffi*,
Et pars est vitæ nulla sinistra tuæ.
A teneris, credo, Naturæ filius albæ
Natus, &, exemplo Numinis, usque potens.
Qui foris innumeros hinc, indè agnoscis amicos,
Fortunæque vides clara Trophæa domi;
Pignoribus læti Thalami florentibus illic:
Quorum nunc passim Sidera lambit Honos.
Crediderim, haud ultra transcendere vota Parentum,
Nec majus quidquam Numina posse dare.
Sexaginta annos fœtit hæc fortuna tuorum,
Inque dies pulchrè glisçit Honoris Honor.
De Cœlo possis an poscere plura, nec ausim
Dicere. Votorum summa peracta Tibi est.
Hoc ego pro famâ, pro tanti Nominis addo
Auspiciis, vitæ ut terminus iste tuæ
In totidem Octobres felix se extendat. Et unà
Cum populo toties, Iò Triumphe, canas.

AD EUNDEM.

CHare *Socer*, *Knyffi*, rursum duodena per Astra
Confecit cursus Cynthia blanda suos.
Et nos ad senium tacitè properamus & umbras,
Paulatim hâc vitâ deficiente sibi.
Exigit hoc Pietas igitur, cognataque Virtus,
Hunc tecum pariter ducere ritè diem.
Et, cum Luce Novâ solennia condere vota,
Ut lux hæc Patriæ prospera semper eat.

Et,

Digitized by Google

Et, nobis, vitâ incolumi, ſapientior ætas
Multa domi portet commoda, multa foris.
Nec ſors hæc uno præſens ſe terminet ævo:
Cuî ſpatium dectat ſub Jovis aſtra dari.
Atque ultra terras animis melioribus aſtis,
Sit terra hæc vilis, mundus & ipſe, nihil.
Ante tamen Lacheſis noſtros trux ſolverit artus,
Hæc precor: *evenias pulchra ſenecta Tibi.*
Et quo, præmitis, animi in robore pulles,
Hoc etiam longum robore ſoſpes agas.
Almeriaſque tuis illuſtret dotibus Urbem
Quæ te, pro meritis officioſa colit.
Virtutum & pretiis dignis, ac laudibus ornent,
In Cœlum Ingenii provehit acta tui.
Vive diu, Vir chare mihi; Vir chare Batavis;
Vir, niſi poſt ipſum Neſtora, digne mori.

Prid. Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXIII.

AD EUNDEM.

SIc iterum, KNYFFI, redeuntis terminus Anni
In Batavis multo mactat honore Forum.
Noſque ſuperfundit tanto fortuna paratu,
Hæc ſit ut ad numeros pene referre, pudor.
Publica res agitat fido ſub regmine pacem,
Et nuſquam, externo jam niſi ab hoſte, metus.
Pacatoſque domi cernit ſibi quiſque Penates,
Et fas eſt genio vivere cuîque ſuo.
Qualia nunc omnes cupiamus tempora nobis
Currere, & haud alias ferre patique moras.
Ut Scyllas ſcopuloſque extra ſis vivere detur,
Et facili currat Cymbula noſtra ſalo.
Chriſtiadûm populus, modò vita & vivida Virtus
Huic conſtet, ſemper Numine tutus erit.
Nec deêrit quicquam rebus ſolerter agendis,
Sive domi verſent otiâ, ſive foris.
At ſi luxuries nobis dominetur, & ipſa
Peſtis, avarites, ambitioque trahant,
Ilicet excutimur curſu, cumuloque bonorum,
Et placidam venti deſtituere ratem.

Nos igitur, pulchrâ virtutum in ſede locati,
Servemus ſacrum Religionis opus.
Vos alii, fallax quos mundi cura remordet,
Fortunæ in fragili ponite cuncta ſinu.
Nos meliore luto geniti, & cœleſtibus orti
Auſpiciis, uni ſacra damus Deo.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXII.

AD EUNDEM.

DUm redit *Almeria*, felici Sidere, Titan,
Bis quarto Octobris, clarior axe, *dies*,
Auſpicio Coeli dextro, lætiſque benignis,
Natales numeras &, *Socer ipſe*, tuos.
Sexagintà annis ſuperadditis ecce duobus,
Canitieſque Tibi major honoſque venit.
Sed, Tu dum lætis hinc, inde amplexibus erras
Inter tot Thalami pignora blanda tui,
Enumeratque ſuos Urbs noſtra hæc clara Triumphos,
Et, quondam, forti parta trophæa manu,
Belgica, prô! ſcriſſis vadit proſtrata capillis,
Et tutas optet res magis eſſe ſuas.
Quæ nunc in mediâ mortis convalle tenetur,
Ac conclamatas res videt eſſe ſuas.
Non ſatis adverſum validos munita tyrannos,
Et tot Mavortis fulmina ſtare potens.
Tu, *Superûm Rector*, torus cui ſervit Olympus,
Et ſtant ad nutus Aligerûmque chori,
Reſpice res Batavûm fractas; &, Numine læſo,
Non iræ ſemper des alimenta tuæ.
In melius converte animum. Miſerêre Sionis,
Nec patere, in tantas incidat illa feras:
Quæ Patrium limen, rugientis more Leonis,
Diripere infeſtis, unguibus uſque parant.
Cœleſtes oppone Aquilas conatibus iſtis,
Et fac, in certæ fœdera pacis eant.
Sic dabitur, coram noſtræ *Natalibus Urbis*,
Natalem Socero concelebrare diem.

Honorâ

Honori Nuptiarum,

Ampliſſimi, Conſultiſſimi Viri,

D. PIBONIS à DOMA, Sponſi.

Præpp. Fr. Ordd. à ſecretis.

ET

Lectiſſimæ, magnæque Proſapiæ

TETTIÆ à JELTINGA. Sponſæ.

DOMA, *Deus Patriæ Procerum, Columenque Minervæ*
Quàm Tibi feliciſ colitus Aſtra favent!
Cui nunc, poſt duplicis Thalami diſpendia & umbras,
Jungitur hîc iterum pulchra decenſque Venus.
JELTINGA *de Stirpe* VENUS: *Quam priſca Parentum*
Inſervit tantis Gloria ritè ſacris:
Ut ſtupeat meritò de Te nunc Friſia, SPONSE,
Quod toties iſtâ ſorte beatus agas.
Tanquam, cum Superis æternùm Fœdere pacto
Conjugii nunquam ſis Tibi vana fides.
Magne Virûm! precor, has Tædas benè vertat Olympus,
Ut faciles habeas iſto in amore Deos.
Et JELTINGA *tuos in longùm paſcat amores,*
Nec Tu JELTINGA *deſtituâre tuâ.*
Ambo Animis, Ambo Fortunæ dotibus aucti,
Vivendo Pylios exſuperate dies.

MDC. LXVI.

Pof

Post habitam Orationem, in Mortem
Nobilissimi & Doctissimi Viri,
ADAMI FORESTI, Med. Celeberrimi.
Cos. & Senat. Alcm. Publ. Ær. Præf.
Cum Amici ine donassent BIBLIIS, *quibus Ipse in vitâ semper usus. Habita funebri.*

ORESTI sacros Cineres & grande cadaver
Flevimus Almeriæ sub juga celsa Scholæ,
tanti Vires Animi, pro parte virili
Diximus. Aonidum ritè stupente choro.
atas quando Musas Induximus omnes,
Visaque sunt Vatem pulpita flere suum.
ere sed summam rerum, Lauroscque comasque
Victrices, Batavæ non potuere Deæ.
erior fuit excelsis Virtutibus istis
Tunc tota Eloquiis rapta Thalia suis.
, memini, nostræ Majestas protinus Urbis
Haud potuit lacrymis abstinuisse suis.
ippe VIRI Virtus, & conscius ardor Honesti
Ipso tunc Phœbi pellice dignus erat.
lcmaria, est tuus iste labor, tuus iste Triumphus,
Quod Tanti in Te sint condita membra VIRI.
os spolium pulchrè legimus de Manibus istis,
Atque hinc sunt Musis pacta trophæa meis.
cra Viri teneo, DIVINA Volumina VERBI,
Quæ versare manu nocte dieque solet.

Ad memoriam Anni CIↃ. IↃC. XXXIX.

Gem.

Digitized by Google

Consultissimo Viro,

D. JOHANNI LEONARDO, BLASIO, Advocato

Cum regias Constitutiones, Commentariis recognita, P. REBUFFI, *ederet.*

POst benè BRONCHORSTI scriptos in honore trium-
Manibus & tanti fixa Trophæa Viri, (phos,
BLASIADEM magni tangit nunc cura *Rebuffi*:
Quem vult Regali in Syrmate Jura loqui.
Et toti, ad phaleras doctas, ostendere *muncto*
Quid valeat Latii cura laborque Fori.
Magne BLASI, in laudes Tibi non satis unicus orbis;
Sed potes in multo plurimus orbe loqui.
Ingenio calamoque tuo tot rebus agendis
Auspicio natus candidiore poli.
Macte Virûm! nescis humiles Qui serpere myrtos
Inter, honoratum fer super Astra Caput.
Ut Batavi spectent, atque his sublimior Atlas,
Huic tanto quantum debeat YA Viro.

Alcmariæ Nemis Julii.
cIↃ. IↃC. LXVI.

Ad

Illustrem Heroa,

D. ANTONIUM STUDLER, Equitem, Dominum in Bergen, Senatorem *Reip. Alcmarianæ, &c.*

QUid precer Heroum Soboli, nunc sole sereno;
Aut Tibi pro digno munere, *Jane*, feram?
Quando pii Vates quoque nunc, pro more vetusto,
Talibus officiis sæcula nostra beant.
Hoc, *Studlere*, precor: domus ut tua prospera semper
Et plus innumeris dotibus aucta fiet:
Ut seri in Batavos veniant sic inde Nepotes,

Qui

Qui possint, vivo Te, celebrare Deum.
Et Patriæ prodesse suæ, pro parte virili,
Ac tandem meriti scandere honoris ebur.
Virtutesque tuæ, Phœbeæ Lampadis instar,
In nostrâ emineant urbe, foroque diu.
Ut non *Ambitio* in vulgo dominetur, & ira,
Tempestas miseris quæ nocet usquè reis.
Nec sumat priscos innata *Superbia* fastus,
Fœdaque *Avaritiæ*, *Luxuriesque* nocens.
Adversum quæ monstra tuus nos servet Apollo,
Ægide non unâ qui benè cinctus erit.
His pariter votis votum Respublica jungit,
Inter quæ sacrum, faxaque mille sedet.
Infestis nobis, sine causa & jure, Britannis;
Undè gravis trepidos concutis aura lares.
Diîque Deæque omnes Batavo date tela Leoni,
His hostem ut telis opprimat ille suum.
Sepibus in nostris mala ne proserpat Erinnys,
Et ducat rimas publica cymba suas.
Fœdifragos, *Pater Omnipotens*, in retia ducas,
Et laqueis ipsi depereantque suis.
Sic felix nobis de cœlo alluxerit annus,
Delubrisque tuis victima multa cadet.

cIↃ. IↃc. LXV.

STRENA

Ad

Nobilissimum Virum,

D. THOMAM ab EGMONT à NYEN-BURCH,

&c. Alum. &c.

DUm Pudor & pietas, *Mœnias*, Nomina prisca
Virtutum Heu! nostrum deseruere Forum;
Tu solus stas mole tuâ, pro more Catonis:
Fallere Quem potuit Vis mala nulla Virum.
Outinam! multos Tales hæc viderit ætas,
Qui tua sic ferrent clara per acta pedem.

Sed nunc degenerant hac à Virtute Nepotes,
Inque dies cunctos vilior orbis abit.
Et pauci superant, quos Juppiter æquus amârit,
Ac dignos cœlo judicet Ille suo.
O *mores*, novus Arpinas, ô *Tempora*! jure
Dixerit ô vitæ ferrea sæcla meæ!
OMNIPOTENS! precor ex animo, Pius ardor Honesti
Ingenuo Batavos urat amore meos!
Et tandem à Vitiis abeat securior Orbis,
Alcmariæque Novus pulchrior ANNUS eat!
Tuque Viros inter, Titulis melioribus auctos,
Mecœnas, Pylii sæcula vive Senex!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVIII.

Nobilissimo Viro,

D. JOANNI à NYEN-BURCH,

Ad Præpp. Ordd. Gen. Deputato.

Cos. & Scholarchæ Alcm.

NYBURGI Batavos inter, Qui, Sideris instar
Illustri Proavûm Nobilitate nites,
Hæc precor ex animo Vates, per vota, Tonantem,
Ut Tibi ter felix proximus Annus eat!
Et commissa tuis pridem Respublica curis,
Sospite Te longùm, tollat in astra caput!
Inque Piis Rostris Pietas sua nomina servet,
Perpetuò ac vigeat nobile Pacis opus!
Nullaque Tisiphones veteris portenta resurgant,
Quæ Solymæ turbent Templa Laremque meæ.
Subsidant tristes hinc, inde, minantibus Astris,
In cœlis Hyades, Pleïadesque truces!
Musarumque Domus, Fatis concussa malignis,
Post Martis Furias, floreat aucta magis!
Et veteris Recti in terras descendas imago;
Simplicitasque suo stet bene fulta gradu!
Ne trepident iterum Unanimes in fœdera Gentes,
Et celerem arripiat Paxque Fidesque fugam!

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVIII.

Eam

Reverendo, Doctissimoque Viro,

D. PETRO REKKIO.

Eccl. Alcm. M. & Gymn. Curatori.

[Oc doleo Tecum, Vir Prudentissime, REKKI,
Quod tantum in terras sparserit Hydra mali,
ì tua non Pietas, non dogmata nostra mederi,
Nec potis Angelici est turba diserta Chori.
ià data porta, ruit scelerum vesana Cupido,
Et vetitum serpit corda per ima nefas.
nbitioque potens omni se miscuit Aulæ:
Unde probi Mores nunc abiêre diu.
rara in terris sit res & semine Phœnix,
Qui priscâ referat simplicitate Virum.
tinam! cum SOLE Novo, se hæc sistat Erinnys,
Et Veteris Recti tempora rursus agant!
Pudor & Pietas, Divini & norma Catonis,
Pro solito pulchrè pectora nostra regant!
time Amicorum, REKKI, contrarius ito
Nobiscum his Monstris, Tartareoque gregi.
c patere has Orco Furias Hydrasque renasci,
Unus Qui priscæ es Simplicitatis amans.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVIII.

Illustri Viro,

D. JACOBO van der MOERE,

Domino in Herencaspel.

N Tibi pro Strenæ quos mittit munere *Versus*
Filius, & numeris *Vota* revincta suis.
iæ ne despicias in primâ ætate juventæ,
Hoc tuus in NATUM suaserit ipsus amor.
s eadem cum Sole novo, Tibi, Magne Toparcha,
Munera, per *Versus*, officiosa damus.
petimus, per *Vota*, Deum, Tu, *Nobilis Heros*,
In Batavis teneas debita Sceptra manu.

Digitized by Google

Et, ſupra Vulgus, Fato qui Natus, in omni
Obtineas meritum poſteritate Decus.
Muſarumque novæ creſcant Te judice, Lauri,
Siſque meæ Alcmariæ Luxque jubarque novum.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVIII.

In Obitum

Conſultiſſimi, & Ampliſſimi Viri,

D. JOHANNIS GUALTHERI,

Viri Conſularis, Cognati.

GUaltheri triſtes obitus & Funera magna
Urbs meritò Friſiæ clara LEONE dolet.
Quæ ſibi Lethales inferri Numinis ictus
Hoc Tali, ſentit, depereunte Viro.
Quem dignata ſuis toties Aſtræa theatris,
Et juſſit ſacro CONSULIS ore loqui.
Præfulgens toti Populo, ceù Sidere pulchro,
Majeſtate ſuæ Palladis atque Togæ.
In Batavis etiam, trans ipſas Tethyos undas,
Nos Tanti afflixit mors inopina Viri.
Qui Patriæ caſus, & acerba pericla Potentum
Non habeo propriis inferiora malis.
Vivite, Præluſtres, FRISORUM in Gente, Nepotes,
Et Vos, Qui Muſis eſtis Aſyla meis.
Nec rurſum, cum Sole NOVO, NOVA Vulnera & ictus
Fatales Patriæ noſter Apollo ferat.
Vindictamque ſuam mox altera præparet Hydra,
Pejorem & CAROLO Se LUDOVICUS agat!

CIↃ. IↃC. LXVIII.

Digitized by Google

In

Triſtem Obitum

Ingenuæ Virtutis, Animique Generoſi

Adoleſcentis,

ALTHASARI COYMANS,

In

Gymnaſio Alcmariano

Diſcipuli Studioſiſſimi.

CONVICTORIS DILECTISSIMI.

cIↃ.IↃc. LXVIII. XXII. *Jan.*

Hic mihi COYMANNUM, primævo in flore Juventæ,
Delicias Phœbi, mors inopina rapit.
Hujus erant Mores, quales Saturnia quondam
Poſcebant Templis Aurea Sæcla ſuis.
Dignus, ut in Batavis, JUVENIS, maturior annis,
Vixiſſet Pylii Tempora longa ſenis.
ALTHASAROsque novos in Publica ſacra dediſſet,
Spemque ſuæ Patriæ, Nomina clara Domûs.
Qui ſic Siſyphio movit ſub Faſce lacertos,
Ut tulerit ſtudio noctem hyememque pari.
Nulli unquam cedens Oneri. Flagrantior ibat
Adverſum in montem, Caucaſeaſque nives.
Vos, quibus, ô SOCII, vegeto ſtant robore Vires
Vos, ô Vos tali diſcite more, Mori.
COYMANNUS Vos Morte ſuâ, Vos Voce, Fideque
Inſtruit, & vitæ prætulit Ipſe facem.
Et Cunctos monuit, Monita ut ſua ſancta ſequuti
Ingentem colerent pectore & ore DEUM.
Felix, ô nimiùm Felix! qui, Funere tali
COYMANNE, in Cœlis, corpore liber, ovat,
Et non ſe vitiis, ſcelerumque adjungit Erinni,
Quæ Mundi hic in ſe lubricus Orbis habet.

Digitized by Google

AD EUNDEM.

NOn tantum fessi, tardique senilibus annis,
Et vitæ saturi, quibus est sua frigida nervis
Segnities, tristi letho mittuntur ad Orcum;
Sed vegetæ vires animi, corpusque juventæ,
Et succi plenum, floscque ipse tenacior ævi
Arbitrio paret Mortis, Lachesique supremæ.
Hoc, *Coymanne*, doces vitæ melioris in ortu:
Qui Stygias poteras haud evitare Charybdes,
Et contra leges Parcarum insistere quicquam.
Nobis nuper eras fraterno more Sodalis
Dilectus, Conviva pius, Collega, Comesque;
At Te nunc magnæ Matris Vis major ad alta
Astra vocat, voluitque tuo nos ore carere,
Adspectuque sacro. Salve, salve, Inclyta proles,
Isacidûm, *Coymanne* chori! Cui pulchrior æther
Nunc, coram CHRISTO, complexum atque oscula jungit.
Nos tua non unquam monita, & divinitus acta
Alloquia, in terris, rapidis mandabimus Euris,
Sed, cum teste DEO, servabimus ossibus imis

Suffridus à Burmania. Neh. Fr.

Ad

Consultissimum Virum,

D. PETRUM SCHAGEN,

Urbi Alcmarianæ à Secretis, Sponsum,

Cum Eminentissimâ Virgine

MARIA BRUNING.

SIc tandem, Tibi, SCHAGENI, nunc Conjuge ducta
Artificis cernis facta stupenda Dei.
Naturæ & scrutatus opus, tacitosque recessus,
Hinc disces, quo sit Numine natus Homo.
Res miranda Tibi non tantum, SPONSE, Tuæque;
Terrigenûm est toti res memoranda choro:

Qui

Quâ placuit nos sorte Deo, Cœloque creari,
Atque hominum in majus crescere posse Genus.
Salvete, illustres animæ, par nobile Amantûm,
Qui Proavûm pulchrâ stirpe, domoque sati.
Hoc à Vate pio, sub sacra silentia noctis,
Cum primâ Thalami discite luce, precor.
Ut Vos unus amor, Vos unus junxerit ardor;
Ut Vos una Fides uniat, una Salus.
Sic nunc, quæ Vobis pariter miranda videntur,
Eventu fient non memoranda satis.
Atque hoc Auspicio, quæ nondum cernitis Ipsi,
Posteritas grates debeat usque sibi.

cIↃ. IↃc. LXVII.

Illustri Viro,

D. ANTONIO STUDLER,

Equiti, &c.

PIerides, Vobis nostri hæc debetur imago,
In vivis quarum pars Ego nuper eram.
Ingenio Vatum patet ingens area cœli,
In terris tantùm corporis umbra manet.
Exuvias istas, ceù raptam funere prædam,
Committo Auspiciis, *Magne Toparcha*, tuis.

cIↃ. IↃc. LXIII. *Kal. Jan.*

Clarissimo Viro,

D. CORNELIO SCHREVELIO,

Med. Doctori, &
Gymnasiarchæ Lugd. Batt.

SCHREVELI, tuus, ecce, Lares nunc intrat Apollo,
Inque domo sacris vult comes ire tuis.
Tu noli ingenuos à Limine pellere Vates,
Illos sed toto pectoris abde sinu.
NEUHUSII venit umbra tui; sine corpore, Imago.
Vultque tuum juxta pendulus esse latus.

Semper in hoc Phœbi vultu qui fixus oberrat,
Inque isto magni quid legit ore Viri,
SCHREVELI, Clario pateat tua janua Vati,
Atque illinc Musas, sit pudor, ire foras.

cIↃ. IↃc. LXIII.

Amplissimo Viro,

D. JOHANNI BOURICIO, JC.

Senatori Frisio.

PEnè nefas, cano capite, informique senectâ,
Jam circum Thalamos plectra movere, puto.
BOURICIUM tamen haud rigidum sic esse Catonem
Quis putet, ut Thalamis debita sacra neget?
Hæc ausim solo sub judice ludere Vates,
Ire & in alterius, non sine jure, Toros.

Amplissimo Viro,

D. H. de BLAU, JC.

Pensionario Leoverdiensi.

DA veniam, BLAVI, quod, sparsus tempora Canis,
Sic tamen Officium & munus Amantis agam.
Milities quondam fuit hæc mea. Plaudite Musæ.
Et sua nunc etiam non amet arma senex?

cIↃ. IↃc. LXIV.
X. Kal. Jull.

Amplissimo Viro,

D. JACOBO HOOCHLANT,

Consuli Alcmariano.

LUstra meæ vitæ Alcmariæ sunt quinque peracta,
Alteraque hæc facta est Patria penè mihi.
Quod de me tanti testantur jure labores,
Et plus quam centum Nomina clara Virûm.

Quo

Quos inter vixêre tuo de sanguine nati, (mus.
  Hoochlandi quondam Spesque decusque Do-
Nunc extrema vocant nostræ nos pensa Thaliæ,
  Carceribusque suis missus anhelat equus.
Da vitæ spatium, paucos da, Juppiter, annos,
  Ut Vates pulchro fine coronet opus.
Tuque meas solito affectu ut dignêre Camœnas,
  Hoc Te, quam mitto, muta tabella rogat.

cIↃ. IↃc. LXIV. *Idib. Jan.*

Amplissimo Doctissimoque Viro,

D. PETRO à VRYBURCH, JC.

Cum à moribundi Parentis sui ore
Novum Testamentum Græcum, in Folio,
Regiis Typis, mihi legaretur.

CErnis in extremis Pater ut confinibus ævi,
  Neuhusium puro corde & amore colat?
Qui, dum cum mortis vinclis luctatur & umbris,
  Immemor haud nostri sic tamen esse cupit.
Neuhusium, Dixit, plenâ Tu voce saluta,
  Qui, nosti, quanto junctus amore mihi,
Cum Superi vitam in terris tribuêre beatam
  Ducere, cum Phœbo, Pieridumque Choro.
Ille mei Vates stomachi, pia Numina faxint,
  Longiùs in terris ille superstes agat.
Nec tam crudeli, quo me videt esse peremptum
  Funere, sic simili funere raptus eat.
Ille meos casus vero de pectore flebit,
  Inque meos cineres veraque thura dabit.
Optime Natorum, in vivis, Charissime Petre,
  Jam moriens oculos quando Ego claudo meos;
Nec fas est tractam coelo producere vitam
  Amplius, Extremum est, quod quoque mando
    Tibi:
Neuhusium dona Divini hoc Codice Verbi,
  Uno quo constat Codice tota Salus.

Digitized by Google

Suprâ omnes Vatum tabulas Hic celsior exit,
Et nullum invenit cuî mea Musa parem.

cIↃ. IↃc. LXIV.

Amplissimo Viro,

D. JACOBO SCHAGEN, *Hoochlant,*

Consuli & Senatori Alcm.

Cum Clarissimi Viri,

D. JANI ERASMII, *Opera posthuma mitterem.*

SIc iterum exsurgit nobis à Manibus imis
Illustre ERASMI Nomen, honosque Viri.
Et vult Almeriæ quoque nunc prodesse juventæ,
Quando etiam mediis vox silet ista rogis.
Ut proprium hoc magnis Animis, post fata, Nepotes
Protegere, in serâ posteritate, suos.
Mecœnas, placeat Tibi nunc ERASMIUS, illo,
Quo quondam est habitus, more & amore Tibi.
NEUHUSIUMque tuum, magis isto nomine, faxis
Testibus & Musis, jure fideque colas.

Alcmariæ. cIↃ. IↃc. LXIII.
V. *Kal. Jan.*

Clarissimo Doctissimoque Viro,

D. SIMONI van VEEN, JC.

Prætori in Grootebroeck, Cognato.

ACcipe NEUHUSII vivos in imagine vultus,
Ac spolium nostri funeris illud habe.
Sic poterit tecum, mens quando in Pace quiescit,
Et silet os sacrum, corporis umbra loqui.
Parte aliquâ exiguâ Tu nos suspende: puellas
Inter Pieridas, Castalidumque choros.
Regius hîc Vatum locus est, famulisque Minervæ:
Nolo Ego quo vulgus, pensilis esse modo.

cIↃ. IↃc. LXIII.

RESPON-

Digitized by Google

RESPONSIO.

Accipio vestros, vivos in imagine vultus,
Et spolium clari Funeris illud amo.
Sic poterit mecum, mens quando in pace quievit,
Et silet os Vestrum, corporis umbra loqui.
Parte aliquâ exiguâ suspendam hæc æra: puellas
Inter Pieridas, Castalidumque choros.
Regius hîc vatum locus est, famulisque Minervæ:
Non Tu, quo vulgus, pensilis esto modo.

SIMON van VEEN.

Reverendo Doctissimoque Viro,

D. ARNOLDO BORNIO,

Eccl. Alcm. Ministro fidelissimo.

NEBhusium meritò carpis, Clarissime BORNI,
Quod nunquam à durâ Pallade liber agat.
Da veniam, *Vir Magne*, mihi. Sic noster Apollo
Imperat: Et Vatem haud una catena ligat.
Musarum Phœbique domus, magna Atria divûm,
Ipsâ Flaminiâ, sunt habitata Tibi.
Atria vix humilis quò nostra intrare Thalia,
Vim magni metuens Numinis, ausa fuit.
Muta tabella tamen, nullo suffusa pudore,
Illò, pro Domino, promovet usque gradum.
Inveni sic arte viam, certusque salutem:
Quâ fâxim, coram Te quoque semper agam.
Corporis umbra mei Tecum pro voce loquetur,
Et, quoties jubeas, annuet ista Tibi.

cIↃ. IↃc. LXVIII. *Idib. Jan.*

Digitized by Google

Amplissimo Viro,

D. ADRIANO SEEWENHUSENI,

Consuli Alcmariano.

ACcipe NEUHUSII primam sine labe senectam,
Et placeat Pallas Fascibus illa tuis.
Cujus amor multis retrò mihi cultus ab annis,
Et perspecta fides cum pietate fuit.
Zeuxidis ut placeat labor hic, mutæque labellæ,
Hoc, SEEWENHUSI, nostra Thalia rogat.

Anno CIↃ. IↃC. LXII. *Non. Julii.*

Reverendo Viro,

D. JOANNI KNYFFIO,

Ecclesiasta Alcmariano, &c.

CErnis in his tabulis, KNYFFI, quot thura quot annis,
Pro Te, proque tuâ vota salute feram.
Quot precibus causam Batavûm defendere coner,
Et magnum nobis demeruisse Deum?
Omnia quæ vovi, toties labentibus annis,
Hæc dare Knyffiadæ proximus annus amet.

Amplissimo Viro,

D. HENRICO DRUYFF, JC.

Supr. HOLL. ZEEL. Curiæ

SENATORI.

EN Tibi NEUHUSIUM, veteris monumenta Magistri,
Notum à tot Lustris nomen & ora Viri.
Qui petit in vivis hoc à Te, Magne SENATOR,
Ut possit Tecum, post sua fata, loqui.

Eh-

Digitized by Google

Si fas tantis accedere Vatibus Umbram,
Quos tenet in Rostris nobilis HAGA suis.

cIↃ. IↃC. LXIII. *Non. Aug.*

Consultissimo Viro,

CORNELIO SCHAGEN,

Pensionario Alcmariano.

IN Tibi NEUHUSIUM. Quantum mutatus ab illo,
Cum primùm Almeriæ tecta Laremque subit?
Jam nunc Cycnæis tecum est coma candida plumis,
Et, forsan, vitæ fila peracta suæ.
Æ tabulæ, hi vultus, exordia prima senectæ,
Oro, ne possint displicuisse Tibi.

cIↃ. IↃC. LXIII. *Kal. Julii.*

BREMA LIBERATA,

Ab

Obsidione Suecorum.

BRema potens, pollensque Opibus; *Brema* inclyta factis,
Quæ nulli cedis RELLIGIONE, FIDE,
Nunc ô, nunc offer Divina tomacula Templis.
Et, quæ pollicitae es, mascula Thura, DEO.
Vincula dempta tuis tandem Cervicibus. Et non
Amplius hæc circum Mœnia Miles agit.
Libera Regna tenes, Pacemque in sæcla tenebis,
Devinctus Tibi dum Fœdere CÆSAR erit.
Redde DEO grates, URBS INCLYTA. Reddita, *Brema*,
Est Tibi LIBERTAS Præsidio una DEI.

cIↃ. IↃC. LXVI.

Nobilissimo Viro,

D. JACOBO van der MOERE,

Toparchæ in Herencaspel.

PRO FRAGIS, nobis Cannensi ex clade relictis,
Dat *fragiles* Versus nostra Thalia Tibi:
Et munus, cui nulla subest *Fragrantia*, Vulgi
Judicio, & Vestrâ sic gravitate minus.
Allevat hoc, forsan, pretium *Fax utraque Amantum*,
Et par est grates reddere *Breda* Tibi.
Kal. Maji. cIↃ. IↃC. LXVII.

Consultissimo Viro,

D. NICOLAO SPLINTER, Advocato,

Nuper Convictori & Discipulo.

EN, tuus ut vivo, SPLINTERE, Magister in ære,
Invidiam contra, splendidus ora refert!
Et nunc, in Batavis, tantis se Heroibus addit:
Lumine quos Pallas respicit æqua suo.
Da veniam mutis tabulis. Nos cura Nepotum,
Et chari Vates Principibusque sumus.
cIↃ. IↃC. LXIII. *Idib. Sept.*

Consultissimo Viro,

D. JACOBO MYROPIO, Advocato,

Nuper Convictori, Cognato.

NOn sumus, ut quondam, facie vultuque sereno,
Purpura cum nostras tingeret ipsa genas.
Ille decor melior rugas nunc duxit aniles,
Flosque meæ vitæ, ceù levis aura, fugit.
Tu tamen haud spernas tardâ gravitate senectam,
Neve minus placeant tempora sparsa nive.

Assur-

Digitized by Google

A Hurgas canis istis, Veterisque Magistri
Dum tabulam spectas, Illius esto memor.

cIↃ. IↃC. LXV.

Doctissimo Viro,

D. JOANNI FOECKLERO,

Collegæ Correctori.

EN Tibi Cygnæas imitantia tempora plumas,
Et, fortasse, mei proxima signa rogi.
Quales exuvias, nos quando cessimus umbris,
Posteritas tecum grata memorque canet.
Da partem exiguam nobis in Apollinis æde,
Quâ lateat tantùm corporis umbra mei.

cIↃ. IↃC. LXIII.

Consultissimo Viro,

PETRO LOTIO, Advocato.

COrporis exuvias hîc tantùm cernere fas est,
Exuvias animi nostra THALIA dabit.
Sic Ego LOTIADÆ potero non corpore tantùm;
Ast animi inprimis parte placere mei.
Corpora debemus morti nos nostraque. Solùm
Ingenii pretium, post tua Fata, manet.

cIↃ. IↃC. LXV.

Amplissimo Viro,

D. GUALTHERO BRANT,

Amico Veteri.

HÎc oculos, hîc ora vides constantis Amici,
Qui Te, quique Tuos pectore totus amat.
Hoc uno nobis respondc in amoribus istis,
Ut nostri hæc placeat Corporis umbra Tibi.
Et, quando hos Lethi vis ultima fregerit artus,

Hæc

Hæc Tecum possit muta Tabella loqui.
Neuhusii quoties Tu Nomina legeris illic,
Et toties pro Te, sic puta, vota leges.
Kal. Martiis. CIↃ. IↃC. LXIV.

Epithaphium

Super inopinatâ morte, Doctissimi Juvenis

THEOTARDI HOBMA,

SS. LL. & Phil. Candidati,

Infeliciter aquis submersi.

IBat ad exequias Nassoï Principis HOBMA,
Nec satis exequias noverat Ipse suas.
Tempus erat Brumæ. pedibus talaria nectens,
Heu! miser in mediis corpora mergit aquis.
Quid Fati accusem leges? Fuit, Ordine fixo
Cœlituum, positus Terminus iste rogis.
Quem nulli fas est Vatum superare precando,
Cum semel à summâ ponitur ille manu.
Desiit esse meus, Qui primos inter amicos;
HOBMA, decus Juvenum, desiit esse meus.
CIↃ. IↃC. LXIV.
XXV. *Decembris.*

Doctissimo Viro,

D. JOANNI FOECLERO,

Collegæ Correctori.

HActenus in Batavis Soles, sine nube, serenos
Duximus, & voti summa peracta fuit.
Omnibus Oceani nobis famulantibus undis,
Unde ad nos dives copia fluxit opum.
Sed nunc, avertat flagrans quod Numinis ardor,
Sidera terrigenis nil nisi triste canunt.
Bellorum lituis hinc, inde strepentibus aures
Jam circum; pulsâ pace fideque foro.
Omnibus in nostrum populis jurantibus orbem;

Vix

Vix uno furias nunc cohibente suas.
cesset Vindicta DEI, HOEC LERE, precamur
Suppliciter magnum nocte dieque Deum.
i frænare potens iratas Tethyos undas,
Et solo nutu ponere bella Ducum.
o facili nobis, pronoque in verba precantum,
Omnia sic Fato prosperiore fluent.
rursum nobis, præsente hac nube remotâ,
Optati venient, candidulique dies.
os Vobis, Musasque precor, fortique Batavo,
Et meritò invidiam, dive Britanne, tibi.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXV.

Consultissimo Viro,

HENRICO NEUHUSIO,

Supr. Frif. Curiæ Advocato,

Pensionario Worcumensi, &c.

On sum, qualis eram, *Frater*, vernantibus annis,
Tunc mihi cum roseas pingeret aura genas.
nc sapimus patruos, & nil juvenile recordor.
mplius: Ingenio fitque ruina meo.
nc mores alios ætas addiscit & artes,
Nunc ignava mihi frigore torpet hyems.
nc Curæ subeunt animos, & ruga senilis
Dedecorat canis tempora fracta suis.
od de me loquitur facies vel muta tabellis,
Artificisque nihil peccet ut ipsa manus.
ctera sunt fati. Nam, quæ mihi vita peracta est,
Acta est virtutum non sine teste mihi.
curique sumus, quid portet Vespera sera.
Cum morimur, lætis altera vita redit.

CIↃ. IↃC. LXV. XXI. *Octob.*

Ad

Ad

Clarissimum & Doctissimum Virum,

D. PETRUM SCHACKIUM, *Cum, ab Ecclesiâ Alcmarianâ ad Illustrem Ecclesiam Amstelodamensem concederet.* CIↃ. IↃC. LXVII.

TAndem summa tenes, SCHAKI, fastigia rerum,
Atque Aquilæ in morem, sub pede cuncta vides.
PLUS ULTRA non ire datur. Stas vertice in ipso:
Unde, nisi à Terris, ipsa sub Astra via est.
Delicium Humani Generis Te jure *Batavus*
Nominat, & Suadæ donat honore suæ.
De Quo certârunt Proceres non Unius Urbis,
Et pretium voluit quisque parare sibi.
Definet in pugnas posthac tuus ire Batavus:
Invenit finem nunc ea pugna suum.
SCHACKIUS, in tutos portus, Latiumque receptus,
Hinc poterit vitâ liberiore frui.
Et non, more pilæ, Populis sic ludus haberi,
Perpetuò & curis se cruciare novis.
Vos SOLYMÆ turres, Tuque ingens Porta SIONIS,
AMSTELA, SCHAKIADÆ Limina pande tuo.
Ut, Quem non nostræ modicus capit ambitus Urbis,
Hunc capiat tantò major ut Orbis Honor.
Eloquioque suo, circum præcordia ludens,
Tot Populi afflictis mentibus addat Opem.

AD EUNDEM

Ultimum Vale.

INunc Amsteliasad ripas, Inclyte SCHACKI,
Et totum tecum fer sapientis onus.
Munera divinæ Suadæ, pretiumque potentis
Eloquii, & Magni Mystica Sacra Dei.
Fer quoque NEUHUSII tecum haud ignobilis Urbem,
Qui toties laudes prædicat ore tuas.
Et toties similis quem Sors & Sparta vocavit,

Deni-

Digitized by Google

Devinctumque sibi Musa nec una tenet.
Amstela Te, SCHACKI, Te *Leida* vocavit & *Haga*,
Dedita in Officium nomina tanta tuum.
Franica me Vatem voluit, claruſque *Sicamber*,
Et proprium optabat me *Leovarda* sibi.
Hoc uno tandem in diversum scindimur hamo,
Amstela quod Vitæ sit Tibi certa Quies.
At nos *Almeriæ* teneant quod mœnia clausos,
Atque hîc, Laus Superis! sit mihi certa quies.

Almeriæ cIↃ. IↃc. LXVII.
Idibus Junii.

Reverendo Viro,

D. JOHANNI KNYFFIO.

DUm salvus sospesque redis, Pater optime, KNYFFI,
Almeria in reditus gaudet amica tuos.
Et nostra inprimis solemni in Veste *Thaliæ*
Aonidumque Tibi dedita turba Chori.
Sospes ades, *Vir chare* mihi, regione Sicambrûm,
Et felix intra tecta Laremque tuum. (rum,
Nec facile hinc iterum, ad Lethum, luctuſque Tuo-
Abstrahat à nobis Te glacialis Hyems.
Neve oppleta piis lacrymis Eccleſia Chriſti
Conspectu careat, contuituque tuo.
Sed, nunc cum Phœbo nobis, mundoque renato,
Almeriæ in majus floreat aucta SION.
Pierideſque meæ, toties labentibus annis,
Pro Thalamis faciant annua sacra tuis.
Et nos in longùm læti vivamus uterque,
Multaque sint vobis prospera, multa mihi.
Donec ad extremum vitæ pervenimus ambo,
Et fas sit Patriæ ritè Deoque mori.

AD EUNDEM.

UT novus hîc Annus fausto Tibi sidere currat,
Et multis scateat, luxurietque bonis.
Hoc nunc NEUHUSIUS puro de corde precatur,

Qui

Digitized by Google

Qui Te; quique tuos religioſus amat.
Vive diu, Vir chare, Deo, Patriæque. Diuque
Almeriæ ſacrum ſic bene paſce Gregem.
Muſaque ſe veſtris facilem concredat in ulnis,
Quæ ſine te cupiat vix ſupereſſe ſibi.
Et plures redeant cœlo feliciter anni,
Qui ſecum portent gaudia mille Tibi.

cIↃ. IↃc. LXII. *Kal. Julii.*

Clariſſimo Viro,

D. PETRO LOTIO, JC.

Advocato Cur. Supr. HOLL.

In

Miſſionem THALIÆ:

MAgni magna Patris Soboles, Clariſſime LOTI,
In Batavis noſtri maxime Myſta Fori,
Poſt Themidos lites, & rauci jurgia Codri,
Diſpungat curas noſtra THALIA tuas.

In Miſſionem SUADÆ.

SIc loquitur mediis de Roſtris noſtra Juventus,
Et vult Principibus ſe ſociare Viris.
Tu, LOTI, lætis oculis dignare Quirites,
Et THEMIDI placeat SUADA tenella tuæ.

cIↃ. IↃc. LXV. *Kal. Apr.*

Suum

Strenæ

...o ADRIANO de BERGEN,

Ad

Heroa inclytum,

... ANTONIUM STUDLER, Equitem,

Senatorem Alcm.

...Hare *Pater*, dilecte mihi penetralibus imis,
Et *Mater*, ſacro ſanguine juncta mihi,
...x animo precor, ut Vobis ſit proximus Annus
Felix, & placido ſidere fauſtus eat.
...ullaque ſe noſtris Bellona immiſceat aulis,
Quæ modò non uno turbat ab axe Larem.
...mnia ſed lætis jungat Concordia vinclis,
Ut longum proprio luceat igne Focus.
...iderit hoc etiam Generoſus ad oſtia Rheni
Patruus, & Patriæ gaudeat Ille bono.
...t *Fratris* Fortuna eadem portetur ad aures,
Cui grata eſt mecum Belgica, crede, ſalus;
...uamvis à nobis variâ regione remotus,
Et, procul hinc, Druidum ſub Jove mactus agat.
...lme Deus, Pacem votis Te poſcimus omnes,
Otiaque in Batavis, Halcyonumque dies.
...oſtraque ſe tandem, ſpatiis propioribus, ultra
Oceanum & terras, Muſa ſub aſtra ferat.

Kal. Jan. 1665.

ALIUD.

CHare *Pater*, cum *Matre*, precor, cum *Fratre*, *Sorore*,
Cum *Genere*que tuo, proſpera multa Tibi.
Tamque diu vive in terris, cum *Matre*, *Sorore*,
Natis, *Fratre* tuo, ut fis ſatur Ipſe Tui.

AD EUNDEM.

UT nova hic lætis ineat Succeſſibus Annus,
Atque iiſdem Auſpiciis exeat iſte Tibi.

Id

Id mea, *Mecœnas*, sacro vovet ore Thalia,
Ingentemque rogat per pia vota Deum.
Et pridem vestro cecinit quod Carmen amori,
Hoc nunc in STRENAM mittere carmen amat.

CIↃ. IↃC. LXIII.

Amplissimo Viro,

D. JACOBO SCHAGEN, HOOCH-LANDI,

Consuli creato.

HOOCH-LANDI, Proceres inter, pars maxima nostros,
Gratulor Alcmariæ Sceptra, Decusque Tibi.
Ut possis longùm, vitâ currente, potentes
Juxta Collegas, nobile ferre jugum.
Et Patriæ prodesse tuæ, prodesse Minervæ,
NEUHUSIque pios protegere usque Lares.

Prid. Natal. Christi

CIↃ. IↃC. LXIII.

Clarissimo Doctissimoque Viro,

D. JANO FOECLERO,

Collegæ Con-Rectori,

SOl novus exoritur, rursum crescentibus Horis
Jamque suos Phœbus celsius urget equos.
Ut spes sit Musis, pulsâ caligine Brumæ,
Auroræ reduces clarius ire dies.
O utinam! cum Sole novo, nova gaudia Belgæ
Nata sibi fausto viderit esse Polo.
Ut tandem ponat strictos Mars impius enses,
Et Pax in terris exerat alma Caput.
Sic possent, victo si non ex Hoste trophæa,
Composito statui læta trophæa, Mari.
Quod mecum, *Foeclere* imis penetralibus optas,
Cui, scio, quàm tecum *Publica* chara *Salus*.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVII.

Rec-

Digitized by Google

Reverendo, Conſultiſſimo,

Clariſſimoque Viro,

JOANNI RECKIO,

Eccleſiæ Alcm. Paſt. vigilantiſſ.

Cum effigiem mitterem.

: benè NEUHUSIUM manibus dum ſculpit Apel-
les,
rtificis peccat nil, puto, docta manus.
nia ſic reddens ad vivum, ut vivere credas
irtutem in tabulis, ingeniumque Viri.
te, quid in muto damus inſpicienda metallo
orpora? & à vili hac vivere parte libet?
, Animus, melior, ſi æterno exſtaret in ære,
ſæc foret effigies Vatibus æqua magis.
laceat, meritò, plus hæc Tibi muta tabella,
n quâ *Mens* pateat nobilis ipſa Viri.

cIↃ. IↃC. LXVII.

Doctiſſimo Viro,

A N O F O E C K L E R O,

Collegæ.

T, *Foecklere*, novo vires cum ſidere ſumas,
Ingentem precor hoc pectore & ore Deum.
em penes eſt, Hominis lapſam reparare ſalutem,
Et dare de tenebris lumina clara ſuis.
Te ſolum, chariſſime, crede, Virorum,
ſitque hic in dubiis Anchora ſacra malis.
, ſpero, ſi vera fides corroboret ægrum,
Tempeſtas breviter deſinet illa mali.
rtem animum retine, mediis tranquillus in undis,
Propoſitique tenax maſcula corda gere.

cIↃ. IↃC. LXII.

AD

Digitized by Google

AD EUNDEM.

QUod, *Foechlere*, meis Musis, Laribusque precanti,
Illa tuis Musis, & precor, usque Lari.
Ut Batavo, & nobis sit felix proximus Annus,
Pieridumque ferat præmia digna labor.
Foechlerusque suæ *Foecheridos* erret in ulnis,
Cumque suâ Conjux Conjuge sospes agat.
Atque interveniant isti non ulla sereno
Nubila, nec quicquam triste queratur Amor.
Dispare qui Fato, quàm Vates, vivitis Ambo,
Nec tantis animum frangitis usque malis.
Purus amor, puri veniant ad basia fontes,
Et Thalamus istis non nisi mella fluant.
Sic vortat bene semper amor. Quodque unicuique optem,
Prospera sint Vestris gaudia mille Toris.

CIↃ. IↃC. LXIV.

AD EUNDEM.

TEmpora sic redeunt nobis solennia JANI,
Paulatim & vitæ terminus ipsus adest.
Nos tamen in longas spem vitæ ducimus horas,
Nec satis attenti ad subdola pensa sumus.
Nos toties, Collega, novas jam carpsimus uvas,
Jam bibimus toties ora Falerna novo.
Cuncta monent momenta Hominem, mortem esse propinquam,
Extremum & Fati pergere lege diem.
Unusquisque dies igitur, cum pondere justo,
Expendi debet, judicioque suo.
Christiadæ nunquam Stygis exhorrescimus undas,
Cum Morimur, Lucrum Mors habet ipsa suum.
Sed nos in Carnis cum simus carcere, amorem
Quis vitæ in terris ponere ritè queat?
Vivendi Spatium petimus, qui vivimus, omnes,
Et juvat in longum nos trahere usque moras.
Nec ratio hîc pugnat Divini Numinis ipsa,
Sit modò conformis si mea vita Deo.
Ergò omnes alacri studio Te, JANE, colamus,

Et faxis, felix proximus Annus eat.
Et se quisque probet tali in Statione paratum,
In quâ sub signis militet ipse Dei.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVIII.

AD JANUM.

Nvenies multos tam bruto pectore, Lucem
Qui nunquam cupiant, Jane, videre tuam.
Tempora sed malint tardè procedere, & Annos,
Orbe novo, cursus non reparare suos.
Vis Causam? tales culpæ mens conscia terret,
Anxietasque animi nocte dieque premit.
Tanquam perpetuus tortor, tanquam Ixion alter,
Impia qui surdo verbere corda ferit.

Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVII.

In Natalem XXXIV.

Reverendi, Clariss. Doctissimi Viri,

D. PETRI SCHACKII,

Eccl. Alcm. Past. celeberrimi.

Bis quarto Tauri sub sidere blandula Mater
Schackiadæ, in cunis, ubera plena dedit.
Hunc Stulinga diem numeret meliore lapillo,
Et meritò primas collocet inter opes.
Et, cum Vate pio, toties exclamet ad Astra:
O utinam! redeat sæpius iste dies.
Quo liceat nobis lætos diffundere vultus,
Et Magnum, in cœlis, concelebrare Deum.

VIII. *Aprilis.*
CIↃ. IↃC. LXVII.

Digitized by Google

Reverende, Doctissimoque Viro,

D. GEORGIO van den HEUWEL Ecclesiastæ,

Cum Alcmariæ concionaretur ex Ps. 99. v. 5.

SIc mea Divinis strinxisti pectora verbis,
Ut vix sim vitæ, juris & ipse mei.
Et dubitem, num sit melius mox ire sub astra,
Quàm mundi his tenebris, carceribusque premi.
O utinam! liceat Rostris Te cernere in illis
Sæpius, & tantos aure probare sonos.
Ipse *Cherubinos* inter, *Seraphinaque Sacra*
Sic fierem sacri pars Ego magna Chori.
Clare Virûm! in laudes propera sicire Tonantis,
Eloquioque tuo concelebrare DEUM.

cIↃ. IↃC. LXVII. XVII. Jun.

STRENA

Ad

Clarissimum Virum,

D. REINERUM NEUHUSIUM.

MOs vetus est JANI dare Munera sacra Calendis,
Annus ut Auspicio prosperiore fluat.
Ergò ne veterem tollant oblivia morem,
NEUHUSI, *in strenam Carmina pauca damus.*
Sit Tibi, qui nunc est animus, Vir Magne, perennis,
Cæteraque haud meritis inferiora tuis.
Et Schola Te longùm Docto Rectore fruatur,
Donec Nestoreos vixeris usque dies.
Vive diu, Vir Clare, tuis dignissime factis,
Et Batavis pulchram, quod facis, affer opem.
Hoc tuus ex animo Musas Burmannia testor,
Quæ poterunt sine Te non superesse diu.

Suffridus à Burmania
Nobilis Frisius.

cIↃ. IↃC. LXVIII. *Kal. Jan.*

Digitized by Google

In Obitum

Ingenui & ingenioſi Adoleſcentis,

ETRI HULSHOUT;

Cos. Mag. Fil.

Ic meus ad manes, Cineresque *Hulshontius* ivit,
Vix vitæ impleret cum duo Luſtra ſuæ.
10 puero, charoque mihi nunc pignore, nemo
Aoniam pubem pulchrior inter erat.
genio exſuperans animum, curaſque viriles,
Et ſapiens annos dotibus ante ſuos.
)n facile è noſtris, *Hulshonti*, exire medullis
Illa tibi laudum debita fama poteſt.
jus apud memorem Veſtigia ſera Magiſtrum,
Spiritus hos artus dum reget, uſque manent.
ſæpè in votis mihi ſit, Te poſſe renaſci,
Aut tibi ſint multi ſedulitate pares.
s, Juvenes, quorum *puer* hic convictibus uſus,
Farrepio memores illius eſte rogi.
non in longum vitæ differte pudorem,
Cum nulli in terris ſit ſua vita diu.
ix! qui terras ultra, notaſque Cupreſſos,
Nomen ab æternâ poſteritate tulit
ude tuo *Nato*, PATER, & gratâre ſalutem:
Cui nunc à pueris incipit ipſa *Salus*.

cIↃ. IↃC. LX.

Digitized by Google

In mortem

Chariſſimæ filiolæ

SARÆ NEUHUSI, Defunctæ

Alcmariæ cIↃ. IↃC. LXI. v. Novemb.
Annorum XII.

Graſſantibus per Univerſam Bataviam Febribus infeſtiſſimis.

Sic etiam ALMERIÆ *mediis in luctibus angeꝛ*
FILIA *nunc luctus, & me minus eſſe diſertum*
Eſſe volet, fato alterius. Sua pallida pandens
Ora manuſque mihi, tremuliſque amplexibus ulnas,
Hæc in verba potens rigidam vix ſolvere linguam:
CHARE PATER, qui corde meo mihi charior ipſo,
Et mundi ſupra quidvis dilectior, oro,
Hoc unum, Chare, oro, PATER, per viſcera, perque
Illud, quod tibi dulce meum; per jura, fidemque
Divinæ Genetricis; & omnia ſacra, medullas
Perque meas, ut non aliorum in funere ſemper,
Communeſque rogos tibi ſit facundia tanta;
Sint lacrymæ, planctuſque foris. De Vulnere noſtro
Nunc agitur, proprioſque citat Mors improba Manes.
Quando, chara tuo lateri, *Pater Optime*, chara
Eripior nunc *Nata* tibi. Nec jam amplius hiſce
Hiſce oculis coram ſiceat ſervare Parentem.
Nec blandas tetigiſſe genas. Lux ultima venit,
Quâ fractos artus, & membra exhauſta dolore
Deſeruit color, & corpus, ſine viribus ullis,
Egelidus, torpor, friguſque immane coërcet.
Extremùm, *Pater alme*, Vale. Tua FILIA, nata
Sic tua jam cœlos adeo. Et ſuper ardua mundi
Nunc poſita, & Terras, &, quæ terreſtria, cuncta
Deſpiciens, pedibus nubes & ſidera calco.
Miſte ſupervacuum peregrinis addere honorem
Jam toties, araſque novas de marmore Vates
Erigere: antè pio decoràris Carmine Buſta

FILIÆ

ILIOLÆ, SARÆque tuæ nomenque decusque
ereat æternis, cinerum custodibus, urnis.
Salve, SARA, *poli mediâ nunc parte recepta,*
manis erepta malis! Dignissima salve
ta mihi, quondam! qua nunc in flore juventæ
stincta: Antè tuos turpis corruperit annos
probitas, animumque bonum vis fregerit æui
terior. Tantò & major, Cœlestibus acta
spiciis, Hominum tot rides frivola tecum,
nunc Elysiis felix in vallibus erras:
nibus absterssis lacrymis, omnique dolore
bera, per sacros orbes, tutosque viarum
fractus, latis spatiis succede Olympi.

In Mortem

ILIOLÆ, GEERTRUDÆ NEUHUSI,

Mensium VII.

Defunctæ Alcmariæ cIↃ. IↃC. LXVI.
XVIII. Sept. ad

Matrem mœstissimam,

DRIANAM KNYFFIAM.

Uid fles *Filiolam* teneram Tibi, *Mater*, ademptam,
Et lacrymis violas nocte dieque torum?
scula Tu nimis es, quàm nunc, ut pectore fracto,
iliolæ doleas parva sepulchra tuæ.
prudens nimis es, quàm Te rationis egentem,
atorum opponas legibus, atque DEO.
ne animos, ADRIANA, novos. Et *Mascula* porrò,
t *prudens* mediis semper inesto malis.
ipsisti cœlo civem, dignissima Mater,
t pro parte tenes sic quoque tecta poli.
a tunc periit, quando vis dira Britanni
minet exitiis, & jugulo ipsa tuo.
liceat verè gratâri mortis honorem
lis, quibus ad cœlum janua recta patet.
te tuos oculos, forsan, *Geertrudula* dextram

Digitized by Google

Hostilem poterat, per fera bella, pati.
Quæ nunc, in gremium CHRISTI, secura, recepta,
Bellorum nusquam tela minasque timet.
Nobis in mediis Fatorum errantibus undis,
Inter tot lituos, Albionumque dolos,
Sume animos, *& Chara Uxor*. Spe vivimus Ambo,
Et cum vere novo spargite semen humo.
Nondum effœtus ager. Pluviâ rigat arva colonus,
Officiumque facit Fœmina Virque suum.

AD

Doctissimum & Præstantissimum Virum-Juvenem,

D. JOHANNEM BRANT,

ALCMARIANUM,

CUM

In Illustri Acad. Lugd. Batav. Juris Utriusque
DOCTOR *salutaretur.*

NOndum inter Martis Furias, Spes desiit omnis
PIERIDUM; aut Nostras Sidus fatale Camœnas
Respicit. In mediis flammis, rerumque tumultu
Tollit MUSA caput. Tantoque augustius urit
ALMERIÆ ingenuos Juvenes pius ardor HONESTI.
Exemplo quod ritè probat, sub Judice Docto,
BRANTIUS. A nostrâ pridem Qui PALLADE sacros
Hauserat igniculos. PATRIÆ servatus in usum,
Et Magni tot Vota PATRIS. Decus usque suorum
Et Columen. Salve, Juvenum pulcherrime! rarum
Sedulitate tua Lumen Qui & Lampada præfers
Magnanimis sacræ THEMIDOS Cultoribus Aulæ.
Cujus ab ingenio, Felix, hoc tempore, messis!
Ingens Præsidium sperabit causa Clientum,
Et penè exhaustum nunc fido ATLANTE Tribunal
Invidet has LAUROS meritò Tibi segnior ætas.
Et quorum erubuit non hos perferre labores
Mens humilis. Macte Ingenio, Doctissime BRANTI!

Mac-

Digitized by Google

te TOGA! Auſpiciis qui nunc Illuſtrior exis
opulum, ac toto Virtutum vertice ſupra es;
ſque Decuſque Tuis! Quem, cum ſacer ordo SE-
NATUS,
Batavûm PROCERES Turbæ inſeruêre Quiritum,
cipiet reducem VICTRIX ALCMARIA Civem.

cIↃ. IↃc. LXVIII.

GRATULATIO NUPTIALIS,

AD

Ampliſſimum & Conſultiſſimum Virum,

JACOBUM à CORENN,

ALCMARIANUM,

Illuſtris Territorii Neobargiani

PRÆTOREM.

&

Generoſiſſimam ac Eminentiſſimam

VIRGINEM

IACHTHILDAM van THYEN.

Eërat *Almeriæ* Tibi Sponſa, Uxorque, CORENNI?
Noſtrateſque Tibi non placuêre Deæ?
c ſatis in Cenſu, nec par fuit ulla ſupellex,
Ut reſponderet Cenſibus æqua tuis?
inibus Unus eras Meritis acceptus Avorum,
Et pulchrâ ingenii nobilitate tui.
emplum veteris Recti, caſtique Pudoris:
Ut vix hîc votis ulla negaſſet opem. (tum!
l non hîc MACHTHILDIS erat, Spes tanta Nepo-
Quam Tibi nunc *Sociam* deſtinat ipſe Deus.
IGA tuos habuit, benè quod lætêris, Amores,
CORENNI. Eſt *Hagis* Anchora Jacta Tibi.
lachthildis Tibi ſola fuit ducenda Marita;
Machthilda in Thalamos ſola reperta tuos.
: dubita. Auſpiciis Superûm *Connubia* conſtant,
Nec quicquam hîc, cæco Numine, caſus agit.

Machthildis Tibi Sponsa datur, Cœlestibus Astris,
Quæ tibi monstrarunt, nocte silente, viam.
Machthildis Generosa tuo servata Cubili,
Ut Curas Animi leniat Una tui.
Machthildis formosa, tuis amplexibus una
Debita, divino nubit amore tibi.
Et frustra fuit in laqueos hîc ducere Prædam;
Nulla fuit laqueis obvia Præda tuis.
Almerias dabitur Musis hæc sola Voluptas,
Machthilda ut Tecum, *Sponse*, remigret Hagis.
Et nos hîc faciat mirari ingentia Dona,
De Cœlo impertit quæ tibi Dona *Deus*.

MDC. LXVIII.

LAURETALIA

In Nuptias

Reverendi & Doctissimi Viri,

D. LAURENTII CNOLLII, V.D.M.

Sponsi,

&

Ornatissimæ Præstantissimæque Virginis,

FEMELLÆ LYDIÆ,

Sponsæ,

Celebratæ in Groesbroeck, CIↃ. IↃC. LXVIII. *Kal. Jul.*

VIx Pacis cecinêre tubæ, Mavorsque catenas
Senserat, & Templis otia, JANE, tuis:
Exosus Belli, en! Furias, aciesque Britannûm,
In Venerem prudens CNOLLIUS arma parat.
Et LAURUS mediis ponit Convallibus Idæ,
LYDIA quas possit carpere pulchra manu.
Quæ bello & lituis longè certamina præstant,
Atque ipsi haud poterunt displicuisse DEO.
Qui contracta suâ sanxit Connubia dextrâ,
Terrigenasque jubet fœdera inire Tori.

Atque

Atque aliam ex aliâ generando crescere Prolem,
Humanumque novâ surgere stirpe Genus.
LYDIA, ne trepides igitur, cum CNOLLIUS in Te,
Ille comes lateri, masculus ire paret.
Ne trepides, præsto sunt LAURENTALIA Vobis,
Et PAX ipsa suas suscitat igne Faces.
Aurea nunc verè redierunt Sæcula Belgis,
Et sponte ad Thalamos Ver geniale vocat.
Nunc crescent LAURI, nunc formosissimus annus,
LYDIA nunc melius concipere ipsa potest.
CNOLLIADÆ Fabiique novi ut nascantur in hortis,
Pythagorasque suas ipse ministret opes.
LYDIA, quid cessas? sunt LAURENTALIA Vobis,
LAURUS & ipsa domi, LAURUS & ipsa foris.
Sanguineus Scythicum Mavors procul ibit in orbem,
Et hosthac BATAVOS libera regna manent.
LYDIA, ne cesses Cypriasardescere in iras,
Et pugnâ hac tali lædere sæpe Virum.
Sic fiet, sacras circum GENS LYDIA mensas
Hoc felix Thalami ritè coronet Opus.

Nobilissimo Viro,

D. JACOBO van der MOERE,

Toparchæ in Berencaspel.

SIc tuus Ascanius, Thyrso correptus Honesti,
Offert primitias ad tua sacra suas.
Testari ut possit primævo in flore juventæ,
Ætas quos fructus serior inde dabit.
Tu cape, *Mecænas*, felicis semina venæ,
Atque tuos plausus plausibus adde meis.

Non. Febr. 1668.

Ad

Reverendum, Clariss. & Doctiss. Virum,

D. JOANNEM RECCIUM, Ecclesiasten & Scholarcham Alcm.

Cum, post gravem morbum, sapientissimâ Ecclesiâ, pristinæ Valetudini esset restitutus.

PEnè tuas, nuper, RECCI, ploravimus umbras,
Et tristi, heu! nobis Funere raptus eras.
Cum, propior Fatis, vicinâ in morte jaceres,
Ultimus & vitæ visus adesse dies.
Restituit tandem Te nobis justior Æther,
Fatalisque Tibi nec fuit iste dies.
Vivis, Iò, Vivis, RECCI! Convallibus Orci,
Et mediâ nobis de Styge Victor ades.
Fortior in vires hinc & felicior ibis,
Servatus toties Cœlipotentis ope.
Agnoscens in Te magni Genitoris amorem,
Qui Te nunc Nobis reddidit, atque Tuis.
Nos meritas sacris Lauros appendimus Aris,
Et tanti immemores nolumus esse Boni.

Io. Dc. LXVIII. XXIII. Jun.

Ad

Doctissimum & Præstantissimum Virum,

D. JACOBUM GEUSIUM, Doct. Med. & SS. Minist. Cand.

Clarissimi Viri,

D. FRANCISCI ARCÆI, Librum de curandis Vulneribus,

Et Chirurgicis observationibus editurum.

ARcæi à tenebris arcet dum GEUSIUS artes,
Rem dignam Ingenio, atque Hercule digna facit.
Non uno in Circo quærens & Pulvere famam,
Altiùs ingreditur clara per ora Virûm.

Vulnera

Vulnera mox sanans *Animæ*, mox *Corporis* ægri:
Hinc referens *Hominem*; plenius inde *Deum*.
Hoc est Ingenio, factisque extendere famam,
Et nunquam in serâ posteritate Mori.
Macte animo, Geusi! Geminâ tua nomina in Arte
Præpetibus pennis tolle sub Astra poli.

CIↃ. IↃC. LXVIII. *Kal. Julii.*

Ad

Doctissimum & Præstantissimum Virum-Juvenem,

D. ADRIANUM BAART, Alcmarianum,

Cum in Inclytâ Acad. Batavâ

J.U.D. salutaretur.

SIc iterum in Campum meus exspatiatur Apollo,
Et vult *Alcmaria* clarior esse THEMIS.
Qui, Batavos inter, non inferiora sequuti,
Nomina tot Musis conspicienda damus.
Ut nunquam pulchri desit custodia Recti,
Nec se destitui jure queratur Honor.
Illustrem Phœbo Themidique hîc BAARTIUS addit
Materiem, & sacro in pectore Victor ovat.
Exemploque docet, vigilata quid Otia possint,
Et multum studiis addita multa dies.
In melius posthac, Batavi, confidite Rostris.
Pulchrior, en! Vobis Pallas ad ista venit.
Non his, ut pridem, Exuviis, & Gorgone sævâ,
Tartareæ eructans Flumina plena necis.
Sed, Ramum in Dextris portans Felicis OLIVÆ,
Majestate potens Numinis atque Togæ.
BAARTIUS hæc primus nobis dat Signa Triumphi,
Post clausum JANI Limen, & arma Ducum.
Plaudite, Pierides! Gladios mutamus aratris,
Proque truci Galeâ PILEA miles amat.

CIↃ. IↃC. LXVIII. XIII. *Julii.*

Digitized by Google

Ad Clarissimum Virum,

D. REINERUM NEUHUSIUM, JC.

Rectorem suum.

RUrsus optatum, Auspitio secundo,
Attigimus vernum, volitante metam,
Et novus celso radius resulget
Phœbus Olympo.
Nos Tibi primas, Venerande Rector,
Ponimus fructus avidi Laborum,
Et nova Musis, Laribusque Vates
Fausta precamur.
Sint Dies Anno redeunte festi;
Et procul Votis mala Sæva nostris
Absit; æternoque tuam TALLIAM
Fama superfles!
Tolle præclarum caput inter Astra,
Nestoris longam superans senectam.
Et Teri pulchram Sociam ADRIAMAM,
Numina servent!

MATTHIAS ROTTERDAM.
Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVI.
1. *Class. Aud.*

AD EUNDEM.

CLare Vir, ingenuâ formans Qui Pallade pectus,
Plurimaque & Batavûm das monumenta Scholæ,
Hoc, cum Sole Novo, Jani sub fasces precamur,
Ut Tibi contingat prospera vitæ dies.
Et prodesse queas, Tibi quæ commissa, Juventæ,
Et regere Auspiciis sacrum Helicona tuis.
Sic poterit totum Tibi se debere Batavus,
Et meritis nomen tollere ad astra tuum.
Magne Deus, tantos Soles dic ire serenos,
Præsentemque diem Cynthia sæpe ferat!

FERDINANDUS à CRULIS.
Kal. Jan. CIↃ. IↃC. LXVIII.
1. *Classis Auditor.*

Digitized by Google

In

Faces Nuptiales,

à

Clarissimo Doctissimoque Viro,

D. REINERO NEUHUSIO, JC.

Illustris Gymn. Alcm. Rectore, Ecclesiaque ibidem Seniore, atque Ornatissima Lectissimaque Virgine,

ADRIANA KNYFFIA,

Sponsis, feliciter Alcmariæ inisse, die XII. *Apr.* 1665.

HENDECASYLLABI.

PRomisi (insiciæ quid ibo) versu
Tuas dicere nuptias: Sed, eheu!
Me Cygni Veneris remissiori
Ad declivia non ferunt volatu.
Quæ per Phocidos arva destinatam
Monstrant purpuream viam columbæ.
Tamen cum Venus alma mollicellos
Et versus amet illa blandicellos,
Queis non est reperire blandiores,
Aut ad Cypridis orsa lectiores,
Tuis consecro nuptiis Phaleuces,
Et Sanco & Veneri sacros Phaleucas.
Rector, Sponse, Poëta, Tu boni, Tu
Æqui consule, dum nec expolitos
Arcti pollicis ungue lavigatos
Phaleucos Tibi mitto, qui nec unguex
Demorsos sapiunt, nec eruditum
Antiquæ genium ferunt Camœnæ.
NEUHUSI, Batava jubar Minervæ,
Phœbi præsidium, medulla Suadæ,
Stator Pallados, utriusque Juris

Digitized by Google

Doctor, noster amor, decusque nostrum,
Qui Musas colis omnibus Dearum
Modis omnibus elegantiores,
Immo quidquid & elegantiorum
Elegantius elegantiarum est,
Quàm rectè facis, ô Amice, tandem!
Dum captum prius egeris dolorem
(Quem parit tibi funerata Conjux:)
Et caves viduas jacere noctes,
Et joco vacuos habere soles,
Dum jungis tibi floridam puellam,
Formâ scitulâ & integrâ ADRIANAM,
Cui est gratia luculenta forma,
Cui stat dos animique corporisque,
Cui frons marmore purius renidet,
Cui fulgent gemina faces, Ocelli
Tali compositi decore, ut hos Tu
Posses indigetare nec protervos,
Nec posses etiam minus severos.
Et Tu KNYFFIA, *Virgo, Nympha, Sponsa,*
Paternæ Pietatis æstimatrix,
Maternæ Probitatis æmulatrix,
Multum edocta domesticos ad usus,
Quam Tu Numinis experire Vires!
Quàm felix Veneris subis Catervam!
Quàm das augurium ipsa nunc, bonisque
Musis jugiter occupabis annos!
Dum Cypris Tibi contulit Maritum,
Et de tot Tibi segregavit Illum,
Et de tot Tibi copulavit Illum
Virum multiscium, Virum serenum,
Quem totum facis æstuare flammis,
Quem totum deamare destinatam
Exemplis facis omnibus Maritam,
Quem vis indolis armat invidendæ,
Mortalesque supra, supraque Cœlos
Olim Quem vehet insolente nisu.
O sancti redivivi amoris ignes!
Quis Vos uritis intus, & intus uri

Quis

Quæis vobis volupe eſt, & uſtulari
Vitæ continuos avetis annos:
Sed, quid pluribus immorer Poëtis?
Vos intrate novos Torireceſſus,
In queis alter & alteri placetis.
Tu Juno domiduca, Tu jugalis
Et Regina triformis, alma Conjux,
Verticordaque Tu Venus præito,
Ut præs inclyta procreationis.
Proles Uranie, ſaluber Hymen,
Qui Viro dare Virginem, Virumque
Laboras dare Virgini, jugalem,
Cinge tempora ſutili coronâ
Suaveolentis amaraci, manuque
Latenum cape flammeum; ſiniſtrâ
Tadam concute pineam, Veniquè
Et Tu muſtea turba maſculorum
Innupti Juvenes, novis maritis
Præducite Faces (notate) quinque,
Nec major numerus, minorve quinto
Tam felix habet omen in maritis.
Sed quid pluribus immoramur uſque?
Quod facti reliquum eſt, amice Sponſe,
Hoc de nocte tuum eſt. Tibi virago
Viro ducta domum eſt. Faces ſub oſtro
Eſt incidere nunc tuum novatas.
Noctem, Sponſe, voca, diemque fugâ,
Nuces ſparge Marite. Da virile,
NEUHUSI, indicium. Heſperus reſplendet,
Atque Oëtam Tibi deſerit jocoſum.
Tu, REINERE, Virum Vir uſque præſta
Ramum carpe latente ſed ſpelunca.
Fac diſcingere virginale vinclum.
Nec Te, qui cupidâ, Marite, latos
Captas aure ſonos, timeſcat illa.
At ſi Pancratiaſta vis haberi,
Decretoria ad arma proſilito.
Aſt amica Venus, potenſque Juno,
Quæ mox oſtia claudit, & puellas

Im-

Digitized by Google

Immistas pueris procul relegat,
Vellant auriculam, jubentque mensis
Exspectare novem, novamque certè
Spondent materiam meo phaleuco.
Sed ni destituet favoris aura,
Non certè stipulâ frigimnienti
Hiscam molliculos domi phaleucos;
At vadam altiùs, & potentiores
Inflabo litnos, ut eniteſcat
Cœlo Conjugium favente Veſtrum,
Atque utrinque Deo jubente Cœptum.

Tuorum amantissimus & affectus in
Musas æstimator.
J. L. BLASIUS JC.

Ad

Clarissimum Virum,

D. J. L. BLASIUM,

Poëtam & Advocatum.

Cum de novis Nuptiis mihi gratulatus fuisset.

clɔ. Iɔc. LXV.

QUàm bene, quod Vatem Vates impellis ad arma,
Inque pios Thalamos ritè ſequare comes.
Qui, niſi *Blaſiada* vivacibus ignibus uſtus,
Arſiſſem Cyprio, forſan, ab igne minus.
Quo Duce nunc auſim ſublimior ire per altum,
Et bis tentato credere vela mari.
Non ipſas metuens Scyllas, cæcaſque Charybdes,
Quas illud, dubiis fluctibus, æquor habet.
Pergimus Auſpiciis Vatum Generoſa Batavûm
Nomina, & in partes ipſa ADRIANA venit.
Tu porrò noſtris, BLASI ô Doctiſſime, ſacris
Adde Deos teſtes, Pieridaſque tuas.

AD

AD LECTOREM.

PAlladias artes, propriaque in sede Minervam,
Sit pudor, ô Lector, quærere velle foris.
Alcmaria has artes pleno tibi flumine promit,
Cernis ubi natam de Jove ritè Deam.
Inclyta Nobilium domus est ALCMARIA. Soli
Cui Natura nequit fingere, credo, parem.
Ipsaque de Latio quò Suada invitat alumnos,
Et Superûm est, Musis condere tecta, labor.
Quò tot Virtutes seriem coïre sub unam,
Ordine quot numerat Curia clara Viros.
Ac placidis Legum vinclis ubi septa juventus
Jam facile assuevit dogmata nostra pati.
Credite Posteritas, usquam si pulchrior Ida est,
Alcmaria est verè vallibus Ida suis.

cIↃ. IↃC. LIX. *Non. Jan.*

Præstantissimo Juvenum,

Et

Discipulorum quondam primo,

D. THEOTARDO HOBMA, Frisio,

Ad Carmen missum de

Laude Poëtices.

DUm canis hîc sacros, Divûm commercia, Vates,
Non propriàs laudes negligis, *Hobma*, tuas.
Quasque mihi tribuis Lauros, has ipse Poëta
Attribuis Lauros, cum ratione, Tibi.
Inferior nullo, cudis qui nobile Carmen;
Victurus Genio sæcula multa suo.
Sed, vereor, duret ne hæc vena in sæcula multa,
Excedas juvenis cum satis ipse senes.

Nam

Nam rarò ætatis maturæ præmia cepit,
Cujus prætexta, & prima juventa fapit.

cIↃ. IↃC. LXIV.

Anno ſequenti obiit, glacie ſubmerſus. Vide paullò ante Carmen in obitum.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. CORNELIO BOSCH, Eccl. Alcm. Paſt.

Vigilantiſſimo, cum Ipſi offerrem

SUADAM ALCMARIANAM.

HÆc eſt Almeriæ, quam cernis, Suada Minervæ,
Sic ſolet in Roſtris noſtra Juventa loqui.
Dicendi formas priſcorum imitata Quiritum,
Et quondam Latium quos dedit ore ſonos.
Tu Boschi facunde, rudes haud ſpreveris annos:
Barbaries nobis ſic quoque prima fuit.
Illa ſeges tandem Vires à tempore ſumet,
Et, nunc qui tener eſt ſurculus, arbor erit.

In miſſionem THALIÆ.

HÆc mea, ſi fas eſt ſic dicere, pulchra THALIA eſt;
Et verè Ingenii Filia prima mei:
A teneris facta eſt quæ nunc maturior annis,
Et tandem Ipſius munia Matris agit.
In partus toties utero fœcunda novatos,
Nomina vix capiens, progeniemque ſuam.
Si grave non fuerit, Boschi, dignarier illam
Amplexu, atque intra limen habere tuum.
Rem facies Phœbo dignam, gratumque Parenti
Officium, & ſtudiis non aliena tuis.

AD

Digitized by Google

AD EUNDEM.

Cum offerrem Effigiem meam.

SCulptori placuit vivos in imagine vultus,
Et partem noſtri reddere in ære ſuo.
Non has ambitio nugas mihi dictat inanes.
Conſuetudo Togæ ſic jubet, atque fori.
Ut, quorum ingenii ſpectant monumenta nepotes,
Horum etiam mereat corporis umbra locum.
Tu, BOSCHI Venerande, meos cum cernis ocellos,
Hos Tibi tunc oculos dic placuiſſe diu.

clɔ. Iɔc. LXVIII.

Ad

Reverendum & Clariſſimum Virum,

D. ANDRÆAM POSTHUMIUM, Eccl. Alcm. *Paſt. Digniſſimum. Cum Ipſi offerrem* THALIAM meam.

ACcipe, POSTHUMI, noſtram, Generoſe, THALIAM;
Et placeat Muſis hæc quoque Muſa tuis.
Quæ tali auſpicio patulas itura ſub auras,
Hinc etiam doctis plus placitura Viris.
Accipe Pieridum numeros, precor, aure benignâ,
Atque aliquid nobis Vatis ineſſe puta.
Lucem aliunde petit. Propriis non auſa lacertis
Credere ſe dubiis noſtra Thalia notis.
Nembuſius, qua parte poteſt, tuus eſſe laborat,
Teque optat totum demeruiſſe ſibi.
Ob tacitos, quos, credo, dedit natura receſſus,
Et fatale animi, neſcio, quale decus.
Namque eſt ingenuis animis hæc inſita Virtus,
Ut ſimilis ſimilem quærat & inde ſibi.

AD EUNDEM.

AUrea ſint Batavis ut ſæcula, Pace ſub altâ,
Oras, *Poſthumi*, nocte dieque Deum.
Aurea ſint Muſis ut tempora & otia noſtris,

Suppli-

Digitized by Google

Suppliciter petis hoc, per pia vota, Deum.
Ardor ineſt ſacris, quæ fundis pectore, votis,
Et vis hæc animi Numine plena tui eſt.
Cur meritò Tibi nos, *Poſthumi*, aſſurgimus omnes,
Servari & Precibus credimur uſque tuis.

AD EUNDEM,

Cum offerrem ipſi Effigiem meam.

RIdiculum eſt multis, exſculpere corpus in ære,
Ingenii eſt nullas ſculpere ritè notas.
Da veniam mihi, *Poſthumi*, ſi vivere vultu,
Parte mei, in ſerâ poſteritate velim.
Nil nocet, Hoſpitium, quo paullò viximus ante,
Corporis hunc noſtri ſculpere in ære Larem.
Ingenio at Livor ſi non ſatis addidit alas;
Non mea, ſed ſæcli culpa, malumque fuit.

cIↃ. IↃC. LXVIII.

Ad

Doctiſſimum & Præſtantiſſimum Virum,

D. JOHANNEM THEOD. STEEN-HUSEN, JC.

Illuſtris Reip. Alcmarianæ Senatorem Deſignatum. Diſcipulum.

HOc juvat, & ſacram delectat ſæpè Thaliam,
Quod videam à noſtrâ Nomina tanta manu
Ad Clavum Imperii, ſummæ & faſtigia duci,
Publicaque ingeniis fræna tenere ſuis.
Quos inter, STEEN-HUSE, novâ cum lampade fulges,
Per mea, Vir, nimium viſcera, chare mihi.
Qui nunc, quod quondam tenero Tibi noſtra Minerva
Prædixit, Populo Ductor & Author agis.
Auſpice, perge, Deo par vivere Faſcibus iſtis,
Et Tibi commiſſum ritè tuere Forum.

cIↃ. IↃC. LXVI.

Con-

Digitized by Google

Consultissimis & Doctissimis Viris,

D. CORNELIO SEEWENHUSIO, J.U.D.

D. PETRO SCHAGEN. J.U.D.

Illustri Reip. Alcmarianæ à SECRETIS,

Discipulis.

EGregii Juvenes, nati melioribus Astris,
Spes Phœbi quondam deliciumque meum.
Nunc in Honore novo positi, summoque Senatu,
Et nostri, in Batavis, sidera rara Fori.
Hæc etiam, memini, primævo in flore juventæ,
Tunc ante de Vobis serta monebat Avis.
Gratulor Auspiciis istis felicia Divûm
Numina, & æternæ Prosperitatis Opes.
Almeriamque meam non unâ in parte beatam
Judico, quæ Tales ad sua sacra Viros
Destinat, & primâ natis à Stirpe Suorum
Concredit taciti SCRINIA tota Fori.

cIↃ. IↃC. LXVII.

Ad

Præstantissimum & Doctissimum Virum,

D. DAVIDEM COLTERMAN,

In Senatorem Illustris Reip. Alcmarianæ

Electum. Discipulum.

NOndum effœta, sibi quæritur Respublica, credo,
Viscera, dum Musis, aurea messis inest.
Et superant in honore Viri, quos sanctior ætas,
Deque luto finxit fic meliore Deus.
COLTERMANNE, tuis Pater hîc Virtutibus Orbis
Integer, & Patriæ spes rediviva tuæ.
Quem nunc Ordinibus Magnatûm Illustribus addit
Alcmaria, & Civem vendicat esse suum.
NEUHUSIUS sua nunc suffragia talibus addit
Auspiciis, tanto lætus Honore Tui.

Sec-

Digitized by Google

Securasque suas posthac magis esse Camœnas
Admonet, & Phœbi tutius esse sacris.

CIↃ. IↃC. LXVIII.

Consultissimo Prudentissimoque Viro,

D. BARTHOLDO STEEN-HUSEN, BAARTS.

Scab. Præsidi, & Senatori Alem.

Cum THALIAM Ipsi mitterem.

NOstra THALIA Tuos ausa est intrare Penates,
Vir Themidos, cunctis conspiciende sacris.
Ausa manus, Musasque tuas, sine fronte, subire,
Et cupiens tanto à JUDICE posse legi.
Non quod ab antiquo referat quid Numine Vatum,
Sed quod se magnis misceat illa Viris.
Per Patrios manes, per viscera sacra Sororum,
STEENHUSIO ut placeat nostra Thalia, precor.
Et contra dentem nimium Livoris iniqui
Doctorum semper protegat acta Virûm.

Kal. Novemb.

CIↃ. IↃC. LXVIII.

Amplissimo, Consultissimoque Viro,

D. BARTHOLDO STEEN-HUSEN, BOELES.

Senatori Alcmariano.

In Missionem Thaliæ & Poëmat. Juvenil.

QUæ Juvenis quondam lusi per amœna vireta
FRISIADUM, & BATAVIS próxima rura meis,
Hæc oculis spectanda tuis, *Vir Maxime*, dono,
Officio ut possim Te meruisse meo.
Qui solitus sacras ex vero pendere Musas,
Dignari & titulo splendidiore Scholas.
Quæ Virtus est summa Virûm, sanctique Senatus
Gloria, & augustæ posteritatis Honor.
Ex animo Superos oro, sedemque Tonantis,
Ut sit tantorum copia magna Virûm:

A Quorum

Digitized by Google

Quorum Auſpiciis ſurgat Prudentia major,
Et Pietas ſeris uſque probetur Avis.
Kal. Novemb. cIↃ. IↃc. LXVIII.

Ampliſſimo Viro,

D. JOHANNI à TEYLINGEN,

Reip. Alcm. Senatori deſignato.

Olim Diſcipulo.

FElices Atavos, Felicia ſæcla Nepotum!
Eſt quibus Aonidum paſcere cura gregem.
Et Batavûm ſacras inferre Penatibus aras;
Omnia Conſiliis, & regere Arte ſuâ.
Viderat hæc prudens oculis Alcmaria nuper,
Cum, TEYLINGE, Tibi ſceptra fidemque daret.
Et nollet ſine Lege regi, ſine Judice tanto;
Pallade ſed geminâ teſte ſuperba loqui.
Hæc toties, memini, non mens Tibi læva Poëtæ,
Neubuſiuſque tuus dixit in aure tuâ.
Vive memor ſacri, precor, ô TEYLINGE, laboris,
Daque roſas tumulo, da violaſque meo!
Idib. Novemb. cIↃ. IↃc. LXVIII.

In

Triſtem Obitum

Præſtantiſſimæ Piiſſimæque Matronæ,

WISKIÆ à KINNEMA.

Ampliſſimi Prudentiſſimique Viri,

D. LIVII à SCHELTINGA, Prætoris Friſii,

In Achteaſpalis CONJUGIS *Chariſſimæ.*

SIc etiam, SCHELTINGA, tuos Mors atra Penates
Infeſtat, Magnæque Domus ſe Gaudia ſiſtunt,
Et meritò plorare tuum eſt. Cum, CONJUGE tantâ
Vi Superûm Tibi ſubductâ, nunc, Turturis inſtar,
Sylvarum in latebris, ſocii diſpendia Lecti

Inge-

Digitized by Google

Ingemis, & fruſtra ſolitis amplexibus ardes
WISKIADÆ in Thalamos. Tecum, COGNATE, dolores
Hos patior, partemque tui circumfero luctus
In Batavis. Muſaſque meas Mortalia tangunt,
Et lacrymæ hîc teſtes rerum. Quas, flumine largo,
Diffundit KINMANA DOMUS, SCHELTINGAque Proles;
Haud uno ſic deficiens ſub Faſce Laborum.
Magne Virûm, Quàm jure doles has corde Cupreſſos
Fatales! Triſtiſque vides contraria votis
Sidera, & à Cœlis Tonitru non ſimplice tangi
Teque tuoſque Lares. Ubi non de *divite Cenſu*,
Jugeribuſque tuis, per flamma meam, aut ignibus hauſtis,
Conquerimur: Fortuna ſibi quæ vendicat uni;
Sed, quod non fragiles has res, ac frivola ſpectat,
CONJUGII de Clade agitur, de Fœdere rupti
Sanguinis, & charis NATIS à Morte relictis,
AC SCHELTINGANA totâ de Stirpe Neporum.
Sic placuit, COGNATE, Deo; ſic Fata tulerunt
Aſpera. Sic poſitus Cunctis Mortalibus ævi
TERMINUS. Et nullis has abrumpere Leges:
Quas Natura ſemel nodo devinxit aheno.
De nobis potius, Qui vitæ hac veſcimur aurâ,
Inter Terrigenas, ſupereſt, quod ritè queramur,
Et non in Cœlum caput attollamus & Aſtra,
Ambitione Fori. Tua terras tranſiit Uxor,
Et facta eſt pars magna Chori Cœleſtis. Et inde
Sub pedibus calcat, quos hîc captamus, Honores.
Felix ſorte ſuâ KINMANÆ Gloria Stirpis,
WISKIA! Quæ pulchrâ Virtutum Dote ſuperbis
In Cœlis, coram CHRISTO, Turbâque PIORUM,
Viſibus humanis tantò majora meretur.

Digitized by Google

In Nuptias

Amplissimi & Consultissimi Viri,

D. CORNELI GROENENDYC, Supr. Holl.

& West-Fr. Curiæ à Secretis.

Et

Eminentissimæ Lectissimæque Virginis,

MARIÆ LEMAIRE, *Cognatæ.*

CHARE mihi, sacrisque meis, ante omnia, Musis,
GROENDICI, Tibi VIRGO datur LEMAIRIA. Pulchra
Moribus Ingenii, Fortunæ & nomine pulchra,
Almeriæ Nymphas inter, Batavûmque puellas.
Haud potuit, mihi crede, Tibi contingere Cœlo
Spes optata magis; Famæ aut fiducia major,
In terris. *Animi* hinc Dos optima, primaque rerum,
Casta Pudicities, Sponsi se amplexibus offert.
Parte aliâ Egregii *Sponsæ* se *Corporis* addit
Majestas: meritò solvendi causa Pudoris.
Et rectà in Thalamos ipsam quoque Pallada ducens.
Felices Ambo! Qui nunc, natalibus altis,
Et Procerum de Stirpe genus, tot Dotibus aucti,
Fortunæque bonis, pulchros sociatis Amores
In Batavis. Ipso tutæ sub tegmine Paris.
OMNIPOTENS, Te, Sponse, suis, Te, Sponsa, lacertis
Ambiat, & sacris illis Complexibus addat
Auspicium Cœleste suum. Ut, labentibus annis,
Conjugio à tali, GROENDICI Gloria major
Nominis, ac crescat LEMAIRIA Gloria major.

clɔ. Iac. LXVIII. *Idib. Novemb.*

Reve-

Digitized by Google

Reverendo, Clarissimo, Doctissimoque Viro,

D. ARNOLDO BORNIO, Ecclesiastæ *Alcmariano.*

MItto Tibi nostræ, BORNI, tria Fercula mensæ,
Fercula, quæ Genio sic placuere meo.
Elige, quod placeat. Dubia hic Tibi cœna paratur;
Nec scio, num sapiant, quæ sapuere mihi.
Tres coram hic Veneres. Mihi quæ formosa videtur,
Deformis fuerit, forsitan, illa Tibi.
Elige, quod tabulis dignum præfigiet istis:
Judicii Paridis ne videare reus.

In Effigiem.

Tolle manum tabulis, Pictor, sileasque Poëta,
Hoc Opere es, Pictor, Tuque, Poëta minor.
BORNIADEM nemo felicius exprimet unquam,
Quàm Dotes Animi BORNIUS Ipse sui.
Qui benè Dicendo, Suadâque potentior omni,
Ferrea tot Populi pectora & ora movet.
Sparge sacras, FONS UBER, aquas Et, Numinis instar,
Isacidum pleno Flumine Corda riga.

aliud.

Hic est, qui sacrum Batavis Helicona recludit,
BORNIUS, & pleno FONTE ministrat aquas:
Unde bibunt isti, non quos sitis arida torquet
Corporis, Æthereæ sed sitis urit aquæ.
FLUMINA, quæ mediâ recreant in morte jacentes,
Et pretium Vitæ spemque Salutis habent.

aliud.

Ut primùm BORNI Facies in publica venit,
Pierides omnes obstupuêre Deæ.
Et, plena irarum, Pallas sic protinus infit:
Hîc, Lector, nostri cominus ora vides.
Haud patimur sculpi tales in imagine vultus.
Si vacat, hoc ipso sculpite in ære Deam.

Alcmariæ cIↃ. IↃC. LXVIII. *Idibus Dec.*

Digitized by Google

IN OBITUM

Nobiliſſimi & Excellentiſſimi Viri,

D. VALERI à CAMMINGA.

Illuſtris Inſulæ Amelandiæ

DOMINI, &c.

Ad FILIUM UNICUM

FRANCISCUM DUCONEM

à

CAMMINGA.

Paternæ Virtutis & Fortunarum

Heredem. Diſcip. IV. *Claſſ. eminentiſſ.*

PRÔ dolor! Antiquo FRISORUM à Sanguine REGUM
Majeſtas, CAMMINGA, perit. Primuſque Potentum,
Divinâ Virtute Senex, Vi Mortis acerbæ
Tollitur, & ſummo PATRIAM in mœrore relinquit.
Exemploque ſuo, quàm ſit ſors lubrica rerum;
Quam mundi ſit inanis Honor; quàm frivola cuncta,
Et facile inclinent Faſces & Sceptra regentûm
In caſum, lapſumque, docet. Felicia nobis
In terris Monita, & Divûm Prognoſtica! tales
Si nos, in vivis, Obitus, ac Fata notemus:
In quibus ingenui proſtant Veſtigia Recti,
Et veræ Pietatis amor. Sacra ipſa Tonantis,
Simplicitate rudi, Priſcæ Virtutis Imago.
Omnia in Hoc Uno concurrere ATLANTE videmus,
Quæ tantùm, pro parte, aliis. Qui ſolus & unus
Poſſedit, geminus quicquid Sol viderit uſquam
Pulchrum Homini, & Cœlo tribuit Natura creatrix.
Cui non, quod Vulgo, placuit, cum Fœnore, Cenſus
Improbus; aut raptæ, per vim, ſine nomine juſto,
Divitiæ. Sed, ſola fuit tranquilla poteſtas
In pretio, Vitæque labor non irritus actæ,
Ad Præcepta Dei. Qui ſummâ in laude ferebat

Digitized by Google

Ingenuâ excultas animas à Palladis arte,
Phœbeisque Sacris. Non hos, quos turpior usus,
Nobilitate novâ cirulus commendat inermis.
Omnia despiciens præter Virtutis honorem,
Et quas Ingeniis addit Sapientia dotes.
Tu, FILI GENEROSE, memor sis illius actus
Extremi. PATREMque refer Virtutibus iisdem.
Ex toto, non parte tui. DEUS, Optimus Author,
De meliore Tibi luto Præcordia finxit.
Ut, quantum Auspiciis Patriis AMELANDIA perdat,
Auspiciis tantùm ipsa tuis AMELANDIA crescat.
Macte animis! Tibi quos, pulchrè, Deus indidit ignes
Ex alto, Patriæ hos sacris Penetralibus Infer.
Et flammâ meliore calens, *Virtute Paternâ*,
Aggredere, ô, majus Famæ, FRANCISCE, Theatrum
Sedulitate tuâ. Et, quæ primo in flore juventæ
Pollicitus nobis, tandem, vergentibus annis,
Omine Felici, summa ad fastigia tolle.
Sic fiet, Domus ista, tuis modò pressa tenebris,
Et lacrymas inter tristes, planctusque Suorum,
Nunc luget viduata, Diem, melioribus Astris,
Viderit exortum Cœlis. Quo pulchrior inde
Crescet Honos, CAMMINGA, tuus. Famâque Nepotum
Sanguinis Augusti seriem inter nobile condet.

Alcmariæ CIↃ. IↃC. LXVIII.
Mense Decembri.

Synops

Synopsis

RERUM,

&

AMICORUM,

Ad quos scripsit Author

In

THALIA.

A.

ANtonii Studler. *Eqn. Toparchæ Berg.* Obitus. pag. 10 *Amores sæculares,* 210. *Natales.* 168, 14, 19, 240, 250, 284, 296, 297
Adamo Foresto. 32, 64
Adriano Snellio 42, 46, 53, 70, 123, 133, 138, 140, 247
Adriano Seewen-husen. Cos. Alcm. *Nuptiæ.* 105
Adriano Hereboord. 340
Amnestia Anglicana. 989
Adriani Schagen Disput. de jure Emphyt. 162 *Nuptiæ.* 272
Andreæ Schagensteyn *Nuptiæ.* 174. *Obitus.* 227
Antonio Myropio. 249
Andreæ Winckelio. 183. *Nuptiæ.* 204, 255
Arnoldo van der Graeff. Cos. Alcm. 248
Ad Britannos. Ad Batavos. Ad Legatos. 308
Ahasuero à Viersen. *Nuptiæ.* 68
Arnoldi Bardesii *Obitus.* 135
Antonii Danburch *Nuptiæ.* 162
Alexandri Picard *Obitus.* 58
Arnoldo Bornio. Eccl. Alcm. 443. In Effigiem. 450
Ægydii Schagen *Nuptiæ.* 58
Ægydii ab Oudesteyn. 240
Alcmaria literata. 424

Digitized by Google

Adriano Baart J. U. D. designato. 467
Andreæ posthumio Eccl. Alcm.

B.

BOxhornii *Obitus.* 143, 308
Bernardi Homoet *Nuptiæ.* 205, 280
Borchardo Cnippingio. 273
Breda lequitur. 307
Sub adventum Legatorum. 309
Bernhardo Somero. 386
Britannia fugiens. 116
Brema liberata. 445
Bartholdo Steenhusen Baarts. 478
& Steenhusen Boeles. ibid.

C.

COrnelii à Teylingen *Cos. Alcm.* 9
Obitus. Nuptiæ. 94. 165, 233, 238
Cornelii Schagen *Pens. Alcm. Obitus.* 20
Caspari Barlæi *Obitus.* 313, 29
Cornelio Bosch. Eccl. Alcm. 474
Carolo Patino, Med. Paris. 81
Cornelii Kinnema Senat. Fr. *Obitus.* 136
Claudii Salmasii *Manes.* 159
Carolo II. Britann. Regi. 220
Cornelio Neostadio. 224
Cornelio Trompio. 300
Cornelii ab Egm. à Nieuburch *Obitus.* 19
Cornelio Sonnevelt. Cos. Alcm. 25. *Obitus.* 103
Clementi Dono. 45
Cornelii Seewen-husen *Nuptiæ.* 73
Catharinæ van der Graeff. *Obitus.* 103
Christiani Constantini Romphii, *Doctoratus* Parisiis. 167
Christiano Moll. Legato. 171
Cornelii Schagen Hoochlant, *Doctoratus. Nuptiæ.* 246
Cornelii van der Lyn, *Discipuli, Obitus.* 258

Carum

nam ſacram adituras. 231
tharinæ Vryburgiæ *Mors.* 417
ymanni, diſcipuli *Obitus.* 437

D.

)Anielis Heinſii *Manes.* 160 *Effigies.* 328, 333, 348
ominico Vogelſang. 194
avidi Coltermanno. 477

E.

Rneſti ab Aylua *Obitus.* 21
Expugnatio Hulſtæ. 371
ngelberto van der Mylen. 307
ceſſus Guilielmi Princip. Friſ. Gubern. 1

F.

Eyonis Scheltema Præt. Friſ. *Obitus.* 16
Fax Coruſca. 294
eiconi Oedſonidæ. 360
rederico Scherthuſio. 228

G.

Uidoni Patino *Prof. Regio.* 78, 84
Geldolphi Stuling *Nuptiæ.* 79
erbrandi Berckhout *Doctoratus.* 124
ualtheri Lanſchott, *Doctoratus.* 125, 368
erbrandi Scutteri *Nuptiæ.* 147
uilielmi III. Pr. Aur. *effigies.* 213
erardo Bramio. 400
ualthero Brant. 447

Digitized by Google

H.

HENR. FRED. Friſ. Gub. *Obitus.* 276
Henrico Druyff. Senatori ſupr. Curiæ. *Sponſ* 118, 148, 221, 444
Henrici Brunis *Jubus redivivus.* 238
Obitus. 266
Henrico Neuhuſio. 386. In *obitum* Uxoris. 387, 402
Henrico Kolde. 345
Henrico Blau *Penſ. Friſ.* 292, 440
Henrico Picart. 256, 264

I.

IAcobo à Teylingen. *Cos. Alcm.* 3, 71, 40, 61, 65, 69, 251
Iacobo van der Moer, *Domino in Herencaſpel.* 86, 312, 220, 279, 435, 446, 465
Ioanni Bouricio *Senatori Friſia.* 82, 222
Ioanni Blaſio. J. C. 313, 432
Ioanni à Wynbergen, *Senat. Geld.* 326
Ioannis Foreſti *Merita Auriaca.* 331
Iohanni Coccejo *Prof. Th.* 336
Ioannis à Nieuburch. *Cos. Alcm. Nuptiæ Crombentia.* 3. *Nuptiæ Graviana.* 152, 17, 23, 57, 61, 65, 69, 75, 189, 305
Ioannis Geſterani *Obitus.* 18. *Nuptiæ.* 156
Iacobo Catſio. 46, 329, 327
Iacobo Corenio. 35
Ioannis Coetenburgii *Nuptiæ.* 37
Ioanni Knyffio. 43, 85, 111, 141, 187, 244, 260, 268, 289, 303, 356, 380
Ioannis Brunonis *Nuptiæ.* 52
Iacobo Petrejo. 52
Ioannis Gualtheri Cos. Leov. *Nuptiæ.* 71. *Obitus* 436
Ioanni Chriſtenio *Prof. Amſtel.* 74
Ioannis Ianſſonii *Obitus.* 76
Iohannis Anth. van der Linden *Prof. Med. Obitus.* 88

Digitized by Google

ōannis Snellii *Eccl. Alcm. Obitus.* 100
n *Opera Ciceronis*, ad Th. Schevelium. 108
acobi Triglandii *Nuptiæ.* 120
ab Egm. à Nieub. *Cos. Alcm.* 128
oannis Henrici Vinckii *Obitus.* 132
oanni Brunoni. 139, 188
acobi ab Oudesteyn *Nuptiæ.* 178
oannis Knyff, Junioris, *Nuptiæ.* 203
acobo à Veen. *Prætor. Alcm.* in *Obitum* Uxoris. 216
acobi à Vryburch *Nuptiæ.* 225
oanni Foeclero. 234, 365, 447, 449, 454, 456
acobi Corenii *Doctoratus.* 237. *Nuptiæ.* 465
oannis Steenhusen, Baarts, *Cos. Alcm. Obitus.* 270
eltoni ab Eysinga *Neb. Fr.* 299
ani Erasmii *Obitus.* 259
oanni Roldano. 354
ohanni Reccio. 466
ano Borgesio. 362
oanni à Sane. 366
acobo Sch. Hoogiant Cos. Alcm. 440, 442, 454
acobo Myropio. J.C. 446
acobo Geusio. 466

L.

LUDOVICO Gall. Regi. 277, 284
Lucæ Vinckio *Past. Amstel.* 122
Laurentii Kaiser. *Doctoratus.* 182
Laurentio Cnoll. *Sponso.* 464

M.

MArtinii Trompii *Manes.* 160. *Effigies.* 403
Martino Brunoni. 146. *Obitus.* 163
Michaëli Ruyter. *Archishal.* 274
Matthæi Schoôff. *Nuptiæ.* 293
Matthiæ à Vierssen. *Senat. Fris.* 337

Digitized by Google

N.

Nicolao Jungio. 184
Nicolao Outclaes. 370
Nicolao Splinter. J C. 446
Nuptiæ Authoris tertiæ. 469

O.

Odiliæ Neostadiæ Uxoris p. m. *Obitus.* 404
In *Ejusdem* Mortem. H. Bruno & Convictores. 419, 420

P.

Plerii Winsemii *Eloq. Prof. Obitus.* 30, 140
Petro Paeu *Cos. Alcm.* 59, 68, 385
Philippi Lanschott. *Nuptiæ.* 24
Petro Schaackio *Past. Amstel* 88. *Nuptiæ.* 192. *Vocatio Amstel. Hag. Leid.* 266, 278, 426, 450, 457
Pax Britannica. 157
Pax Hispanica. 92
Pestilentia Alcmariana. 90
Piboni à Doma. *sup. Fr. Curiæ Senat. Nuptiæ Ayssmæ.* 150. *Obitus Uxoris Tademæ.* 172, 181, 262, 351, 450. *Nuptiæ Jeltingæ.* 430
Petri à Sane *Doctoratus.* 175
Petri Langereis *Nuptiæ.* 193
Petri Prælini *Eccl. Alcm. Obitus.* 213
Petro Reckio, *Scholarchæ.* 435
Petro à Vryburch *Senat. Alcm.* 223, 236, 268, 440
Pax Britannæ Batavæ. 311
Petro Valta *Nob. Frif.* 322
Petro Schilder.. *Senatori.* 389
Principis Guiel. Auriaci interfector. 393
Petri Schagen, Secret. Alcm. *Nuptiæ.* 438
Petro Lotio. J C. 452

Digitized by Google

R.

ROmani de Hooghe *Doctoratus.* 87, 226
Rosa Serotina, amores. 396
Rosa Laureata. 397

S.

SImoni à Veen. Prætori. 223, 442
Schermer & Laus. 257
Senatoribus Alcmarianis. 315. &c.
Simonis Cnollii *Obitus.* 208
Saræ Filiolæ *obitus.* 460. *Geertrudæ* Filiolæ *obitus.* 461

T.

THEODORI À VRYBURCH, *Consulis Alcm. Obitus.* 12. *Nuptiæ Filiæ* 110, 129, 131, 137, 144, 195, 198, 200, 218, 241, 242, 253, 304, 334, 342, 358, 370, 383
Triumphus Danicus. 207
Theodori Schagen *Obitus* in Galliis. 209
Thomæ Honerdo. 225
Tamesis expugnatus. 302
Theodoro Baart, *Præt Friſ.* in *Nuptias.*
Theotardo Hobma. 425

V.

VAlerii à Camminga, Domini in Amelant, *Effigies.* 228
Verneri ab Enſchede *Obitus.* 77, 336
Ventidio Ricce. 361
Vrbis Londini incendium. 301
Vernale Carmen. 424
Vitskiæ Kinnema *Obitus.* 479

Z.

ZEemannorum Doctoratus. 214.

Errata

Digitized by Google

Errata
THALIÆ.

pag. 16. linea 7. pone. Quem.
p. 74. l. 20. p. ardens.
p. 107. l. 19. p. Mollia.
p. 130. l. 25. p. compressa.
p. 238. l. 15. p. rarefacta.
p. 274. l. 8. p. Communem.
p. 292. l. 12. p. Incola.
p. 355. l. 26. ante discordia, p. &
p. 386. l. 7. p. supera.
p. 389. l. 6. p. Quamquam.
p. 391. l. 13. p. Hinc.
p. 399. l. 27. p. jacta.
p. 392. l. 28. p. ejus.
p. 396. l. 5. p. vera.
p. 448. l. 5. p. Epistolium.
p. 432. l. 10. p. mundo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google